72

PHILOSOPHIA
PERIPATETICA
Tomis Quatuor comprehensa,

AUTHORE

JO: BAPTISTA
DE BENEDICTIS
E SOCIETATE JESU.

TOMUS QUARTUS

METAPHYSICA.

Ad usum Sancti Collegii [illegible]

VENETIIS, MDCCXXIII.
Ex Typographia Balleoniana.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

INDEX
TITULORUM
TOMI QUARTI.

CAP.

LI-

LIBER PRIMUS METAPHYSICÆ.

De Ente, ejusque Attributis.

DE Ente multa in Logicis disputavi, inde eius notio, divisio, analogia petenda; duo supersunt de ipso secundùm se spectato examinanda, quid sit scilicet eius possibilitas, quid actualitas. Hinc erit ad impossibilia gradus, eorumque à possibilibus distinctionem; tum ens cum non ente comparabo, naturamque contradictoriæ oppositionis, & primi principii veritatem excutiam; postremus erit entis passionibus locus, Unitati, Veritati, Bonitati, quæ sunt entis primò intentionalias attributa: tum Identitati, ac Distinctioni, quæ aliquid admiscent secundò intentionale.

QUÆSTIO PRIMA.

De Entis Possibilitate, & Actualitate.

CAPUT I.

An possibile sit aliquid actu ab æterno ante existentiam exercitam in tempore.

§. I.

Status quæsiti, & Auctorum placita.

NOn est inter Doctores controversia, utrum possibile fuerit ab æterno possibile, in quocumque demum possibilitas sita sit; hoc n. ex terminis est manifestum. Sed neque est dubium, quòd aliquod esse habuerint æternum possibilia non in se, sed in Deo, à quo fuerint extrinsecè denominata; nam & fuit æterna ipsorum causa, in qua continebantur eminenter, & fuit æterna ipsorum cognitio, in qua continebantur tum intentionaliter, ut in intellectiva expressione, tum idealiter, ut in exemplari causa. Superest jam inquisitio, utrùm præter extrinsecas denominationes à Deo acceptas, aliquod esse intrinsecum, & actuale à Deo contradistinctum, atq; æternū habuerint possibilia.

Rursus non est quæstio inter Catholicos de esse intrinseco simpliciter dicto, & ut vocant, existentiali: ex Fide enim constat, nihil ab æterno extitisse, sed quidquid est creatum, fuisse in tempore. Est etiam ratione certum, creaturam nullam habere necessitatem existendi, sed contingentiam, à qua est, ut possit existere, & possit non existere. contingit ergo, ut quandoque non existat: & tunc de ea quæritur, utrùm aliquod esse habeat non per creationem acceptum, sed præsuppositum, quod vocant

cant esse essentiale, & quidditativum realiter distinctum, ac separabile ab esse reali existentiali: inter quæ duo esse si ab eius authoribus diversitatem inquiras, nihil præterea post multas vocabulorum ambages accipies, quàm quod illud sit esse essentiæ, hoc existentiæ.

Accedendo nunc ad authorum in hac re sententias, sunt primò qui docēt, possibilia habuisse ab ęterno extrà Deū esse quoddam intrinsecum, essentiale, & quidditativum. Citatur pro hac sententia Henricus in summa, sed perperam nihil enim tale in ea habet; citatur & in quodlib. ubi habet oppositum, præsertim quodlib. 8. q. 9. ad 1. principale; distinguit enim ibi esse essentiæ purum, & esse existentiæ: sed ait; quod primum est *esse cognitivum, quia non habet illud rei essentia extrà intellectum*, & quodlib. 9. qu. 2. dicit, quod à scientia divina *ipsa scita alia habent esse id quod sunt:* tum explicans tale esse addit. quod est esse *per essentiam* non in sed *in cognitione interiori*: per voluntatem verò habent esse *per efficientiam in existentia exteriori secundùm formam, & modum quo habent esse in scientia interiori*, ad quod confirmandum affert dictum Augustini l. 83. qq. q. 46. ubi loquens de rerum essentiis, quas appellat rationes, *Has*, inquit, *rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in mente Creatoris? non enim extrà se quidquam intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat.*

Capreolus est potius in hac sententia, quidquid ab aliis excusetur; nam in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 4. Aureoli contra 4. concl. sic ait: *Ultra nihilitatem, quæ est carentia actualis existentiæ, erat essentia in esse essentiæ*. tum addit, quod *essentia ipsa secundùm se semper est aliquid in genere essentiarum, & in esse intelligibili, & in potentia activa Creatoris, licet non in esse reali actuali*. quod ultimum non pertinet ad essentiæ possibili negandum aliud esse, quàm exi-

sentiæ; priùsenim triplex esse illi tribuerat, in esse intelligibili, & in potentia activa (quæ non sunt nisi extrinsecæ denominationes) & prætereà esse *aliquid in genere essentiarum, & in esse essentiæ:* quod est esse intrinsecum. hinc Capreolum fortasse respexit Soncinnas 9. Met. q.4. ubi ait esse quosdam Thomistas, *qui dicunt, quod rebus corruptis, manet quidem esse essentiæ, licet non maneat esse existentiæ.*

Idipsùm docuit Albertinus in prædicam. substantiæ disp. 1. q. 1. concl. 1. ubi præter Henricum, & Capreolum relatos citat Scotum, & D. Thom. De Scoto mox dicam. D. Thomas habet alia omnia. locus certè, quem laudat Albertinus ex 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 1. nihil tale dicit, sed solùm distinguit triplex esse primum, quod est ipsa rei quidditas: secundum, quod est actus quidditatis, sicut vivere in actu non secundo, sed primo est esse viventibus: tertium est esse significans veritatem enunciationis expressum per copulam *est*. Ex hac divisione quid pro re sua inferre possit hic author, non plenè intelligo, ut n. admittat S. Doctor esse essentiæ, quod nemo negat, imò ut illud admittat ab esse existentiæ distinctum, de quo ibi non loquitur; nunquid propterea æternum? At enim tenetur hoc dicere ex cohærentia doctrinæ. Id quidem, me etiam fatente, verum est; atque inde potissimùm premam inferiùs Thomistas essentiam ab existentia distinguentes. Sed aliud est, quod tenetur aliquis author dicere vi argumenti, quo urgetur; aliud est, quod re ipsa dicit, quàm enim multa sæpè absurda ex aliorum dictis eruimus, quæ tamen illi non afferunt.

Altera sententia docet, possibilia non habere esse aliquod reale quidditativum, sed accipere tamen ab intellectu divino cognoscente quoddam esse intelligibile absolutum, & intrinsecum medium inter esse reale, & rationis,

quod

quod vocant esse diminutum. Ita Lychetus, Tataretus, aliique Scotistæ in 1. dist. 35. 36. & 43. q. unic. De mente Scoti lis est inter ipsos Scotistas, atque etiam inter Nostros; Suarius enim in Met. disp. 31. sect. 2. negat Scoto in mentem hanc sententiam venisse. Albertinus loc. cit. à nu. 7. affirmat, & multis probat, hanc fuisse ipsam Scoti sententiam.

Tertia demum sententia communis, & vera nullum esse actuale possibilibus tribuit ante existentiam, quam per productionem accipiunt. Hanc expressit Div. Thom. qu. 3. de Potent. ar. 5. ad 2. ubi, *Ex hoc*, inquit, *ipso, quod quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur; quia antequam esse habeat, nihil est, nisi fortè in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.*

§. II.

Ostenditur, possibilia nullum esse intrinsecum ab æterno habuisse.

ARguo 1. contra 1. sent. Si essentiæ possibilium actuales ab æterno fuissent, fuissent & existentiæ. quid enim est existentia, seu esse rei, nisi res ipsa, eiusque essentia actualis in se? profer, si negas, vel probabile inter ista discrimen. at concedi possibilibus ab æterno existentia, salva fide, non potest. ergo nec intrinseca ulla actualitas essentiæ.

Arguo 2. actus essentiæ omnino æternus nec statui potest dependens à Deo, nec independens. Non dependens; in quo enim genere causæ? efficientisne an idealis? non efficientis, ut constat; aliter non essentiæ esset actus, sed existentiæ. Non idealis; tum quia non solùm essentiæ; sed existentiæ etiam creatæ, quæ perfectio est, in Deo est idea. Si ergo divina mens ideando ponit in æterno quodam

actu

actu essentiam, ponet in eodem existentiam. tum quia, ut rectè notat Scotus, exemplar, & efficiens non respiciunt distinctos effectus, sed ille idem, qui ponitur ab efficiente activè, ab exemplari ponitur directivè. nec habet idea modum alium causandi, quàm dirigendo efficiens.

Nec potest talis actus absolvi à dependentia: Sic enim esset ens omnino necessarium, quatenus nec indigeret alio ad essendum, nec ipse sibi posset denegare suum esse. atqui nullum esse à Deo distinctum potest esse necessarium; aliter posset dari creatura necessariò existens. Conf. quæcumque probant contingentiam cujuslibet creaturæ quoad eius existentiam, probant & contingentiam essentiæ secundùm se spectatæ. Et contingentiam quidem creaturæ probat universim eius imperfectio, ratione cujus nec est necessaria Deo habenti in se omnem sufficientiam, nec est nata trahere necessariò voluntatem Creatoris ad dandum sibi esse. Atqui non solùm existentia creaturæ, sed ipsa etiam essentia imperfecta est, ut patet. ergo utraque contingens est, adeoque neutra necessaria, neutra independens.

Arguo 3. æternitas essentiæ creatæ non aliunde est, si est, quam ab æternitate, ac necessitate veritatis, qua sua cuiusque essentialia prædicata de qualibet enunciatur. atqui hinc fieret, ut nihilo minus æternitas competeret creatæ existentiæ, ut enim de homine per propositiones, ut aiunt, veritatis æternæ enunciatur, quod sit animal, quod sit discursivus, &c. ita & de hominis existentia, quod sit forma actuativa essentiæ ipsius, quo determinet eius indifferentiam, ut sit potiùs, quàm non sit. Quod si propterea non est æterna existentia, nec est æterna essentia.

Respondet Albertinus, debere supponi esse intrinsecum essentiæ hominis v. g. tanquam ra-

tionem formalem, qua non repugnat hominem existere. hæc ratio cessat in existentia, quæ scilicet supponitur sufficienter non repugnans in essentia sua.

Sed reiicitur 1. quia nihil potest esse formaliter non repugnans per alterius prædicata, ut sequenti capite ostendam. erit ergo existentia per sua etiam quidditativa prædicata, non verò per prædicata essentiæ non repugnans; adeoque non solum essentia, sed existentia ipsa sit oportet æterna. 2. hinc fieret, ut accidentia, & formæ non habere essentiam æternam; quia scilicet satis redderentur non repugnantia per essentiam præsuppositam substantiæ, & materiæ. 3. ut dicis, existentiam non habere quidditatem æternam, quia possibilitatur extrinsecè per essentiam, tanquam per potentiam ipsius receptivam, quæ supponitur; quidnì poterit ens ipsum carere æterna actuali quidditate, & satis possibilitari per causam sui efficientem æternam essentialiter præsuppositam?

Arguo 4. ex tali quidditate actuali præsupposita fit manifestè, ut nulla res creetur; creari enim est accipere totam suam ab alio perfectionem, cuius si quid supponitur in priori ad actionem, non creatio est, sed eductio. hinc à D. Thô dicitur creatio tendere ad ens ut ens, quatenus quidquid est perfectionis in effectu creato, totum per creationem acquiritur. atqui per adversarios perfectio omnis quidditativa entis in actu supponeretur ante eius productionem, qua solùm acquireretur perfectio existentialis. ergo revera nullum ens crearetur. Nec satisfacis dicendo, satis esse ad creationem, ut quidquid est perfectionis in re, trahatur ab esse essentiali ad esse existentiale. Nam esse illud essentiale per se est actuale; adeoque creari non est trahi à potentia simpliciter ad actum, sed ab uno actu ad alium, quo pacto quis vetat appellari creationem, cuiuslibet compositi generationem, cui

juxta

juxta Thomistas non præmittitur in priori naturæ, nisi nuda materiæ essentia? & quamvis juxta aliorum sententiam materia in priori supponatur existens, quid hæc violabit creationem totius, si Angeli creationem non violat præsuppositio essentiæ jam in suo esse actuatæ? Certè authores sententiæ, quam impugno, inter creationem, eductionemque si quod volunt assignare discrimen, nihil præter voces exhibebunt. Ex hoc eodem capite fit, ut nihil possit re ipsa annihilari; cum ad cuiusque corruptionem indispensabiliter sit superstes tota quidditas, h. e. maxima, præcipua, & fermè tota cuiusque perfectio substantialis.

Arguo deinde contra secundam sententiam 1. quia re ipsa non differt à prima; ponit enim esse cuiusvis essentiæ ab æterno diminutum, non quidem diminutum per additionem prædicati importantis extrinsecam denominationem à divina actuali cognitione (in quo sensu nemo negat creaturas habuisse ab æterno esse diminutum, quod est esse cognitum in intellectu divino) sed esse quoddam intrinsecum, quod est esse non cognitum, sed cognoscibile, & vel sequens divinam cognitionem, quæ sibi quodammodo faciat obiectum suum, vel illam præcedens, pendensque à sola divina essentia, ut specie creaturarum eminentiali. hoc autem esse intrinsecum ideò dicitur diminutum, quia ut non est merum esse rationis quale habet chimęra, ita nec est esse reale simpliciter, quale habet creatura jam producta. Hoc toum dicit prima sententia de suo esse quidditativo, nisi quod differt tum in voce, tum in assignanda causa, à qua pendet.

Arguo iterum. Scotistæ, qui sunt in hac secunda sententia, essentiam ab existentia re non distinguunt. ubicumque ergo ponitur essentia, ponatur oportet, & existentia; adeoque in illo esse intrinseco, quod habent æternum

possi-

possibilia, erit non essentia solùm rei, sed existentia. quæro nunc, cur illud esse appellent diminutum, & non reale realissimum, si est esse intrinsecum tum essentiæ, tum existentiæ? quid enim aliud facit creatio, quam ponere effectum in esse intrinseco tum quidditativo, tum existentiali? Dices fortassè, per creationem poni rem extra Deum: at illud esse diminutum esse intra divinum intellectum. Sed vel ly *extra* appellat locum: atque ita nulla res ponitur extra Deum: vel appellat entitatem: atque ita extra Deum est, quidquid ab ipso distinctum est. at illud esse diminutum à Deo distinctum statuitur. ergo est extra Deum, eiusque intellectum.

Arguo 3. Hoc esse diminutum intrinsecum ponitur, ut sit obiectum divinæ cognitionis. atqui ad hunc finem vel inutilem omnino est, vel si utile, est omninò impossibile. divina enim cognitio fertur ad ipsum esse simpliciter rei, adeoque reale, & existentiale, cum cognoscat rem, quæ est terminus potentiæ suę, & quatenus est terminus potentiæ suæ. sed non est terminus potentiæ secundùm esse diminutum, sed secundùm esse simpliciter, ut constat. aut ergo diminutum illud esse non est ipsum esse simpliciter, sed aliud ab hoc esse; & inutiliter ponitur; quia non ponitur verum obiectum divinæ cognitionis. aut est esse ipsum simpliciter; & impossibiliter ponitur; quia ponitur ad falsificandam divinam cognitionem; quæ creaturam affirmat non simpliciter actu esse, sed solùm posse esse.

Arguo 4. tale esse intrinsecum aut ponitur prius, & independens à divina cognitione, aut posterius h. e positum vi ipsius. Si prius; contra est ex doctrina Scoti in 1. dist. 2. q. 1. ubi negat posse agens independens, & increatum quidquam agere merè naturaliter, h.e. non directum à cognitione, quamquam hoc non sit in-

con-

conveniens in agente creato, ut est Sol; quia dirigi potest in finem ab agente superiori cognoscẽte. Hoc autem valet non solum ad improbandam productionem entis simpliciter, sed etiam emanationem entis diminuti priorem omni cognitione; neutra enim in finem dirigeretur: quod esset ponere operationem in Deo non à consilio, sed à casu. Si verò illud esse sit posterius; contra est; quia inde fieret obiectum prius natura esse cognitum, quam cognoscibile. in eo enim priori, in quo intelligitur divina cognitio, per illam formaliter obiectum ipsius est cognitum; quid enim est me esse cognitum, nisi dari cognitionem meam? in posteriori autem naturæ ponitur intrinseca rei cognoscibilitas.

Dices; Esse hoc diminutum esse in posteriori ad cognitionem divinæ essentiæ, & in priori ad cognitionem sui. Sed contra est 1. quia impossibile est, ut divina essentia moveat, aut quasi moveat divinum intellectum, & illum non moveat quantum potest. sed illum potest movere ad cognitionem tum sui, tum possibilium in se eminenter, ac virtualiter contentorum. ergo illum movet ad istorum etiam cognitionem in eo ipso signo, in quo movet ad cognitionem sui, cum in eo scilicet signo hanc ipsam vim habeat, neque eam acquirat in secundo. Contra est 2. quia redit absurdum Scoti, si possibile ponatur in esse intrinseco ante sui cognitionem; non enim potest dirigi in finem illud, quod non cognoscitur. si ergo ponatur non cognosci possibile per cognitionem essentiæ divinæ, à qua emanat; emanabit ab ea merè naturaliter, & sine directione ad suum finem. sic habitus utcumque emanans à cognitione, quia non emanat à cognitione habitus, naturaliter omnino emanat.

§. III.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

Obiic. 1. Creatura purè possibilis non potest esse omnino nihil, ergo est aliquid. non aliquid simpliciter & existentiale, ergo aliquid vel essentiale, vel diminutum.

Prob. 1. antec. ex Albertino. quia secus possibile ita esset actu nihil, ut est actu nihil chimæra. Unde ergo habet esse possibile, quo caret chimera? non à divina potentia: ex parte cuius nihil repugnat, cum sit scilicet infinita. non ab esse actuali quidditativo, quale possibili non tribuitur.

Prob. 2. Ut se habet ens ad non ens, ita possibile ad impossibile. ergo commutata proportione, ut se habet ens ad possibile, ita non ens ad impossibile. sed omne ens est possibile. ergo omne non ens est impossibile; adeoque possibile non potest esse omninò nihil.

Prob. 3. Si creatura possibilis nihil omnino esset, ut est nihil omninò chimæra, unum omnino nihil esset magis nihil, quam aliud omninò nihil; quia certè impossibile est magis nihil, quam possibile. hoc autem repugnat; quod enim est omninò tale, non patitur aliud magis tale; aliter non omninò esset, sed ex parte tale.

Prob. 4. Possibile non potest transire ad esse. vel ergo habet aliquid actu, quod prius nihilo, tum substernitur actui essendi; & est intentum. vel non habet; & quomodo transit, si transitus importat subiectum commune termino derelicto, & acquisito? Conf. dum ex nihilo fit ens, aut nihilitas ipsa, seu rei negatio evadit ens: & hoc est ex terminis impossibile; aut res, quæ à sui negatione denominabatur non existens, evadit deinde existens, ita ut nihil transire in ens aliud non sit, quam successio quædam entis ad

nihil:

nihil: atque hæc successio subsistere non potest, nisi sit commune aliquod utrique termino substratum, ratione cuius illa inter se pugnent, & unum necessariò alteri succedat. non enim potest intelligi duo se invicem expellere, nisi sit tertium, à quo se expellant: ut patet in reliquis oppositis.

Resp. ens stare dupliciter, vel participialiter, in quantum scilicet est participium verbi *sum*: atque ita idem sonat, ac *id quod est*, seu quod habet essendi exercitium. vel nominaliter; atque ita extenditur, & ampliatur ad significandum tum quod habet, tum quod potest habere esse. Similiter *nihil*, quod enti opponitur, potest sumi, ut oppositum enti sumpto participialiter; atque ita sonat idem, ac *quod non est*, seu quod caret essendi exercitio. & potest sumi, ut oppositum enti stanti nominaliter; atque ita ampliatur ad significandum, quod nec est, nec potest esse. Ex his patet, quod creatura possibilis sit omnino nihil in prima, non in secũda acceptione, seu omnino nihil in actu, non in potentia.

Ad 1. nunc prob. instatur quærendo ab adversario, cur homo habeat suum esse quidditativum æternum, & non chimæra? non aliud certe poterit respondere, nisi quia homo est homo, h.e. habens ea prædicata, quæ posita in esse, invicem non repugnant: secus chimæra. Hoc idem nos dicimus, secluso omni esse actuali, quia ad verificandam eam conditionalem nihil in actu est opus.

Ad 2. ea instatur evidenter sic. Ut se habet existens ad non existens, ita possibile ad impossibile. ergo ut se habet existens ad possibile, ita non existens ad impossibile. sed omne existens est possibile. ergo omne non existens est impossibile. Directè respondet Scotus, id genus argumenti, quod in proportionibus quantitativis est evidens, & ab Euclide lib. 5. propos. 16. demonstratur ex propriis, in aliis proportionum generibus

ribus sæpè fallere, ut videre est in dato exemplo in quo, ut & in eo, quod affertur in argumento, committitur, inquit Scotus, fallacia consequentis, quia proceditur ab antecedente ad consequens negativè, *non est, ergo non est possibile.*

Ad 3. Unum omninò nihil non est magis omnino nihil, quam aliud, si servetur constantia terminorum h.e. idem omninò sit nihil utriusque: sed non est ita, si comparetur possibile cum chimæra; illud enim est omnino nihil actu; hæc verò est nihil tum actu, tum potentia.

Ad 4. nihil est, quod substernatur, & transeat à non esse ad esse. creatio enim mutatio rigorosa non est, qualis à physico definitur. quare non habet subiectum commune extremis, nisi secundùm imaginationem, ut loquitur D. Thom, apud Capreolum in 2. d.1.qu.2.art.3. seu habet subiectum non physicum, seu receptionis, sed Logicum, seu prædicationis, quatenus Angelus v.g. de quo prius negabatur esse, idem est, de quo nunc esse affirmatur. Ad conf. dico, in creatione non haberi nisi successionem rei ad sui negationem; neque verò ut rei existentia sui negationem expellat, opus est subiecto reali, à quo expellat, ut accidit in contrariè, & privativè oppositis. id enim est proprium oppositorum contradictoriè, ut subiectum non respiciant, sed unum tollatur præcisè per positionem alterius; ponatur per alterius remotionem.

Obiic. 2. Hæc propositio, *homo est animal rationale*, est æternæ, ac necessariæ veritatis. ergo habet æternum, ac necessarium verificativum. non mere potentiale; quia non enunciat hominem posse esse, sed esse animal rationale. ergo actuale.

Communis jam responsio ex Suario sic habet. Necessarium aliud simpliciter, & absolutè, aliud secundùm quid, & ex suppositione: Deus est utroque modo necessarius; nam si est, necessario est omnis perfectio; & præterea cum hypo-

thesis

thesis non sit contingens, sed necessaria, simpliciter est necessarium, ut sit actu omnis perfectio. at creatura solùm est necessaria ex suppositione contingenti. quare quidditativæ propositiones quæ de ea formantur, & dicuntur veritatis æternæ, habent sensum conditionalem: ut in data, *si homo est, animal rationale est*. & hoc dicunt communiter, dum dicunt, in hujusmodi propositionibus verbum *est* non restringi ad tempus præsens, sed ampliari, & stare præcisè in vi copulæ denotantis necessariam habitudinem terminorum; ex qua est, ut unus necessariò ponatur ad positionem alterius. Ad hoc autem, ut vera sit conditionalis mera, nihil opus est esse actu: quod est solemne in Dialectica pronunciatum.

Instabis 1. hinc fit, ut prædicata rei necessaria nihil differant à contingentibus; nihil enim est ita contingens, quod necessitatem ex suppositione non habeat.

Resp. prædicata rei necessaria hoc differre à contingentibus, quod illa competunt rei ex sola suppositione, quod sit. quare non habent aliam contingentiam à contingentia rei, cuius sunt prædicata, quatenus subiectum non potest esse, & illa non habere. at contingentia prædicata habent contingentiam distinctam; quia potest subiectum esse, & illa non habere.

Instabis 2. ergo ista propositio, *homo est*, vel *homo existit*, est necessariæ veritatis, quia est necessariò vera ex suppositione.

Resp. negando cons. verbum enim *est*, & *existit* absolutè prolatum in propositione de secundo adiacēte non sumitur in vi copulæ, sed verbi cum significantis tēpus pręsens, & exercitium in eo existentiæ. quare non habet sensum conditionatum, sed absolutum. quod quidem aliam rationem non habet, quam usum loquentium, in eo fundatum; quia secus fieret conditionalis identica, *si est, est*. Idem dicendum de aliis quibusdam

busdam propositionibus, ut *homo subsistit*, *homo est ubicatus, & durans*; quamvis enim sit necessitas, ut homo, dum est, subsistat, ubicetur, & duret, hæc tamen prædicata habent contingentiam aliquam distinctam à contingentia subiecti; cum possit homo hac, vel illa subsistentia subsistere, hac vel illa ubicatione locari &c. & per consequens quacumque subsistat, ubicetur &c. contingenter id habet; saltem id habet infallibiliter per formam distinctam: quæ est ratio, cur communis usus istas propositiones inter necessarias non numeraverit, ad quas requirit, ut veræ sint per solum esse subiecti.

Instabis 3. Propositio huiusmodi utcumque conditionalis est necessariò vera; & hanc necessitatem non habet, nisi ab obiecto, à quo habet veritatem. ergo obiectum in esse suo quidditativo contingens non est; quia contingens non potest dare necessitatem.

Nego conseq. talis necessitas non opponitur contingentiæ simpliciter dictæ: contingentia enim est simultanea potentia ad esse, & non esse: ista autem necessitas est impotentia ad esse simul, & non esse; neque enim est aliud necessitas essendi ex suppositione, quod res sit, quam impossibilitas coniungendi esse cum non esse.

Instabis 4. Propositio est vera ab æterno. ergo habet verificativum æternum; neque enim potest esse veritas constituta sine verificativo constituente. at verificativum est rei essentia. ergo rei essentia est æterna.

Ad hoc argumentum factum satis in Logicis, ubi veritatem æternam propositionis de futuro asserui per verificativum non ab æterno, sed in tempore. Breviter nunc dico, verificativum non requiri, nisi juxta naturam assertionis verificandæ. Ut ergo dum enunciatur futurum, frustra quæritur verificativum præsens, ita dum enunciatur possibile, frustra quæritur verificativum actuale; & dum enunciatur hypothetice,

fru-

frustra quæritur verificativum absolutum, quod autem additur de veritate constituta, quæ esset sine verificativo constituente, satis dictum est ibi, quod eiusmodi constitutiones non physicè sunt, sed logicè; adeoque non requirunt constitutiva præsentia, nisi juxta naturam denominationis constitutæ.

Obiic. 3. Creaturæ ab æterno sunt cognitæ, ergo ab æterno sunt cognoscibiles, tenet enim consequentia ab actu ad potentiam. datur ergo esse rei cognoscibile ab æterno, quod est esse diminutum.

Resp. Creaturas ab æterno fuisse cognitas, & ab æterno fuisse cognoscibiles, sed creaturas cognitas, & cognoscibiles ab æterno non fuisse. Unde perperam infertur dari ab æterno esse rei, quod cognoscitur, aut potest cognosci; est enim fallacia à secundùm quid ad simpliciter ab esse scilicet rei cum addito diminuente ad esse sine addito. Vt ergo esse cognitum actu salvatur per solam cognitionem in actu extrinsecè denominantem obiectum cognitum. ita & esse actu cognoscibile salvatur per potentiam cognoscitivam in actu, extrinsecè denominantem obiectum cognoscibile.

§. IV.

Sententia Godoy exponitur, & reiicitur.

Doctissimus hic author præsentem quęstionem de Scient. Dei tr. 3. disp. 16. § 3 & 4. acutè pro more, sed non ita dilucidè tractat, ut non se verbis aliquantisper involvat. Notat 1. *ens* stare participialiter, in quantum est concretum existentię & stare nominaliter, in quantum est concretum essentię. Notat 2. verbũ *est* sumi ut dicit cõnexionẽ essentialem prędicati cum subjecto; qua ratione quãvis consignificet tempus, absolvitur tamen à tẽpore, quia non petit, ut extrema sint pro differẽtia tẽporis importata. & sumi

pro existentia unitivè significata: & sic restringit extrema ad tempus consignificatum, petitque ut ea sint de præsenti.

Asserit deinde num. 66. creaturas in statu possibilitatis esse actu entia, sumpto ente non participialiter, sed nominaliter, & verbo *est* uniente non pro existentia, sed pro essentiali connexione. In his verbis agnosco equidem ipsissimam sententiam Henrico attributam; nisi quod esse actuale quidditativum appellat ens nominaliter: esse actuale existentiale appellat ens participialiter.

Probat hanc sententiam, reiiciendo nostram. Hæc propositio *homo est ens* (sumpto ente nominaliter) ità est ab æterno vera, ut illa, *homo est animal*, *vivens &c.* sed in ea non enunciatur ens de homine, ut possibiliter, sed ut actu conveniens. ergo homo est actu ab æterno; & reale ens, realitate non existentiæ, sed essentiæ.

Minorem probat 1. quia hæc propositio *homo est ens*, esi diversa ab ista, *homo potest esse ens*. sed in hac enunciatur ens de homine, ut conveniens possibiliter. ergo in illa ut conveniens actu. 2. homo ad sua prædicata ut essentialiter convenientia nunquam fuit in potentia. at in ea propositione ens enunciatur de homine secundùm essentialem convenientiam. ergo non prædicatur ut possibiliter, sed ut actualiter conveniens. 3. non esset discrimen inter prædicata contingentia, & necessaria. ut enim homo est possibiliter ens, & animal, ità est possibiliter quantus, & albus.

Quod si dicatur; quod supra nos diximus, propositiones istas essentiales in sensu tantum conditionali accipiendas, ut necessariæ sint: Instat, hinc sequi, ut hæc etiam, *homo est animal existens*, sit necessariæ veritatis, quæ quidem in sensu conditionali est item necessaria, cum non solùm sequatur, *si homo est, animal est*;

est; sed etiam, *si homo est, animal existens est* . &c.

Sed hæc ratio nihil nos urget. si enim sumatur ens pro potentia ad esse non logica, sed physica; hæc sanè cum sit eadem cum re ipsa, non dicitur absolutè de re, nisi existente: de possibili autem dicitur solùm conditionatè, ut reliqua essentialia prædicata. Nego igitur minorem. Ad 1. prob. dico, eas propositiones differre; neque enim propositiones necessarias explicamus per possibilitatem convenientiæ prædicati ad subjectum (in quo non differrent à contingentibus, ut rectè dicitur in tertia probatione) sed per conditionalem necessariam, in qua necessitas tota non rei est, seu consequentis, sed veritatis, seu consequentiæ. Hæc igitur ipsa *homo est ens*, ut sit necessaria, sic explicanda, si homo est, entitas est capax existendi. Ad 2. distinguo maiorem; ad sua prędicata ut convenientia logicè, & secundùm necessitatem illationis homo numquam fuit in potentia, sed in actu, concedo: ut convenientia physicè, & absolutè; nego maiorem. Ad 3. patet ex dictis §. sup. ad 2.

Ad instantiam, qua urget meram necessitatem conditionalem propositionum quidditativarum, dico, in his attrendendum (quod & suprà monui) communem usum, juxtà quem verbum *est* ampliatur, aut restringitur, ut appellet, aut non appellet tempus consignificatum. Jam verò in his, *homo est animal, vivens &c.* communis acceptio extrahit copulam à tempore præsenti ad notandam meram terminorum connexionem. at si prædicato apponatur adiunctum *existens*, quod est participium exprimens exercitium existendi, restringitur eo ipso copula, & appellat tempus præsens. quare non facit amplius sensum conditionatum, sed absolutum; nec notat bonitatem illationis, sed veritatem obiecti: & æquivalet huic copulativæ, *Homo est, & est animal existens*;

stens. Huius rei non alia est, ut dixi, ratio, nisi communis usus in acceptione vocabulorum. Quod si illa etiam propositio ab aliquo sumatur conditionatè, admitto, quod sit veritatis æternæ. quid tum inde? numquid ex uno loquendi modo mirabilem illam tuam conclusionem stabilies, quæ creaturis realitatem æternam, ac necessariam in actu ante omnem Dei actionem attribuit?

Sed jam educendus hic author est è latibulo, quod sibi è nostris vocibus fabricavit. Opponit enim sibi inter cætera illud: *Existere nihil aliud est, quàm intrinsece actualiter esse in se ipso. ergo si essentia creaturarum sunt actu ab æterno in se ipsis, ab æterno sunt existentes*. Respondet dist. antec. *Actualiter esse in se ipso actualitate exercita dante capacitatem ad proprias operationes, accidentiaque recipienda; concedo antecedens: actualitate signata solum capaci terminandi veram cognitionem; nego antecedens*.

Vocabula actualitatis exercitæ, & signatæ nostra sunt; iisque significamus, rem possibilem ante existentiam habere actualitatem non in se, sed in signo, h. e. in cognitione extrinsecè illam denominante: quemadmodum Cæsar repræsentatus per statuam dicitur esse in actu non exercito in proprio esse, sed signato, in esse scilicet signi repræsentantis. Quid autem velit his vocibus Thomista assertor realitatis intrinsecæ, & actualis possibilium ab æterno, nec ipse declarat, nec ego satis intelligo. Profectò omnis actus exercitium est potentiæ, cuius est actus. Ut ergo distinguit actum essentiæ ab actu existentiæ; ita & habuit duplex exercitium distinguere, alterum essendi quidditativè, alterum essendi existentialiter, utrūq; tamen reale, & in creatura, non in eius signo. Hinc apparet argumentum manere insolutum; sic enim redit sub novis terminis. Existe-

re nihil est aliud, quam intrinsece actualiter esse in se ipso secundum aliquod exercitium essendi. Sed dicuntur fuisse ab æterno creaturæ in se ipsis actualiter secundum aliquod essendi exercitium. ergo revera dicuntur creaturæ extitisse ab æterno. Majorem si negas, dandum est discrimen inter actum, seu exercitium essendi quidditativè, & existentialiter, quod in responsione non datur, & nos negamus posse dari. & quod additur de capacitate operationum, & accidentium, dicimus esse petitionem principii; quousque enim intrinsecum illud discrimen non affertur, semper assumimus, illa non esse duo, sed unum esse, adeoque ab utrovis trahi capacitatem operationum, & accidentium.

Ex his etiam patet, nec solutam ab hoc authore instantiam de existentia, quę habet & ipsa sua prædicata essentialia, adeòque æterna. respondet enim, existentiam ipsam fuisse ab æterno per suam quidditatem (in quo negando deceptum pronunciat Albertinum) non exercitam, sed signatam.

Verùm rogo, quid sit esse exercitum, quid signatum in ipsa existentia? sunt ne duo; an unum esse? Si duo, ut sunt duo Thomistis quidditas, & existentia hominis, manifestè ibitur in infinitum; quia illud etiam esse exercitum ut distinctum re à signato suam quidditatem habet, qua à signato, seu essentiali distinguitur; ut existentiam fateris habere suam quidditatem, qua distinguitur à quidditate rei: jam ergo in hoc ipso esse exercito erit distinguere inter exercitum, & signatum, atque ità in infinitum. Si sunt unum esse; ergo ab æterno fuit realiter, & intrinsece totum esse existentiæ; adeòque homo, & quodvis aliud possibile habuit realiter ab æterno in actu tum essentiam tum existentiam. quid ergo deinde per creationem accepit? Utramque, inquis, in actu exer-

exercito post utramque præhabitam dumtaxat in actu signato. Sed hoc est circuire interminabiliter ad idem. redit enim semper eadem inquisitio de hoc duplici actu reali, & intrinseco in existentia ipsa; si enim re sit idem actus, unum sine altero homo non habuit ab æterno; si distinctus, non sunt duo, sed infiniti actus. Quod si esse signatum existentiæ hominis non aliud reipsa ponis, quàm esse essentiæ hominis, relaberis in sententiam Albertini à te rejectam, & suprà etiam à me in tertio argumento contrà primam sententiam.

CAPUT II.

An sit distinguere in re possibili extrinsecam ab intrinseca possibilitate.

Communis responsio huic quæsito affirmativa est. Eam tradit Aureolus in 1. d.42. parte 2.art.3. ubi ait, res esse possibiles physicè, & denominativè ab activa potentia: & rursus esse possibiles logicè, quòd in se ipsis contradictionem non implicent. Tradit Jo: de Bassolis in 1.d.42. q.2. ubi ait possibile originaliter accipi ex parte Dei, sed formaliter ex creatura. Tradit Richardus ibidem q.7. ubi possibile, inquit, aliud quantum est ex parte sua, aliud in comparatione ad potentiam. Tradit D.Th.1.p. q.25. art.3.o. ubi possibile distinguit in id, quod est tale per respectum ad potentiam, & in id, quod est tale absolutè ex habitudine terminorum, quia scilicet prædicatum non repugnat subiecto. Demum hanc distinctionem supponunt passim omnes Theologi, dum quærunt 1. sit nè divina potentia ratio à priori possibilitatis creaturæ, an è converso; seu, utrum illa causalis sit vera, ideò homo potest esse; quia Deus potest illum facere; an è contrario, ideò Deus potest hominem facere, quia homo po-

thesis non sit contingens, sed necessaria, simpliciter est necessarium, ut sit actu omnis perfectio. at creatura solùm est necessaria ex suppositione contingenti. quare quidditativæ propositiones quæ de ea formantur, & dicuntur veritatis æternæ, habent sensum conditionalem: ut in data, *si homo est, animal rationale est*. & hoc dicunt communiter, dum dicunt, in hujusmodi propositionibus verbum *est* non restringi ad tempus præsens, sed ampliari, & stare præcisè in vi copulæ denotantis necessariam habitudinem terminorum; ex qua est, ut unus necessariò ponatur ad positionem alterius. Ad hoc autem, ut vera sit conditionalis mera, nihil opus est esse actu: quod est solemne in Dialectica pronunciatum.

Instabis 1. hinc fit, ut prædicata rei necessaria nihil differant à contingentibus; nihil enim est ita contingens, quod necessitatem ex suppositione non habeat.

Resp. prædicata rei necessaria hoc differre à contingentibus, quod illa competunt rei ex sola suppositione, quod sit. quare non habent aliam contingentiam à contingentia rei, cuius sunt prædicata, quatenus subiectum non potest esse, & illa non habere. at contingentia prædicata habent contingentiam distinctam; quia potest subiectum esse, & illa non habere.

Instabis 2. ergo ista propositio, *homo est*, vel *homo existit*, est necessariæ veritatis, quia est necessariò vera ex suppositione.

Resp. negando cons. verbum enim *est*, & *existit* absolutè prolatum in propositione de secundo adiacēte non sumitur in vi copulæ, sed verbi cum significantis tēpus præsens, & exercitium in eo existentiæ: quare non habet sensum conditionatum, sed absolutum. quod quidem aliam rationem non habet, quam usum loquentium, in eo fundatum; quia secus fieret conditionalis identica, *si est, est*. Idem dicendum de aliis quibusdam

busdam propositionibus, ut *homo subsistit, homo est ubicatus, & durans*; quamvis enim sit necessitas, ut homo, dum est, subsistat, ubicetur, & duret, hæc tamen prædicata habent contingentiam aliquam distinctam à contingentia subiecti; cum possit homo hac, vel illa subsistentia subsistere, hac vel illa ubicatione locari &c. & per consequens quacumque subsistat, ubicetur &c. contingenter id habet; saltem id habet infallibiliter per formam distinctam: quæ est ratio, cur communis usus istas propositiones inter necessarias non numeraverit, ad quas requirit, ut veræ sint per solum esse subiecti.

Instabis 3. Propositio huiusmodi utcumque conditionalis est necessariò vera; & hanc necessitatem non habet, nisi ab obiecto, à quo habet veritatem. ergo obiectum in esse suo quidditativo contingens non est; quia contingens non potest dare necessitatem.

Nego conseq. talis necessitas non opponitur contingentiæ simpliciter dictæ: contingentia enim est simultanea potentia ad esse, & non esse: ista autem necessitas est impotentia ad esse simul, & non esse; neque enim est aliud necessitas essendi ex suppositione, quod res sit, quam impossibilitas coniungendi esse cum non esse.

Instabis 4. Propositio est vera ab æterno. ergo habet verificativum æternum; neque enim potest esse veritas constituta sine verificativo constituente. at verificativum est rei essentia. ergo rei essentia est æterna.

Ad hoc argumentum factum satis in Logicis, ubi veritatem æternam propositionis de futuro asserui per verificativum non ab æterno, sed in tempore. Breviter nunc dico, verificativum non requiri, nisi juxta naturam assertionis verificandæ. Ut ergo dum enunciatur futurum, frustra quæritur verificativum præsens, ita dum enunciatur possibile, frustra quæritur verificativum actuale; & dum enunciatur hypothetice,

fru-

frustra quæritur verificativum absolutum. quod autem additur de veritate constituta, quæ esset sine verificativo constituente, satis dictum est ibi, quod eiusmodi constitutiones non physicè sunt, sed logicè; adeoque non requirunt constitutiva præsentia, nisi juxta naturam denominationis constitutæ.

Obiic.3. Creaturæ ab æterno sunt cognitæ, ergo ab æterno sunt cognoscibiles, tenet enim consequentia ab actu ad potentiam. datur ergo esse rei cognoscibile ab æterno, quod est esse diminutum.

Resp. Creaturas ab æterno fuisse cognitas, & ab æterno fuisse cognoscibiles, sed creaturas cognitas, & cognoscibiles ab æterno non fuisse. Unde perperam infertur dari ab æterno esse rei, quod cognoscitur, aut potest cognosci; est enim fallacia à secundùm quid ad simpliciter ab esse scilicet rei cum addito diminuente ad esse sine addito. Vt ergo esse cognitum actu salvatur per solam cognitionem in actu extrinsecè denominantem obiectum cognitum. ita & esse actu cognoscibile salvatur per potentiam cognoscitivam in actu, extrinsecè denominantem obiectum cognoscibile.

§. IV.

Sententia Godoy exponitur, & reiicitur.

DOctissimus hic author præsentem quęstionem de Scient. Dei tr.3.disp.26.§ 3 & 4. acutè pro more, sed non ita dilucidè tractat, ut non se verbis aliquantisper involvat. Notat 1. *ens* stare participialiter, in quantum est concretum existentię & stare nominaliter, in quantum est concretum essentię. Notat 2. verbũ *est* sumi ut dicit cõnexionẽ essentialem prędicati cum subjecto; qua ratione quãvis consignificet tempus, absolvitur tamen à tẽpore, quia non petit, ut extrema sint pro differẽtia tẽporis importata. & sumi

pro existentia unitivè significata: & sic restringit extrema ad tempus consignificatum, petitque ut ea sint de præsenti.

Asserit deinde num. 66. creaturas in statu possibilitatis esse actu entia, sumpto ente non participialiter, sed nominaliter, & verbo *est* uniente non pro existentia, sed pro essentiali connexione. In his verbis agnosco equidem ipsissimam sententiam Henrico attributam; nisi quod esse actuale quidditativum appellat ens nominaliter: esse actuale existentiale appellat ens participialiter.

Probat hanc sententiam, reiiciendo nostram. Hæc propositio *homo est ens* (sumpto ente nominaliter) ità est ab æterno vera, ut illa, *homo est animal, vivens &c.* sed in ea non enunciatur ens de homine, ut possibiliter, sed ut actu conveniens. ergo homo est actu ab æterno; & reale ens, realitate non existentiæ, sed essentiæ:

Minorem probat 1. quia hæc propositio *homo est ens*, esi diversa ab ista, *homo potest esse ens*. sed in hac enunciatur ens de homine, ut conveniens possibiliter, ergo in illa ut conveniens actu. 2. homo ad sua prædicata ut essentialiter convenientia nunquam fuit in potentia, at in ea propositione ens enunciatur de homine secundùm essentialem convenientiam, ergo non prædicatur ut possibiliter, sed ut actualiter conveniens. 3. non esset discrimen inter prædicata contingentia, & necessaria, ut enim homo est possibiliter ens, & animal, ità est possibiliter quantus, & albus,

Quod si dicatur; quod supra nos diximus, propositiones istas essentiales in sensu tantum conditionali accipiendas, ut necessariæ sint: Instat, hinc sequi, ut hæc etiam, *homo est animal existens*, sit necessariæ veritatis, quæ quidem in sensu conditionali est item necessaria, cum non solùm sequatur, *si homo est, animal*

est; sed etiam, *si homo est, animal existens est*.

Sed hæc ratio nihil nos urget. si enim sumatur ens pro potentia ad esse non logica, sed physica; hæc sanè cum sit eadem cum re ipsa, non dicitur absolutè de re, nisi existente: de possibili autem dicitur solùm conditionatè, ut reliqua essentialia prædicata. Nego igitur minorem. Ad 1. prob. dico, eas propositiones differre; neque enim propositiones necessarias explicamus per possibilitatem convenientiæ prædicati ad subjectum (in quo non differrent à contingentibus, ut rectè dicitur in tertia probatione) sed per conditionalem necessariam, in qua necessitas tota non rei est, seu consequentis, sed veritatis, seu consequentiæ. Hæc igitur ipsa *homo est ens*, ut sit necessaria, sic explicanda, si homo est, entitas est capax existendi. Ad 2. distinguo maiorem; ad sua prędicata ut convenientia logicè, & secundùm necessitatem illationis homo numquam fuit in potentia, sed in actu, concedo: ut convenientia physicè, & absolutè; nego maiorem. Ad 3. patet ex dictis §. sup. ad 2.

Ad instantiam, qua urget meram necessitatem conditionalem propositionum quidditativarum, dico, in his attendendum (quod & suprà monui) communem usum, juxtà quem verbum *est* ampliatur, aut restringitur, ut appellet, aut non appellet tempus consignificatum. Jam verò in his, *homo est animal, vivens &c.* communis acceptio extrahit copulam à tempore præsenti ad notandam meram terminorum connexionem. at si prædicato apponatur adiunctum *existens*, quod est participium exprimens exercitium existendi, restringitur eo ipso copula, & appellat tempus præsens. quare non facit amplius sensum conditionatum, sed absolutum; nec notat bonitatem illationis, sed veritatem obiecti: & æquivalet huic copulativæ, *Homo est, & est animal existens*.

stens. Huius rei non alia est, ut dixi, ratio, nisi communis usus in acceptione vocabulorum. Quod si illa etiam propositio ab aliquo sumatur conditionatè, admitto, quod sit veritatis æternæ. quid tum inde? numquid ex uno loquendi modo mirabilem illam tuam conclusionem stabilies, quæ creaturis realitatem æternam, ac necessariam in actu ante omnem Dei actionem attribuit?

Sed jam educendus hic author est è latibulo, quod sibi è nostris vocibus fabricavit. Opponit enim sibi inter cætera illud: *Existere nihil aliud est, quàm intrinsece actualiter esse in se ipso. ergo si essentia creaturarum sunt actu ab æterno in se ipsis, ab æterno sunt existentes*. Respondet dist. antec. *Actualiter esse in se ipso actualitate exercita dante capacitatem ad proprias operationes, accidentiaque recipienda; concedo antecedens: actualitate signata solum capaci terminandi veram cognitionem; nego antecedens*.

Vocabula actualitatis exercitæ, & signatæ nostra sunt; iisque significamus, rem possibilem ante existentiam habere actualitatem non in se, sed in signo, h. e. in cognitione extrinsecè illam denominante: quemadmodum Cæsar repræsentatus per statuam dicitur esse in actu non exercito in proprio esse, sed signato, in esse scilicet signi repræsentantis. Quid autem velit his vocibus Thomista assertor realitatis intrinsecæ, & actualis possibilium ab æterno, nec ipse declarat, nec ego satis intelligo. Profectò omnis actus exercitium est potentiæ, cuius est actus. Ut ergo distinguit actum essentiæ ab actu existentiæ; ita & habuit duplex exercitium distinguere, alterum essendi quidditativè, alterum essendi existentialiter, utrumq; tamen reale, & in creatura, non in eius signo. Hinc apparet argumentum manere insolutum; sic enim redit sub novis terminis. Existe-

re nihil est aliud, quam intrinsece actualiter esse in se ipso secundum aliquod exercitium essendi. Sed dicuntur fuisse ab æterno creaturæ in se ipsis actualiter secundum aliquod essendi exercitium. ergo revera dicuntur creaturæ exitisse ab æterno. Majorem si negas, dandum est discrimen inter actum, seu exercitium essendi quidditativè, & existentialiter, quod in responsione non datur, & nos negamus posse dari. & quod additur de capacitate operationum, & accidentium, dicimus esse petitionem principii; quousque enim intrinsecum illud discrimen non affertur, semper assumimus, illa non esse duo, sed unum esse, adeòque ab utrovis trahi capacitatem operationum, & accidentium.

Ex his etiam patet, nec solutam ab hoc authore instantiam de existentia, quę habet & ipsa sua prædicata essentialia, adeòque æterna. respondet enim, existentiam ipsam fuisse ab æterno per suam quidditatem (in quo negando deceptum pronunciat Albertinum) non exercitam, sed signatam.

Verùm rogo; quid sit esse exercitum, quid signatum in ipsa existentia? sunt ne duo; an unum esse? Si duo, ut sunt duo Thomistis quidditas, & existentia hominis, manifestè ibitur in infinitum; quia illud etiam esse exercitum ut distinctum re à signato suam quidditatem habet, qua à signato, seu essentiali distinguitur; ut existentiam fateris habere suam quidditatem, qua distinguitur à quidditate rei. jam ergo in hoc ipso esse exercito erit distinguere inter exercitum, & signatum, atque ità in infinitum. Si sunt unum esse; ergo ab æterno fuit realiter, & intrinsece totum esse existentiæ; adeòque homo, & quodvis aliud possibile habuit realiter ab æterno in actu tum essentiam tum existentiam. quid ergo deinde per creationem accepit? Utramque, inquis, in actu

exer-

exercito post utramque præhabitam dumtaxat in actu signato. Sed hoc est circuire interminabiliter ad idem. redit enim semper eadem inquisitio de hoc duplici actu reali, & intrinseco in existentia ipsa; si enim re sit idem actus, unum sine altero homo non habuit ab æterno; si distinctus, non sunt duo, sed infiniti actus. Quod si esse signatum existentiæ hominis non aliud reipsa ponis, quàm esse essentiæ hominis, relaberis in sententiam Albertini à te rejectam, & suprà etiam à me in tertio argumento contrà primam sententiam.

CAPUT II.

An sit distinguere in re possibili extrinsecam ab intrinseca possibilitate.

COmmunis responsio huic quæsito affirmativa est. Eam tradit Aureolus in 1. d.42. parte 2.art.3. ubi ait, res esse possibiles physice, & denominativè ab activa potentia: & rursus esse possibiles logicè, quòd in se ipsis contradictionem non implicent. Tradit Jo: de Bassolis in 1.d.42. q.2. ubi ait possibile originaliter accipi ex parte Dei, sed formaliter ex creatura. Tradit Richardus ibidem q.7. ubi possibile, inquit, aliud quantum est ex parte sua, aliud in comparatione ad potentiam. Tradit D.Th.1.p. q.25. art.3.o. ubi possibile distinguit in id, quod est tale per respectum ad potentiam, & in id, quod est tale absolutè ex habitudine terminorum, quia scilicet prædicatum non repugnat subiecto. Demum hanc distinctionem supponunt passim omnes Theologi, dum quærunt 1. sit ne divina potentia ratio à priori possibilitatis creaturæ, an è converso; seu, utrum illa causalis sit vera, ideò homo potest esse, quia Deus potest illum facere; an è contrario, ideò Deus potest hominem facere, quia homo po-

teſt eſſe. ſupponunt 2. dum quærunt, ſit nè Deus eſſentialiter connexus cum creaturæ poſſibilitate. quæ ſanè quæſtiones locum non habent, ſi ſupponas, hominem poſſe eſſe, formaliter aliud non importare, quàm Deum poſſe illum facere. inter formam enim, eiuſque formalem effectum non poteſt intercedere habitudo prioris, & poſterioris: imò nec poteſt intercedere connexio, quæ eſt relatio inter diſtincta.

Probatur 1. communis hæc aſſertio. Omnis creatura poſſibilis eſt ſua ſibi poſſibilitas intrinſeca: Deus autem eſt creaturæ poſſibilitas extrinſeca. at creatura omnis realiter diſtinguitur à Deo. ergo poſſibilitas intrinſeca creaturæ realiter diſtinguitur ab eiuſdem extrinſeca poſſibilitate. Maior prob. nam cætera conſtant. quælibet creatura poſſibilis conſtat intrinſecè perfectionibus, & prædicatis non repugnantibus, quæ ſcilicet ſi ponantur in eſſe, contradictionem non involvunt. hæc autem conſtitutio, formalis rei poſſibilitas eſt, cum ſit ipſa ratio entis realis, qua unumquodque à chimæra ſecernitur. Ut ergo omnis creatura eſt ſua ſibi entitas, ità & ſua ſibi poſſibilitas. Rurſus hæc ipſa dicitur poſſibilis à divina potentia, ſeu veriùs ab ea producibilis, in quantum perfectio omnis creata continetur eminenter, & virtualiter in Deo, à quo ut ab efficiente poteſt accipere eſſe. poſſibilitas ergo extrinſeca non eſt, niſi divina ipſa potentia denominans ſimul activè Deum potentem facere, & paſſivè creaturam potentem fieri: quemadmodum potentia intellectiva denominat hominem potentem intelligere, & obiectum potens intelligi.

Prob. 2. argumento, quod mutuatus eſt ex Philoſopho D. Thom. Philoſophus quidem 5. Met. in c. *De ad aliquid*, probat intelligibile per extrinſecam denominationem ab intellectiva non poſſe aſſignari pro obiecto intellectivi,

ut nec visibile visivi &c. aliter enim inquit, *idem bis dictum esset*; siquidem cum potentia manifestetur per obiectum, si intelligibile nihil aliud formaliter esset, quàm quod potest intelligi ab intellectu, potentia intellectiva definiretur, quæ potest intelligere, quod potest ab ipsa intelligi; quod non esset explicare, sed circulare, & nugari. hinc pro obiecto intellectus non assignatur intelligibile, sed ens, pro obiecto visus non visibile, sed coloratum, & sic de aliis. Eodem modo, inquit D. Thom. *Si dicatur, quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia, quæ sunt possibilia sua potentia, erit circulatio in manifestatione omnipotentiæ. hoc enim non erit aliud, quàm dicere, quod Deus potest omnia, quæ potest. Relinquitur igitur, quod Deus dicatur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolutè, qui est alter modus dicendi possibile.* Ex eo igitur, quod admittitur extrinseca, evidenter colligitur, quod debet admitti intrinseca possibilitas.

Ex his deducitur 1. possibilitatem intrinsecam esse indistinctam ab entitate rei; consonantia enim, seu nō repugnantia prædicatorū, in qua consistit possibilitas, sunt ipsa prædicata, & prædicata rei sunt ipsa entitas rei. Et quidem per id res est possibilis, per quod distinguitur à chimæra. at per se ipsam res chimæra non est.

Deducitur 2. possibilitatem rei non distingui ab existentia rei. possibilitas enim rei est ipsa rei entitas. eadem entitas est existentia rei, ut infrà probabo, ergo possibilitas est existentia rei.

Deducitur 3. nullam fuisse ab æterno rei possibilitatem intrinsecam, eo ipso, quod nulla fuit rei entitas, & existentia, quæ à possibilitate non distinguuntur.

Deducitur 4. tam esse contingentem hanc propositionem, *homo est possibilis*, quam hanc,

homo est existens, si utraque proferatur in sensu categorico, & absoluto: cæterùm ex usu loquentium illam esse necessariam, hanc contingentem; quia illa communiter usurpatur ut implicitè conditionalis, & facit hunc sensum, *si homo est, contradictionem non implicat*: hæc verò usurpatur ut absoluta, & facit hunc sensum, *homo est*.

Deducitur 5. nullum possibile esse non repugnans per negationem repugnantiæ ab omni positivo contradistinctam, per illud enim res non repugnat, per quod opponitur repugnanti, seu chimæræ. at per se ipsam, ut dictum est, formaliter est ens, & opponitur chimæræ. ergo per se ipsam est non repugnans, non verò per distinctam repugnantiæ negationem.

Obiic. impossibilitas nulla est intrinseca rei impossibili. ergo nec possibilitas rei possibili. antec. prob. 1. Impossibilitas chimæræ est negatio chimæræ. at negatio chimæræ non est chimæra; tum quia universim negatio formæ non est forma ipsa negata; quis enim dicat tenebras esse lucem? tum quia sic negatio chimæræ chimęrica esset, adeoque essentialiter non esset, at ubi negatio non est, est forma negata, & per consequens ubi negatio essentialiter non est, essentialiter est forma negata. ex hoc autem fieret, ut chimæra essentialiter esset, quia eius negatio essentialiter non esset.

Prob. 2. idem antec. Impossibilitas chimæræ non est impossibilis: sed chimæra est impossibilis. ergo impossibilitas chimæræ non est chimæra. Maior prob. quid fingi potest evidentiùs, quàm non esse impossibilem impossibilitatem chimæræ, quæ si impossibilis esset, chimæra possibilis esset; illud enim est possibile, cuius est impossibilis impossibilitas. Confirm. pessima est chimæra; optima est eius repugnantia. ergo repugnantia chimæræ non est chimęra. ant. prob. ratio, cur pessimum non existat,

est

est optima; malum enim non excluditur, nisi à bono, adeoque pessimum nonnisi ab optimo: Sed repugnantia chimæræ est ratio excludens chimæram. ergo optima est repugnantia chimæræ.

Resp. evidenter ex dictis constare, ut duplex est rei possibilitas, altera consistens in consonantia prædicatorum, altera in potentia possibilium productiva, ita & duplicem esse impossibilitatem, alteram, quæ sit ipsa prædicatorum dissonantia, alteram, quæ sit eorundem improducibilitas; quæ quidem cum omnipotentia confunditur, ut dicam infra c.4.

Nego igitur antec. ad 1. prob. nego minorem, per hoc enim chimæra est chimæra, quia involvit identicè esse, & non esse eiusdem. negatio autem, quæ distinguitur à forma negata, ut negatio lucis in aere, est negatio contingens, non chimærica. Neque valet modus ille arguendi, *negatio chimaræ non est, ergo chimæra est*: imò oppositum sequitur evidenter, *ergo chimæra non est*, si chimæra essentialiter est suum non esse: ex quo etiam fit, ut sequatur evidenter ex eo, quod chimæra sit; quod negatio etiam chimæræ sit.

Dices, alia est negatio, quam includeret chimæra si esset, alia est negatio, quæ modo chimæram excludit. quod evidenter ostenditur. nam negatio, quæ nunc excludit chimæram, excludit tantùm: at negatio inclusa in chimæra excludit, & non excludit.

Sed ista sanè non est evidentia, sed illusio. negatio inclusa in chimæra, quæ est negatio identificata cum esse à se negato, chimæram nunc formaliter excludit tantùm, quia cum de facto talis negatio simpliciter non sit, & per se formaliter non sit, facit ut chimæra simpliciter non sit. Rursus eadem excluderet, & non excluderet, si esset; quia scilicet diceret actu esse, & non esse, adeò

que inclusionem, & exclusionem eiusdem.

Ad 2. prob. eiusdem antecedentis nego majorem. ad prob. author ipsius, qui tertio quoque verbo ructat evidentiam, debuisset advertere, impossibilitatem chimæræ esse eiusdem repugnantiam, repugnantiam autem ex vi vocis esse pugnam, seu oppositionem prædicatorum. quæ quidem esse actu physicè non potest, nisi existant prædicata pugnantia; adeòq; cum ista simul esse non possint, nec poterit esse actu repugnantia, nec impossibilitas. certum ergo est ex ipsa vocum notione impossibilitatem ipsam impossibilem esse, quatenus esse in rerum natura non potest: quod est evidens evidentia primi principii. Dum verò additur, possibile esse illud, cuius impossibilitas impossibilis est, distinguendum: cuius impossibilitas est impossibilis impossibilitate convenientiæ: verum est: impossibilitate existentiæ; falsum. possibile igitur est, cui nec convenit, nec potest convenire repugnantia: non verò cui conveniens repugnantia nec est, nec potest esse. uno verbo: possibile est, non cuius, sed cui impossibilitas est impossibilis.

Ad conf. ratio excludens chimæram ipsi chimæræ est mala; tollit enim ab eo fundamentum omnis boni, quod est esse: mundo, & naturæ est bona, quia tollit chimæram: sed bona est etiam, & mala in hoc sensu chimæra ipsa; bona universo, à quo se tollit: mala sibi, quia se tollit, & ex hoc est chimæra, quod si loquamur de bonitate absoluta, quæ entis est passio, nec convenit ea chimæræ, nec eius repugnantiæ; utraque enim merus est defectus, & imperfectio, cum nihil habeat in se perfectionis, quod non omnino à se tollat per oppositam negationem.

CA-

CAPUT III.

Intrinseca, an extrinseca rei possibilitas verificet propositiones æternæ veritatis.

Mirum est, quam multum Recentiores nonnulli laborent, ut rem præsentem satis perspicuam intempestivis speculationibus involvant. Contendunt præcipuè illud, ut propositionibus veritatis æternæ æternum actuale verificativum inveniant: & quia esse intrinsecum creaturæ in actu cum diminutum, tum quidditativum excludunt, ad Deum confugiunt; & hinc censent porrò demonstrari Dei existentiam. Propterea ex iis aliqui apud Nicol. Martinez citatum disp. 3. contr. 2. dixerunt rei cuiusque duplicem esse essentiam, aliam creatam, aliam increatam: & hanc verificare propositiones necessarias, illam contingentes, quæ de creatura formantur. Alius verò possibilitatem in potentialem distinguit, & actualem: & hanc esse statuit Deũ ipsum, cui uni debetur scilicet veritas actualis æternarum propositionum; cum à prima non habeatur, nisi in potentia. Et hoc quidem post rationes, ut loquitur, evidentes testimonio totius antiquitatis tum sacræ, tum prophanæ confirmat.

Ego verò rem istam, quæ multis non eget, paucis expediam. Suppono ex dictis in Logica l. 2. qu. 4. cap. 2. in propositione necessariò vera aliud formaliter esse veritatem, aliud necessitatem, in veritate convenit necessaria cum contingenti, à qua disconvenit in necessitate. Veritas est conformitas mera enunciationis cum re enunciata, & admittit propterea rem enunciatam, ut suum constitutivum formale. Rursus hæc eadem se habet ut terminus

in quem cadit necessitas, aut contingentia.

Hinc habes, verificativum propositionis æternæ, quæ de creatura concipitur, non esse, nisi creaturam. Ratio est, quia vel supponis propositiones eiusmodi de creatura ipsa formari, vel non. Si secundum; negas ergo cognosci ab æterno creaturam; unde quæstio nulla erit, quia de subiecto non supponente. Si primum, concedas oportet, creaturam ipsam verificare; quæ si ita est, ut esse enunciatur, propositio erit vera: sin minus, falsa; ex eo enim, quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est. Et res quidem, de qua hic est sermo, non est res alia ab ea, de qua elicitur enunciatio: & quæ una ostenditur ab omnibus, per cujus conformitatem, aut difformitatem veri, aut falsi denominatio in propositionem redundet. Manifestum ergo est, quòd ista propositio, *homo est rationalis*, non aliud ab homine verificativum formale habet, aut habere potest.

Necessitas deinde huius veritatis, quæ formaliter non est conformitas, sed connexio entitatis propositionis cum entitate obiecti ita se habentis ut enunciatur, ex triplici capite oritur in Deo possibilia ab æterno cognoscente, ex natura scilicet actus, medii, & obiecti, & actus quidem divinus cum Deo identificatus, ac proindè perfectionis in cognoscendo infinitæ, is est, cui falsitas repugnet, seu repugnet aliquid cognoscere aliter, ac est. in quo cognitio Dei necessaria, seu simplicis intelligentiæ convenit omnino cum contingente, seu visionis. sed disconvenit primùm in motivo, seu verius medio, à quo & habet necessitatem propriam; essentia enim divina, quæ est medium; in quo possibilia cognoscuntur, cum possibilibus essentialiter connexa, certificat essentialiter Deum de natura possibilium: quod non habet scientia visionis, pro qua nullum est tale medium æternum.

Dif

Differt demum in objecto, quia veritas per illam enunciata est ipsa etiam necessaria, cum veritas enunciata per scientiam visionis sit contingens. illa enim enunciat. *hominem esse rationalem* : in quo habetur, ut dixi, sensus conditionatus, adeoque ex suppositione necessarius, *si homo est, animal rationale est:* quæ veritas obiectiva contingentiæ non subest; quia evidens est, non posse simul hominem esse, & esse, quod non est; aliter simul esset, & non esset. at scientia visionis enunciat absolutè hominem esse; quæ est veritas obiectiva obnoxia contingentiæ. Est quidem in hac etiam scientia suppositio, quæ tamen cadit supra existentiam scientiæ, sed à scientia non enunciatur; divina enim visio cadit in rem extra se ex suppositione, quod res sit: sed non enunciat, rem esse ex suppositione, quod sit.

Hinc habes, rem contingentem non solum afferre veritatem propositioni æternæ, sed etiam necessitatem: illa enim dicitur ex hoc capite necessaria propositio; quæ veritatem enunciat necessariam per se, & indefectibilem: atqui talis est veritas obiectiva eiusmodi propositionis; quia eius oppositum non contingit, neque enim contingit, ut homo sit, & rationalis non sit, h. e. ut sit, & non sit. Hæc sane omnia ita videntur manifesta, ut non videam, quo jure possint in dubium revocari.

Dices tamen 1. quamvis impossibile sit hominem esse, & rationalem non esse; hæc tamen ipsa impossibilitas, seu necessitas ex suppositione non est homo ipse, sed Deus.

Sed contra est; unumquodque enim dum est, per se formaliter excludit suum contradictorium, cum quo scilicet per se formaliter est impossibile: quod est evidens evidentia primi principii. ergo homo dum est, per se formaliter excludit *non rationale*, quod quia se ipsa est *non homo* contradictoriè opponitur

nitur homini. ergo per se formaliter impossibilitat istam propositionem, *homo est, & rationale non est*; adeoque reddit illam conditionalem necessariam, *si homo est, & rationale est*, formaliter per se ipsum.

Explicatur magis argumenti vis, quæ mihi est demonstrativa. Dupliciter potest ens excludere sui negationem: primo modo eam reddendo simpliciter impossibilem; qua ratione solus Deus excludit negationem sui: secundo modo eam reddendo sibi incompossibilem; qua ratione quodlibet ens per se ipsum formaliter sui negationem excludit; quia quodlibet est per se cum sui negatione inconjungibile; ex terminis enim, & non aliunde formaliter est verum, idem non posse simul esse, & non esse. Hinc fit, ut suppositio essendi sit necessitas metaphysica, qua excluditur à simultate cum ipsa suppositio non essendi; neque enim potest non esse necessaria exclusio simultatis impossibilis: imò illud idem, quod facit formaliter impossibilem simultatem, debet facere formaliter necessariam exclusionem; cum impossibilis simultas, & necessaria exclusio sint formalissimè idem. Ex his ita arguo, & ostendo hanc propositionem, *si homo est, animal rationale est*, esse non solum veram, sed etiam necessariam per ipsum hominem. Per illud formaliter est necessaria hæc, per quod formaliter est impossibilis contradictoria, *si homo est, animal rationale non est*. atqui hæc secunda per hominem est formaliter impossibilis. ergo illa prior per hominem est formaliter necessaria. Major est evidens ex Summulis ubi de propositionum æquipollentia. Minor est evidens ex modò dictis: cum enim animal rationale non esse, & hominem non esse sint formaliter idem, illa æquivalet huic, *si homo est, homo non est*. hæc autem habet impossibilitatem ab eo formaliter, quod formaliter excludit simultatem homi-

hominis cum sua negatione: hoc autem aliud non esse, quàm hominem ipsum, veritas primi principii ex terminis nota abundè ostendit.

Dices 2. possibilitas rei creatæ alia est potentialis, & contingens, quæ est ipsa res possibilis: alia actualis, & simpliciter necessaria, quæ ab ipsa distinguitur, & est Deus. quod si ergo propositio æterna æternùm est vera, & necessaria, ab hac, non ab illa suam & veritatem, & necessitatem mutuabitur.

Distinctio ista possibilitatis non mala est, si coincidat cum nostra, & communi, superiori capite declarata. sed omninò perperam actualis, & extrinseca possibilitas, seu producibilitas rei assumitur in verificativum propositionis æternæ, cum enunciatio non sit de illa, sed de termino illius, quem tu possibilitatem potentialem, nos intrinsecam dicimus. similiter enim poteris hujus propositionis, *ego sum* Deum etiam velle verificativum. quod si ex eo, quod propositio sit actu vera, contendis verificativum esse actu, ea est recocta crambe, in quam multa in Logicis, ubi de propositionibus de futuro.

Dices 3 propositiones veritatis æternæ enunciant aliquod necessarium de præsenti. ergo non satis verificantur per ipsam rem possibilem contingentem. antec. prob. 1. Idem est formalissimè dicere, *homo si esset, animal rationale esset*, ac dicere, *Necesse est, hominem esse animal rationale*. sed hoc est affirmare necessitatem absolutè de præsenti. ergo. 2. omnis propositio conditionata in materia necessaria resolvitur in absolutam modalem de modo necessario, ut patet inductione; nam hæc propositio, *equus si esset, esset hinnibilis*, resolvitur in hanc modalem, *Necesse est equum esse hinnibilem*. 3. datur actu in rerum natura necessitas, ne verificentur contradictoria, ista ne-

cessi-

cessitas distinguitur à qualibet creatura; quia etiam, homine non existente, datur necessitas ut homo, si est, non sit simul homo, & non homo. Rursus ista necessitas enunciatur in propositionibus æternis. ergo.

Non nego dari necessitatem actualem æternam, ut homo sit rationalis eo ipso, quod est. sed dico eam esse necessitatem extrinsecam, & non enunciatam, adeòque nec verificativam. Nego igitur antecedens: in cuius triplici probatione nullam aliam probationem invenio, quam principia ad libitum sumpta sine probatione, ut videre est in secunda; quæ principium sumit falsissimum, & ab omnibus negatum, ut jam ostendo, illudque ut probet inductione, affert unum exemplum in materia hic controversa. Quæro igitur, in quibus Summulis illa propositionum æquivalentia reperiatur, ut conditionalis pura ponat aliquid in esse, necessitatem scilicet hypothesis absolutam, & sine addito? imò verò ab illa conditionali ad categoricam modalem consequentiam non valere, nisi fallor, demonstratur; tum quia in conditionali necessaria necessitas cadit in solam illationem, seu connexionem unius veritatis cum alia: in modali verò absoluta necessitas transfertur in hypothesim ipsam. quid autem certius in Dialectica, quàm ex antecedenti contingente posse haberi necessariam consequentiam, quin antecedens evadat necessarium? tum quia si modus de necesse cadit suprà dictum absolutum, jam ergo verum est, & necessario verum ab æterno, quod homo absolutè sit animal rationale, adeoque & quod absolutè sit. ubi enim prædicatum non est additum distrahens, aut diminuens, semper tenet à propositione de tertio ad propositionem de secundo adjacente.

Quod si dictum illius modalis vis hypotheticum, h. e. *necesse est, hominem esse rationalem*,

lem, si est; tunc dico, quod ly *necesse est*; vel appellat necessitatem rei; & perperam ea deducitur absoluta, ut constat ex modo dictis: vel appellat necessitatem illationis: & hæc quidem imbibitur in prima propositione conditionali; sed ad hanc non requiritur necessitas, nisi conditionata rei. ut enim sit ab æterno necessariò verum, quod, si homo esset, rationalis esset, id satis est, ut homo in nullo casu sit, & rationalis non sit.

Quod demum additur de necessitate, ne verificentur contradictoria, nihil est. dico enim, ut dixi, eam esse ab ente indistinctam, quod scilicet se ipso opponitur chimæræ, adeòque se ipso essentialiter contradictionem excludit. Hinc necessitas ista in uno est absoluta, nimirum in Deo, & in reliquis solùm ex suppositione, quod sint. Sed hæc est satis ad verificandas propositiones æternas, quæ de creaturis hanc unam necessitatem enunciant.

CAPUT IV.

Utrum extrinseca, & intrinseca rerum possibilitas sint invicem essentialiter connexa.

SEnsus quæsiti est obvius. quæritur, utrum divina potentia, quæ extrinlecè denominat possibilem creaturam, sit essentialiter connexa cum eiusdem creaturæ intrinseca possibilitate; ità ut facta suppositione impossibili, quod homo v. g. possibilis non esset, eo ipso fieret, Deum quoque esse impossibilem. Huic quæsito respondet negativè Scotus, quem ex nostris sequitur Vasquez, Arrubal, Alarcon, aliique apud Oviedum contr. 10. Met. punct. 4. Affirmativè respondet D. Thomas, cujus partibus accedit Suarez, Fasolus, Ruiz, Granadus, aliique apud eundem.

Hanc

Hanc ego sententiam amplector, & probo 1. Connexa essentialiter sunt illa, ex quorum uno per necessariam consequentiam infertur aliud. atqui ex divina potentia sic infertur possibilitas cujuscumque entis intrinseca. ergo cum illa essentialiter connectitur: min. prob. ista consequentia est necessaria, datur in Deo potentia productiva hominis: ergo homo est possibilis; ad impossibile enim nulla est potentia; aliter esset potentia productiva termini improducibilis.

Respondent, esse in Deo potentiam etiam ad impossibilia, absolutam, & quantum est ex parte ipsius Dei, quatenus posset per virtutem, qua pollet, ea ponere, si possibilia essent. hanc igitur potentiam dicunt mansuram in Deo, si homo non esset possibilis.

Sed contra est 1. quia hoc est ponere Deum potentem ad extrà non complete, sed incompletè; quia scilicet ut intelligatur adæquatè potens hominem v.g. non satis est, si intelligatur ejus virtus, sed requiritur præterea, ut intelligatur hominis possibilitas, quæ ab ipsa non inducitur, sed supponitur; si enim inducitur, non est conditio, sed terminus. Nunc sic. Perfectior ex terminis est potentia, quæ nihil supponit, ut possit, sed utitur se sola, se solam consulit, dum vult exire in actum. Deo igitur hæc potentia est concedenda, cui nihil perfectionis deesse potest.

Secundò, dum dicitur Deus posse etiam chimæram, si chimæra est possibilis, aut sensus est de vera potentia, aut de fictitia. Secundum est intentum; hinc enim fieret, ut si homo impossibilis esset, non esset amplius vera potentia ipsius productiva; & cum de facto sit vera hominis productiva in Deo potentia, ex vi hypothesis vera potentia transiret in non veram; adeòque Deus in non Deum. Primum dici non potest; quia est impossibilis vera potentia ad

aliquid

aliquid sub conditione, qua posita, illud non posset amplius produci. sed si chimæra esset possibilis, non posset amplius à Deo produci: quod ostendo: nam vel maneret chimæra sub prædicato possibilitatis; atque ità improducibilis evidenter esset; quia esset chimæra ex parte subiecti, & iterum chimæra ratione adjuncti, ipsique repugnantis prædicati. vel non maneret chimæra; ità ut sit hypothesis destructiva subiecti: & jam constat, quod non possit amplius produci; non enim ipsa produceretur, sed aliud omninò ab ipsa.

Probo hanc ipsam sententiam iterum. Non potest esse causa producens actu, nisi eadem sit connexa cum termino actu existente. ergo neque potest esse causa potens producere, nisi connexa sit cum termino potente existere; conf. prob. admisso opposito consequentis, stare non potest veritas antecedentis. tam enim actio est habitudo ad terminum existentem, quam potentia ad possibilem: ex quo Arist. 5. Met. cap. *De ad aliquid* in secundo genere Relationis ponit *activa, & passiva secundum activam, & passivam potentiam, & poteptiarum actiones*. Si igitur hoc non obstante, fingi potest potentia ad terminum possibilem sub conditione, & ex hoc non connexa; cur fingi non potest actio ad terminum existentem sub conditione, & ex hoc ab ejus connexione absoluta? Neque juvat dicere, quod actio sit via ad termini existentiam. Nam ad eam est via etiam potentia, quatenus ut actio est positio existentiæ, ità potentia est virtus ejus positionis, quare in utraque est ratio viæ indistincta à ratione habitudinis, quæ si in actione separabilis non est ab existentia termini; in potentia separari non poterit à termini, & actionis possibilitate.

Dices. datur divina cognitio de rerum existentia non connexa cum rerum existentia, nec

nec inde sequitur posse dari actionem non connexam cum existentia termini. igitur multò minùs potest ex hoc inferri connexio divinæ potentiæ cum termino suo, sed hæc poterit multo magis, quam scientia esse à tali connexione absoluta.

Resp. hoc dicendum de divina cognitione sumpta specificativè propter ejus indifferentiam. At neque in actione est indifferentia ad terminum existentem, & non existentem: neque in potentia ad possibilem, & impossibilem. Aliter ergo de divina cognitione philosophandum, ac de actione, & potentia, sed non aliter de actione, ac de potentia.

Probo 3. eandem sententiam, destruendo præcipua fundamenta adversariorum, qui in eo sunt toti, ut ostendant ab ejusmodi connexione refundi imperfectionem in Deum. quod assumptum si ostendatur falsum, non solum indirectè, sed etiam directè manebit probata conclusio; cum sit manifestum esse in Deo, quidquid imperfectionem non habet.

Prima igitur imperfectio, quæ in Deo esset vi huiusmodi connexionis, est; quia diceretur impossibile non posse fieri, non tantùm ex defectu possibilitatis in se, sed etiam ex defectu virtutis in Deo. Sed hæc imperfectio nulla est. 1. quia, ut acute notat Aureolus, ex eo quod dicatur impossibile esse, quod non potest à Deo fieri, tantum abest, ut aliquid imperfectionis invehatur in Deum, ut potius ità explicetur infinita Dei potentia. impossibilia enim absolutè talia dicuntur non per ordinem ad impotentiam, sed potentiam, imò & omnipotentiam, quandoquidem ut dicitur quis impotens facere, non quod fieri non potest (in quo non distingueretur à potente, qui & est impotens facere impossibilia) sed quod fieri potest: ità dicitur impossibile fieri non in ordine ad causam impotentem (in quo non distin-

gue-

gueretur à possibili, quod nec potest ab impotente fieri, sed causam potentem, imo & omnia potentem; quia scilicet non potest fieri ab eo, qui potest omnia facere. 2. non posse facere impossibilia est formalissime posse facere possibilia; ut impossibile non est aliud, quam duo possibilia invicem repugnantia:quod sequenti quæstione ostendam. hoc igitur est Deum non posse facere hircocervum, posse facere hircum, & cervum essentialiter se ab una entitate excludentes. illa ergo, quæ explicatur, ut impotentia, non impotentia revera est, sed potentia.

Altera imperfectio, quam in Deo connexio ista reponeret, est dependentia à creatura, seu creaturæ possibilis indigentia. Dependentia tamen excluditur, quia vel sermo est de Logica, vel de physica dependentia. Logica, quæ est veritatis à veritate, nullam imperfectionem involvit, cum & de facto ab existentia creaturarum inferatur per demonstrationem *quia* existentia Dei, & ab existentià Filii inferatur in Trinitate existentia Patris sine ulla imperfectione aut in Deo, aut in Patre. Vel sermo est de physica dependentia: atque hæc evidenter est nulla. 1. quia nulla est dependentia à non ente, at creatura merè possibilis nihil est. ergo quamvis cum ea Deus connectatur (quod non pugnat; quia connexio ista non tam est ratione possibilium, quam ratione divinæ potentiæ trahentis hanc necessariam veritatem, ut si illa sint, contradictionem non involvant) non tamen ab ea ullatenus pendet. Ex hoc etiam fit, ut ea non indigeat; quia nemo dicitur indigere eo, quod sine minima suæ felicitatis diminutione potest ad libitum ponere, & non ponere. Conf. 1. etiam in sententia adversariorum Dei potentia connectitur cum hac veritate conditionali, *Si Mundus est possibilis, potest à Deo produci*, sine ulla dependentia Dei

ab illa veritate. ergo fine ulla dependentia poterit connecti cum hac alia veritate conditionali, *Si Mundus est, contradictionem non involvit*. Conf. 2. Deus non connectitur cum creaturis possibilibus, nisi ex vi suæ infinitæ perfectionis, à qua intrinsece habet, ut possit se ad extra communicare. non ergo connectitur cum creaturis, ut ab illis accipiat; in quo est ratio dependentiæ; sed ut illis det: quæ est potius formalis ratio independentiæ.

Secundò, qui ex connexione arguit dependentiam, committit fallaciam consequentis; arguit enim à superiori ad inferius positivè, ut, *est animal, ergo est homo*. Connexio est quid superius, latiusque patens, quam dependentia. Nam & Sol connectitur cum luce, & materia cum forma, & creatio cum suo termino, & præmissæ cum conclusione: nec tamen ulla est dependentia in his; aliter dependentia, seu causalitas mutua esset. Hoc idem rectè ostendit Godoy ex connexione, quæ intercedit in divinis inter Patrem, & Filium ex ipsa vi Paternitatis. quamvis enim ibi dependentia impediretur ratione identitatis essentiæ; quia tamen quæ in creatis est dependentia, in divinis est originatio, non posset vitari juxta adversariorum doctrinam, quod Pater, si minus dependeret, saltem originaretur à Filio.

Tertia imperfectio esset, quod tolleretur à Deo perfectio entis summè necessarii; quæ enim invicem connectuntur essentialiter, sunt æqualiter necessaria; ergo Deus essentialiter cum creatura connexus non plus necessitatis haberet, quam habeat terminus suæ connexionis. hoc autem est falsum. Deus enim est ens multò magis necessarium, quam creatura. Hoc argumentum ut solvat P. Nicol. Martinez loc. cit sect 2. multis ostendere nititur, inter necessaria simpliciter dari gradua-

litatem secundùm magis, & minus. tùm sect. 3. ingeniosè demonstrat, nullam esse in eo repugnantiam, ut magis necessarium cum minus necessario connectatur. Ab hoc equidem labore supersedeo; nam & ab illo est ita exhaustus, ut nihil addi possit: & est mihi supervacaneus, qui infra qu. 3. ostendam ex professo, non dari magis, & minus in necessitate simpliciter, & Metaphysica.

CAPUT V.

Utrum entis actualitas, seu existentia ab eiusdem essentia, seu quidditate realiter distinguatur.

DIv. Thomas 1. p. q. 3. art. 4. De ente, & essentia c. 5. & 2. contra Gentes c. 52. existentiam creatam ab essentia realiter distinguit. Magistrum suum sequitur tota Thomistarum Schola, & extra eam Ægydius, quibus præluxerant Albertus, & Avicenna. In oppositum sunt Scotistæ, Nominales, & Recentiores nostri ferè omnes. Huic ego sententiæ eò libentiùs subscribo. quod si recedo à Div. Thoma, accedo ad Augustinum. is enim l. 7. de Trinit. in Veneta impressione anni 1584. fol. 111. col. 4. lit. A. sic habet: *Quod est sapientia sapere, & potentia posse, & æternitati æternam esse, justitia justam esse, magnitudini magnam esse, hoc est essentia ipsum esse.* quibus verbis, quod supponat ex genere identitatem inter essentiam, & esse, constat manifestè ex contextu. intendit enim probare in Deo omnimodam identitatem inter eius sapientiam, & essentiam: *Quia*, inquit, *in illa simplicitate non est aliud sapere, quam esse, eadem ibi sapientia est, quæ essentia.* Sic igitur arguit. Essentia idem est, ac esse; idem est, ac sapere, sapientia, sed in Deo propter summam simplici-

cita-

citatem idem est sapere, & esse. ergo idem in Deo est sapientia, & essentia. quod autem ista major ab Augustino sumatur non ut contracta ad Deum, sed in sua universalitate, constat ex præcedentibus, ubi probat universim omnem formam habere in se illam denominationem, quàm tribuit subjecto: *Sicut*, inquit, *absurdum est dicere, candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere, sapientem non esse sapientiam, &c.*

§. I.

Essentia creata ab existentia indistinctio rei, & distinctio rationis ostenditur.

SUppono, nomine essentiæ non venire, nisi rem ipsam secundum prædicata quidditativa, à quibus intrinsecè constituitur non repugnans: nomine verò existentiæ venire illam formam, aut quasi formam, à qua res habet, ut sit in rerum natura, & verificet propositionem illam categoricam de secundo adjacente, *Res est*.

Arguo nunc 1. Essentia creaturæ est illa forma, per quam creatura est potius, quam non est. ergo in creatura non est alia existentia præter ejus essentiam. conseq. prob. sumo essentiam distinctam juxta Thomistas ab existentia, & de illa quæro, utrum quà distincta ab existentia sit aliquid, vel non. si non, ergo non est alia ab existentia. quomodo enim est aliud, quod non est aliquid? si est aliquid, jam non per existentiam; quia per illud est aliquid, per quod distinguitur ab existentia; sed non distinguitur ab existentia per existentiam; ergo non est aliquid per existentiam, sed per se. Rursus per se est aliquid. ergo per se est. Neque distinguas, est per se aliquid essentiæ, concedo. existentiæ, nego. aut enim additum

tum illud *essentia* distrahit *aliquid*; atque ità tollis distinctionem essentiæ ab existentia, quia negas essentiam esse aliud ab existentia. aut non distrahit: & manet, quod essentia sit simpliciter aliquid per se ipsam, adeòque & quod per se ipsam simpliciter sit.

Conf. essentiæ actuali, ut ab existentia distinctæ, competit actu illud prædicatum, per quod ab existentia distinguitur. Sed actu rei competere prædicatum, est actù rem esse; à categorica enim de inesse, & de tertio adiacente, cuius prædicatum non distrahit, nec diminuit, tenet universim ad categoricam de secundo. ergo essentia actualis ut distincta ab existentia per se ipsam est.

Arguo 2 si quid probant argumenta Thomistarum sumpta à defectibilitate creaturæ, retorquentur in ipsos tum contra actualitatem essentiæ, tum contra actualitatem existentiæ. Essentia quidem & habet per se, & habet in tempore aliquam actualitatem; adeoque defectibilis est non solum, quia potest amittere actualitatem existentiæ, sed etiam quia potest amittere actualitatem suam. Si ergo defectibilitate non obstante, est per se actualis secundum essentiam, poterit etiam esse per se actualis secundum existentiam.

Existentia porrò habet ipsa quoque, præcisis vocabulis, essentiam, & quidditatem suam, prædicata scilicet quidditativa, quatenus in suo esse existentiæ construitur. aut ergo essentia existentiæ se ipsa existit, aut per distinctam existentiam. Secundum trahit evidenter processum in infinitum. primum destruit fundamentum Thomistarum; aliqua enim creata essentia, non obstante defectibilitate creaturæ, se ipsa actuatur, & existit.

Resp. 1. quidam Recentior, existentiam esse defectibilem non per se, sed per defectibilitatem essentiæ, cujus est actus. Sed contra

est. 1. quia hinc fieret existentiam non esse per se possibilem: quod est in superioribus reprobatum. sequela prob. quia defectibilitas, seu contingentia est ipsa possibilitas essendi una cum possibilitate non essendi. 2. nullus actus determinativus alicuius indifferentiæ mutuatur à sua potentia indifferentiam, ut patet inductione facta per omnes actus. Si ergo existentia determinat essentiam indifferentem ad esse, & non esse, non accipiet ab essentia vicissim hanc ipsam indifferentiam. 3. est manifestum, quod omnis perfectio limitata, si per se sola spectetur, ut per se est limitata, ità & per se est contingens; cum contingentia sit limitationis appendix.

Respondent 2. Thomistæ communiter, existentiam esse rationem *qua* existendi, ideòque existentia distincta non indigere. Sic actio non fit per aliam actionem, nec duratio per aliam durationem; quia illa est ratio *qua* agendi, hæc durandi.

Ut evertam hanc responsionem Thomistarum, produco simile argumentum D. Thomæ quo 1. p. q. 11. art. 1. ad 1. utitur contra Avicennam asserentem, rationem unius distingui realiter ab ente: *Sed hoc*, inquit S. Doctor, *manifestè falsum est, quia qualibet res est una per suam substantiam; si enim per aliquid aliud esset una qualibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum*. Huic argumento juxtà Thomistarum doctrinam facilè occurreret Avicenna per distinctionem rationis *qua*, & *qua*, dicendo, quod unitas cum sit ratio *qua* unificandi, non indiget unitate distincta, ut una sit. Quoties ergo in ratione *qua*, & *qua* idem prorsus valet argumentum distinctionis, eadem erit in utraque distinctio, ut debent fateri Thomistæ, si volunt tueri D. Thomam. at in re nostra præcisa ratio distinctionis est contingentia, seu in-

diffe.

differentia ad esse, & non esse, quæ æquè reperitur in essentia relate ad existentiam, ac in existentia relate ad actualitatem suam. Ergo. Exemplum de modis non est ad rem. Si enim ità esset existentia actus essendi, ut est ubicatio actus locandi, peracta res esset. quandoquidem ut ubicatio nullam habet in locando indifferentiam, cum non possit esse, & non locare: ità nec existentia ullam haberet indifferentiam in actuando quoad esse; adeòque esset existentia indefectibilis, & necessaria. Vbicatio igitur illam indifferentiam non habet, ratione cujus à suo subiecto distinguitur; quod scilicet, quia potest esse, & non esse hic, per aliud à se est hic. at ubicatio si est, hic locat, & hic locatur; adeoque per suum esse locatur. Verum existentia ità prorsus est ad suam actualitatem indifferens, ut essentia est indifferens ad ipsam.

Arguo 3. Nulla perfectio distincta ponit subjectum suum in esse subiecti capacis ad recipiendam talem formam, sed illud supponit, ut patet generali inductione. ergo si existentia est physica forma essentiæ, debet illam supponere in priori cum proxima capacitate recipiendi. atqui hæc capacitas esse non potest sine aliquo actu reali; purum enim nihil non est capax realis formæ subiectum. ergo essentia in priori ad existentiam est in aliquo actu reali. hunc tu vocas actum essentiæ: ego voco ipsissimam existentiam; puto enim nec explicatum hactenus, nec explicabile, quid faciat aliud existentia, quàm ponere rem in actu reali.

Superest jam illud unum, ut declarem, an sit saltem essentiam inter, & existentiam distinctio aliqua rationis. Equidem puto duo isthæc esse nomina plane synonima; nulla enim est explicabilis ratio per unam, & non per aliam uniformiter importata. Differunt tamen ra-

 tione

tione essentia, & esse, existentia, & existere; res enim, ut explicata per nomen, sumitur, ut præcisa ab usu, & exercitio realitatis suæ. sed ut explicata per verbum infinitum sumitur, ut stans sub usu, & exercitio suæ realitatis. Alius ergo est conceptus rei importatus per essentiam, qua significantur præcisè rei prædicata cum non repugnantia ad esse: alius est conceptus explicatus per esse, quo denotamus eadem prædicata habere in actu illud exercitium, ad quod essentia concipitur veluti in potentia. Et quia jam nomen existentiæ accipitur pro ipso esse, essentia in usitata nunc loquutione ab existentia in usitata nunc loquutione ab existentia ratione distinguitur, ut essentia ab esse. Cæterum hic modus usurpandi existentiam non est, nisi penès iuniores; antiqui enim quæstionem hanc agitabant sub iis terminis, *Utrum essentia distinguatur ab esse.*

§. II.

Satisfit Argumentis Thomistarum.

OBiic. 1. Deus est ens necessarium, quia habet esse identificatum cum essentia: ex quo fit, ut sit per essentiam. Si ergo creatura esse haberet cum sua essentia identificatum, necessariò esset. Confirm. authoritate Scripturæ, & Patrum asserentium, ut Dei proprium, quod sit sibi suum esse. Unde illud: *Ego sum, qui sum.*

Resp. antec. esse falsum. vera enim caussalis ea est. 1. quia habet esse depuratum ab omni non esse, h. e. perfectionem depuratam ab omni imperfectione: quod non contingit in creatura. 2. quia habet esse non ab alio, sed à se. hinc non potest non esse; quia nec potest ab alio privari suo esse; nec potest ipse sibi esse suum denegare. Aliter autem Deus, aliter creatura dicitur existere per essentiam Deus

enim

enim existit per essentiam indefectibilem, creatura per defectibilem. Sensus deniq; Scripturæ, & Patrum, dum Deo proprium tribuunt, quod sit sibi suum esse, vel est, quod Deus sit sibi esse sine addito, adeoq; purum esse, seu pura perfectio: vel quod Deus habet per se suam essendi sufficientiam, quod est esse à se.

Obiic. 2. Existentia irrecepta est purus actus: & purus actus non est nisi Deus. atqui existentia omnis ab essentia indistincta est irrecepta; non enim habet, in quo recipiatur. ergo existentia non est. nisi Deus.

Responsio est facilis, maiorem esse veram de existentia irrecepta omnino, h. e. tum in aliquo, tum ab aliquo. in quo sensu propriissima est Dei.

Instabis. actus, qui nulli potentiæ permiscetur, est purus actus: sed actus qui in nulla potentia, ut in subiecto, recipitur, nulli potentiæ permiscetur. ergo est purus actus. min. prob. actus miscetur potentiæ, vel quia est actus alicuius potentiæ, vel quia est potentia ad ulteriorem actum. at in casu existentia non est actus in essentia receptus; & cum ipsa sit ultimus actus in linea entis, ulteriorem actum non habet, ad quem promoveatur.

Principiò argumentum non procedit de accidentibus, quæ recipiuntur in substantia, nec de formis, quæ recipiuntur in materia. In aliis verò nihil probat. Nego igitur minorem. ad probat. dico existentiam aliquando esse actum potentiæ mixtum, quia recipitur in subiecto: & talis est existentia omnium formarum; aliquando esse mixtum potentiæ, quia recipit in se formam: & talis est existentia omnium subiectorum. Et dum urgetur, quod existentia sit ultimus (quod dictum sæpè inculcatur, sine distinctione, sine probatione) resp. imò est primus, cum sit fundamentum omnis actus qui non competit, nisi rei existenti, eiusque

proinde existentiæ superstruitur. At, inquiunt, est ultimus actus in linea entis. Verùm age, quis est actus primus, quis medius in hac linea, per habitudinem ad quos existentia sit actus ultimus? actus anteriores num actus dicis essentiales? Sed non vides, te assumere sine probatione quæstionem, assumendo in hoc principio, quasi aliud agas, idipsum, de quo disputamus? nos enim, qui in linea entis distinctionem nullam agnoscimus inter actus, existentiam non ultimum, sed unicum actum in linea entis recognoscimus. At enim quomodo poterit actus ipse essendi esse in potentia ad perfectionem ulteriorem? dico, quod poterit, quia est actus imperfectus, adeoque perfectibilis: ex quo capite actus ipse essentiæ est in potentia ad actum existentiæ. Neque opponas cum Goudino, D. Thomam optimè dicere, *actum irreceptum* (intelligit irreceptum in subiecto) *esse unicum, & infinitum: quod principium ita certum habuit, ut videatur illud accepisse ab Angelis: ideoque perpetuò tanquam evidentissimum inculcat.* Si enim Goudinus vellet, hoc principium esse probabile ex tanti Doctoris authoritate, jure sane id vellet. Sed tamen Philosopho non est satis, qui videt illud assumi sine ratione intrinseca, & fallere in actu essentiæ, quare si non aliam habet hic author dicti sui probationem, quàm arcanum illud Angelicum, videat ne ludibrium debeat adversariis.

Obiic. 3. si creatura per se ipsam non esset, necessariò non esset, ergo si per se ipsam esset, necessariò esset.

Nego cons. disparitas est evidens. in casu antecedentis pone creaturam illam existere; existet profectò, & non existet. primum, quia supponitur. secundum; quia supponitur simul existere eius negatio indistincta ab ipsa. at in casu consequentis non sequitur creaturam non existentem non existere simul, & existere,

sed

sed solum non existere; quia dum tollitur res, tollitur simul eius existentia.

Obiic. 4. à separatione tenet consequentia ad distinctionem. atqui existentia creata in Christo separatur ab eius essentia, ut constat authoritate 6. Synodi in Epistola Sophronii dicentis, quod *Humanitas Christi in Verbo, & non in se habuit existentiam unam*. ergo.

Minor est falsa, eiusque oppositum ex Patribus probat Suarez tom. 1. in 3. p. disput. 36. sect. 1. præsertim ex Damasceno l. 3. cap. 3. ubi juxtà Fabri versionem ait, Humanitatem fuisse à Verbo assumptam, *nec substantia, nec existentia privatam*. Sensus autem Sophronii in 6. Syn. alius est ab intento arguentis, ut latè ibidem probat Suar. Ut cætera ego mittam, quæ nostri instituti non sunt; non negatur ibi, Humanitatem habuisse in se existentiam, sed existentiam unam h. e. individuam, & suppositatam; fuit enim non in se; sed in Verbo subsistens, cui à primo suæ creationis instanti unita suppositaliter fuit.

Obiic. 5. nihil, quod est indifferens ad actum, & non actum, per suam essentiam est talis actus. atqui creatura indifferens est ad esse, & non esse. ergo non potest per suam essentiam esse. Maior prob. tum inductione; quod enim est indifferens ad cognoscendum, & non cognoscendum, non potest se ipso cognoscere: & quod est indifferens ad currendum, & non currendum, non potest se ipso currere; & sic de aliis. tum à priori, quia indifferentia importat compossibilitatem cum utroque termino seorsim, non verò conjunctim. Si ergo indifferentia identificatur cum uno actu, jam erit incompossibilis cum opposito; adeoque non est amplius indifferentia.

Resp. si indifferentia sumatur rigorosè, falsum esse, quod creatura sit indifferens ad non

esse. Ratio est evidens; quia nihil potest respicere indifferenter formale sui destructivum. at omnis creatura formaliter tollitur per suum non esse. ergo illud non respicit indifferenter. quod ipsum probatur in argumento per rationem à priori, quæ confirmat maiorem. quis enim afferat creaturam compossibilem cum suo non esse, v g. hominem cum non homine?

Inductio deinde allata ad probandam maiorem non est ad rem; quia affert exempla veræ indifferentiæ, eaque extendit ad indifferentiam non veram. Potentia ergo intelligendi, & non intelligendi necessariò ab intellectione distinguitur; quia potest esse, & non intelligere, adeòque ab intellectione realiter separatur. at res non separatur à suo esse; negatio enim, quæ tollit esse rei, tollit eodem impetu ipsam rem; & ut res à negatione denominatur non existens, ità & non existens denominatur rei existentia. Tota igitur creaturæ indifferentia, si qua est, ad esse, & non esse, non est indifferentia physica, & subiectiva; quæ statuit separabilitatem, & propterea distinctionem inter potentiam, & actum: sed merè logica, & ut ajunt, obiectiva; in quautum potest sine repugnantia verificare successivè, quod sit, & quod non sit.

Instantiæ demum manifestę in actu ipso tum essentiæ, tum existentiæ, satis declarant vim responsionis, & constant ex dictis.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Impossibilitate Chimaræ, an sit ab entis possibilitate distincta in esse obiecti.

AFfinis est præsens quæstio præcedenti; ubi enim de entis possibilitate decretum est, su.

supereſt, ut ea ulteriùs innoteſcat ab eius oppoſito, quod eſt impoſſibilitas: de qua inquiro, ſitne à rerum poſſibilitate adæquatè diſtincta, an verò ea non ſit aliud, quàm duo poſſibilia invicem incompoſſibilia, & à cognitione inverificabili denominata. Porrò de impoſſibilitate non poteſt quæri, utrum ea ſit à poſſibilitate diſtincta in eſſe rei; conſtat enim impoſſibile nec rem, nec ens eſſe: reſtat ergo ut ſolùm quæratur, an ſit diſtincta in eſſe obiecti: quod ſolet ſub iis terminis proponi, utrum impoſſibile ſit obiectum diſtinctum ab omni poſſibili.

CAPUT I.

Exponitur ſententia aſſerens impoſſibile diſtinctum intelligibile ab omni intelligibili poſſibili.

Recentiores turmatim in hanc ſententiam diſcedunt, ut eos recenſere & longum ſit, & otioſum. Sufficiet ergo eorum mentem exponere, ut, qui eam impugnare voluerit, ne aberret à ſcopo.

Impoſſibile ex vi vocis negat omnem potentiam eſſendi: unde deſcribitur, *Quod nec eſt, nec poteſt eſſe à parte rei*. Hæc autem impotentia formaliter non eſt aliud, quàm pugna rationum, ex quibus conſtat, quæque ſi eſſent, ſimul eſſent, & non eſſent. Sic eſt in communi ſenſu hircocervus; cum enim hircus eſſentialiter ſit non cervus, & cervus eſſentialiter ſit non hircus; ſi eſſet à parte rei ens duas iſtas naturas in ſe complectens, eſſet hircus non hircus, cervus non cervus. Ex his, quæ comperta ſunt apud omnes, inferunt pro re ſua Recentiores, quod impoſſibile, ut non ſit res, eſt tamen obiectum, quatenus negat ſolum poſſe, eſſe, non tamen poſſe cognoſci, neque ex illo po-

sest inferri hoc, ab esse enim ad cognosci non tenet consequentia negativè. quare ut cognoscitur etiam, quod non est, poterit cognosci etiam, quod non potest esse.

Statuunt ergo impossibile in esse objecti contradistinctum omninò ab omni possibili. quare hircocervus non erit hircus, & cervus reales, sed tertium obiectum, in cuius constitutionem nihil reale veniat. Hoc obiectum ut à pluribus calumniis vindicent, distinguunt duplicem statum, in quo potest illud considerari alter est absolutus, obiectivus, & exercitus: alter est conditionatus, entitativus, & signatus: ille est status intentionalis, hic realis. Tum si primò quæras, involvatne tale obiectum contradictoria? Respondent, in primo statu non involvere: cum enim non sit impossibile cognosci, nihil est, cur contradictionem, si cognoscatur, involvat. involvere tamen in secundo; cum enim sit impossibile esse, si esset, contradictionem involveret. Itaque intellectus cognoscendo tale obiectum, non cognosci t revera, quod est, sed quod esset impossibile; si poneretur.

Si quæras 2. quæ sint hircocervi prædicata in eo statu absoluto? Respondent, de hircocervo verificari pro eo statu unam dumtaxat contradictionis partem, nimirum quod sit hircocervus, seu hircus idem cervo; quamvis hæc una pars trahat utramque conditionatè, si nimirum poneretur in re extrà, ubi esset, & non esset, &c.

Si quæras 3. sitne obiectum hoc simplex, an compositum? Respondent, absolutè esse simplex, conditionatè compositum, seu verius compositum, & non compositum, simplex, & non simplex. Absolutè est simplex; quia consistit in obiectiva identitate inter essentialiter distincta, verùm essentialis distinctio non exercetur in esse obiecti, sed solùm in esse rei. quare

re quod apparet, idem est, adeoque simplex est, sed si illud, quod simplex, & idem apparet, in re per actionem physicam produceretur, esset eo ipso idem, & distinctum; adeòq; compositum simul. & simplex.

Hujus porrò sententiæ authores non parùm inter se dissident. Sunt enim, qui putant, à cognitione derivari in chimæram aliquod esse obiectivum, & cognoscibile intrinsecum: quod vocant idolum, seu formam fictam. cum enim impossibile sit purum nihil, quatenus negat tum esse, tum potentiam ad esse, ut possit cognosci, debet ab ipsa cognitione accipere esse aliquod intrinsecum, quod sit mera cognoscibilitas.

Hæc sententia improbabilis omninò est, eaque propterea deseritur à melioris notæ Recentioribus, opinantibus denominationem cogniti in chimæra esse mere extrinsecam, ut superiori quæstione dixi extrinsecam esse denominationem cogniti in re pure possibili, reiecto esse diminuto Scotistarum. Et quidem primò huc facit, quod ibi dicebam, prius scilicet natura futurum in chimæra esse cognitum, quam cognoscibile, si esse cognoscibile ponitur effectus, adeoque posterius cognitione, quæ se ipsa formaliter denominat cognitum. 2. non video, qua cohærentia negant isti authores simile idolum in cognitione rei possibilis. aut enim illud admittunt in cognitione chimæræ; quia chimæra ante cognitionem nullum esse intrinsecum habet. atque hoc ipsum est verum de creatura pure possibili. aut illud admittunt ex fæcunditate intellectus, & cognitionis, ut loquuntur: & multò magis id erit verum in cognitione possibilium. qualis enim foret illa fæcunditas, quæ impossibilia una conciperet, pareretque, ad possibilia verò infelix omnino esset, ac sterilis?

Est & alia inter hos authores divisio. Pars

maior censet positivè probari existentiam, & distinctionem obiecti huius impossibilis contradistincti ex propositionibus tum affirmativis necessariò falsis, ut homo est lapis, &c. in quibus attingitur identitas inter hominem, & lapidem, quæ nec est homo, nec lapis: tum negativis necessariò veris, ut homo non est lapis, &c. in quibus hæc ipsa identitas exclusa cognoscitur; aliter excluderetur incognitum.

Alii videntes infirma sanè esse hæc fundamenta, alium invenere modum tuendi obiectum hoc suum, negativè scilicet, reiiciendo in adversarios onus probandi. Possibile, inquiunt, est cognosci obiectum impossibile contradistinctum. Negas? proba cognitionis eiusmodi impossibilitatem. Si urgeas petendo, in quanam cognitione attingatur? in ea, inquiunt, non quæ de possibilibus directè fit, quantumvis in materia vel naturali, vel remota: sed in ea, quæ fit de ipso impossibili directè, ut in ea, *hircocervus est impossibilis.* Hinc juxtà hos authores, illa propositio, *hircus est cervus*, stat æquivocè: & vera est, si de fictitiis; falsa, si de realibus enuncietur.

CAPUT II.

Propria sententia negans cum suis illationibus declaratur.

SEntentiam, quam suscipio in præsenti, declarandam, probaturus in sequentibus, tuetur D. Th 1. contra Gentes cap. 84. num. 3. ubi probat voluntatem Dei non esse impossibilium hoc argumento: *Voluntas non est, nisi alicuius boni intellecti. illud igitur, quod non cadit in intellectu, non potest cadere in voluntate: sed ea, quæ sunt secundùm se impossibilia, non cadunt in intellectu, cum sibi ipsis repugnent, nisi fortè per errorem non intelligentis rerum*

pro-

proprietatem: quod de Deo dici non potest. quid expressius contra Recentiores asserentes obiectum impossibile per se, & citra errorem posse cognosci, & fieri ab intellectu, etiam simpliciter apprehendente, cum tamen ex mente D. Thomæ, ut notat ibi Ferrariensis, non possit esse impossibile in intellectu, nisi dum is uni tribuit, quod illi repugnat? Tuetur Scotus q. 3. quodl. §. *De primo*, ubi, *Verissimè*, inquit; *illud est, nihil, quod includit contradictionem, & solum illud, quia illud excludit omne esse extra intellectum, & in intellectu; quod enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extra animam, ita non potest esse aliquid intelligibile, vel aliquod ens in anima, quia nunquam contradictorium cum contradictorio constituit unum intelligibile*. Tuetur Mayron. qu.7. quodlib. punct.7. ubi ait, quod *ens prohibitum* (sic vocant impossibile antiquiores) *non dicit, nisi partium incompossibilitatem*: & infra addit compositioni falsæ, & inverificabili nihil correspondere in mente: quod ipsum fusius prosequitur qu. 6. Idem tenet Gabr. in 1. d. 2. qu. 8. Mirandulanus, & Vallesius apud Amicum in Log. tr. 3. qu. 2. P. Herice tract. de Scient. Dei disp. 8. cap. 1. num. 1. sed præ omnibus fusè, & egregiè Andr. de Novo Castro in 1. d. 36. qu. 2.

Equidem censeo posse nos de impossibili philosophari proportionaliter ad ea, quæ communiter arbitramur de universali. Profecto universale, & singulare opponuntur: illud enim unum in multis, hoc unum in uno: illud partibile, hoc impartibile. & tamen si multa sint singularia sub una cognitione præscindente, ita extrinsecè ab hac verificantur, ut suscipiant denominationem universalis; quod fusè est declaratum in Logicis.

Pariformiter in præsenti discurro de possibili, & impossibili; quæ utcumque sint deno-

minationes oppositæ, poterit tamen illa cadere in rem, ut in se, ista in rem, ut in cognitione. Quod ut intelligas, nota duplicem impossibilitatem posse considerari, secundùm quid, & simpliciter talem. impossiblitate secundùm quid dicitur impossibilis homo; quia ipse potest simpliciter esse, sed non potest esse lapis, sed non potest esse planta, &c. impossibilitate simpliciter dicitur impossibilis homolapis, vel homoplanta. Hanc ergo impossibilitatem secundam in re non distinguo à prima; sed hanc secundam puto superaddere primæ denominationem secundò intentionalem ab actu judicativo essentialiter falso, quo intellectus inverificabiliter enunciat, hominem esse lapidem, hominem esse plantam. Sic enim homo, & lapis, homo, & planta, qualiter ab intellectu enunciantur; esse in rerum natura nullatenus possunt, quare ut singularia multa, quatenus substant cognitioni simplici præcisivæ, quæ est intentionalis multorum unitas, unum sunt, ita & duo possibilia, quatenus subsunt enunciationi impossibilis veritatis, quæ est intentionalis impossibilitas, impossibile sunt.

Ex his infero 1. cur impossibile vulgo dicatur ens rationis; quamvis enim substratum, quod impossibile denominatur, sit ens reale, denominatio tamen est à ratione non quacumque, sed essentialiter errante: & ideò appellatur ens rationis non fundatum; quia nullum est in re verum judicii, à quo denominatur, fundamentum.

Infero 2. Nominales, qui non aliud impossibile recognoscunt præter formale, h. e. actum essentialiter falsum, nihil re ipsa contra me asserere, sed discrepare solùm in modo loquendi, nolunt enim à propositione in obiectum derivari denominationem impossibilis, sed hanc unicè residere iu judicio, in quo idem sonat esse impossibile, ac esse inverificabile, seu habe-

habere impossibilem veritatem. ego verò admitto præterea impossibile obiectivum, ipsa scilicet in recto possibilia ab eo judicio tanquam à forma veniente in obliquo denominata. in quo melius mihi loqui videor, & consequentiùs ad ea, quæ dixi in Logicis de universali adversus Nominales in hoc etiam proportionaliter philosophantes.

Infero 3. aliud esse facere, aliud cognoscere ens huiusmodi rationis impossibile. facere ens rationis est versari circa possibilia per actum essentialiter falsum: cognoscere verò est reflectere supra ipsa possibilia, ut actui falso substantia. quo pacto & impossibile definitur, quod nec est, nec esse potest à parte rei: & verè de ipso enunciatur, quod sit impossibile. Sic in Logicis dictum est, quod aliud sit facere, aliud cognoscere universale. fit per cognitionem præcisivam directam: cognoscitur per reflexam, quæ singularia attingit, ut stantia sub directa præcisiva.

Infero 4. hinc, Deum non posse facere ens rationis, posse tamen cognoscere. non potest facere, quia circa possibilia versari non potest per judicium falsum. potest cognoscere; quia innotescunt ipsi possibilia non solum ut sunt in se, sed ut substant etiam nostris assensibus imperfectis, & falsis.

Infero 5. sensus exteriores nec facere, nec cognoscere impossibile. non faciunt; quia sensus eiusmodi cognitionem falsam non habent. non cognoscunt; quia cognitio intellectualis falsa est extra ipsorum sphæram. Phantasia verò si habet actum falsum, & potest supra illum reflectere, potest & facere, & cognoscere impossibile. Sed purificatio istius conditionis non pertinet ad præsens institutum.

Infero demum 6. per simplicem intellectus apprehensionem non posse fieri impossibile, sed posse cognosci. non potest fieri; quia fal-

sitas

ſitas nulla eſt in eiuſmodi cognitione. poteſt cognoſci; quia poteſt integra propoſitio una cum ſuo obiecto terminare apprehenſionem.

CAPUT III.

Præcedens ſententia à Recentiorum poſitivis objectionibus vindicatur.

SEntentiæ ſic declaratæ duplex genus probationis habeo. primum erit, oſtendendo, quod nihil momenti adverſus ipſam, magno licet molimine, ab adverſariis ſit hactenus allatum; ſive procedant poſitivè, ut probent impoſſibilis à poſſibilibus contradiſtincti neceſſitatem: quod præſtabo in præſenti: ſive negativè, ut ſiſtant in aſſerenda eiuſdem mera non repugnantia: quod præſtabo in ſequenti capite. Alterum erit, oſtendendo Metaphyſicis rationibus, nullum revera eſſe obiectum impoſſibile, quod poſſibilia ipſa non ſit.

Ergo Recentiores 1. arguunt cum De Lugo de pœnit. diſp. 1. ſect. 2. à num. 20. Quicumque affirmat, debet cognoſcere motivum affirmandi aliter irrationabiliter affirmat. Sed motivum affirmandi, quod homo ſit lapis, non eſt, niſi identitas obiectiva apprehenſa inter hominem, & lapidem. ergo non ſolum in tali affirmatione cognoſcitur homo, & lapis, ſed etiam identitas inter ipſos, quæ eſt tertium objectum contradiſtinctum ab ipſis.

2. Quamvis motivum affirmandi non ſit identitas, identitas tamen eſt affirmata; perinde enim eſt dicere, *homo eſt lapis*, ac, *datur identitas inter hominem, & lapidem*. debet ergo identitas iſta ſaltem attingi, ut obiectum affirmatum.

3. Et eſt argumentum, in quo mirum quantum ſibi plaudunt adverſarii. Negas cognoſci obie

obiectum impossibile contradistinctum. ergo cognoscis obiectum impossibile contradistinctum. prob. cons. si enim illud non cognoscis, stultè, & temerè negas, adeòque male negas. Et quidem universim negari non potest incognitum: si ergo illud negatur, cognoscitur.

4. Quidquid cognoscitur sub prædicato sibi repugnante, non cognoscitur ipsum, sed aliud ab ipsò. Sed ità cognoscitur homo, dum dicitur, *homo est lapis*. ergo non cognoscitur homo sed aliud ab homine: seu non cognoscitur homo realis, sed chimæricus.

5 Omne illud potest ab intellectu cognosci, in quod dividitur ejus obiectum adæquatum. Sed obiectum adæquatum intellectus est intelligibile: & intelligibile dividitur in id, quod est, & id, quod non est: in id, quod potest esse, & id, quod non potest esse. ergo poterit ferri intellectus etiam ad id, quod non potest esse.

6. Voluntas potest appetere bonum impossibile; qualis esset appetitus illius, qui vellet comedere carnem hircocervi: aut Ariani, qui vellet esse beatus videndo Verbum, quod putat creaturam. ergo poterit intellectus idipsum cognoscere; nihil enim volitum, quin præcognitum.

7. Dum quis cogitat hircocervum impossibilem, nihil cogitat de actu intellectus, sed solum de obiecto. ergo hircocervus non est formaliter impossibilis per actum intellectus; aliter cogitaretur constitutum sine constitutivo, sine quo tamen nec esse potest, nec intelligi.

Ad 1. nego minorem, quam video sine probatione ab his Recentioribus assumptam, quasi per se notam; cum tamen in Log. l. 1. qu. 2. c. 8. multis probaverim, nullum judicium affirmativum aut debere, aut posse habere in priori no-

ri notitiam identitatis exercitæ inter extrema. Quod si instes, petendo, quodnam sit motivum affirmandi lapidem de homine, aut creaturam de Verbo? Resp. 1. indirectè, esse illud ipsum, à quo movetur intellectus ad notitiam illam tuam præviam identitatis.

Resp. 2. directè, aliorum assensuum aliud esse motivum. in propositione per se nota terminorum sola notitia determinat ad assensum. in demonstrata determinant præmissæ. in probabili, si ea sit prima, movent termini: si secunda, præmissæ probabiles, sed utrobique dependenter ab imperio voluntatis. Judicium verò erroneum tres causas habere plerumque solet. 1. est imperfecta terminorum consideratio. 2. est principium aliquod universale, quod ut sæpè sit verum, aliquando tamen est falsum. 3. inadvertentia ad motiva in oppositum; Sic Arius considerans confuso, & imperfecto modo Verbum, & creaturam; nullamque inter ista per ejusmodi notitias apprehendens distinctionem, nec attendens, imò & nolens attendere ad plura motiva, quæ illi efficaciter poterant probare contrarium: & habens præterea hoc principium, *Quæ non apparent distincta, sunt eadem* (quod principium in multis est verum) Verbum esse creaturam pronunciavit. Ubi hìc pro motivo notitia identitatis? Certè nec Aristoteles, nec alius quisquam Dialecticus tradens in Syllogismo motivum concludendi, identitatem inter extremitates aunumeravit, aut nominavit.

Ad 2. dico 1. quod affirmatur in propositione, non est identitas, sed prædicatum; quod unum juxtà Summulas dicitur, seu affirmatur de subiecto. aliud ergo est, quod identitas requiritur, ut propositio sit vera; & hoc est innegabile. aliud quod identitas affirmatur: & hoc est falsum; cùm potius exerceatur identitas formalis, cui si ex parte rei non correspondet iden-

identitas obiectiva, propositio falsa est. Dico 2. identitas si affirmatur, & dicitur, non idcircò cognosci debet. pro quo recolenda, quæ in Logic. dicta sunt l. 2. q. 3. c. 1. iudicium scilicet sumptum pro formali non esse cognoscitivum, sed esse merum intentionale syncategorema trahens prævias notitias in suppositionis identitatem. Hoc igitur, & non aliud est affirmari identitatem in iudicio, poni tale signum syncategorematicum: quod quia cognoscitivum non est, nullam ex parte rei exprimit, aut exprimere potest identitatem.

Sed quid dicendum, si intellectus hoc ipsum exprimat, & affirmet, *Datur identitas obiectiva inter hominem; & lapidem*? Resp. ità se habere in hoc iudicio, ut in hoc alio, *homo est lapis*; ut enim hic falsò applicat unum possibile alteri, lapidem scilicet homini: ità ibi falsò applicat identitatem realem, quæ veri entis est passio, homini relate ad lapidem, cui competere non potest.

Ad 3. tam instantia, quàm responsio est manifesta. Et quidem dum intelligibile universim dividis in possibile, & impossibile, divisio sine dubio est adæquata. ergo simul asseris non esse aliud obiectum præter possibile, & impossibile. Nunc redit contra te argumentum tuum; negas esse aliud obiectum præter possibile, & impossibile. ergo cognoscis obiectum contradistinctum à possibili, & impossibili. ergo divisio intelligibilis non est adæquata. Et quidem inquisitio de tertio hoc obiecto non procedit pro statu conditionato, & reali, pro quo sine dubio impossibile est; sed pro statu absoluto, & intentionali, in quo etiam si esset, contradictionem traheret; adeòque repugnat non solum esse, sed cognosci; & per consequens si cognosceretur, simul non cognosceretur.

Directa deinde responsiò facilis est, notando,

do, quod Aristot. 2. post. numerans quæstiones, statuit, quod quæstio *an est* præcedit quæstionem *quid est*, quam confundit cum quæstione *propter quid est*; quia loquitur de quæstione, in qua quæritur definitio *quid rei*: hæc autem procedit per rei causas præsertim intrinsecas. at verò quæstionem *an est*, quam sequitur quæstio *quid rei*; præcedit quæstio *quid nominis*; nihil enim quæri potest ab ignorantibus nominum potestatem. Hinc apud Logicos, si, post statutam nominis significationem, quæstioni *an est* negativè respondeatur, ulterius non proceditur; quæstio enim *quid rei* evadit eo ipso de subiecto non supponente. Hoc totum habet D. Thom. 1. p. qu. 2. ad. 2. ubi, *Ad probandum*, inquit, *aliquid esse, necesse est accipere pro medio, quid significet nomen: non autem quod quid est, quia quæstio quid est sequitur ad quæstionem, an est*. His positis, ad argumentum in forma, conc. antec. & dist. consequens: cognosco obiectum impossibile contradistinctum secundùm quid nominis, seu cognosco significationem istorum nominum, quæ ut sit vera, requirit, ut nomina supponant, quo modo significant: concedo: cognosco, &c. secundùm quid rei, seu cognosco, quod ista nomina supponunt, quo modo significant; nego consequentiam. Constat autem vel mediocriter scientibus dialecticam, ad negandum non temere *quid rei* satis esse, si sola vocum potestas teneatur; quin prætereà debeat cognosci id pro quo voces supponunt.

Instabis 1. cognoscis significationem istarum vocum, *impossibile contradistinctum ab omni possibili*. ergo cognoscis earundem significatum; quomodo enim potest significatio cognosci sine significato? at significatum est ipsum obiectum impossibile contradistinctum. ergo.

Resp. nego cons. cum satis sit, si cognoscam

non

non significatum, sed significata; nimirum quod vox impossibile significat ipsum possibile remotivè; aliæ autem voces satis sunt notæ: Quod si quæris unum obiectum significatum, de quo istæ omnes voces simul verificentur, quæris non amplius significationem, sed suppositionem, non quid nominum, sed quid rei.

Instabis 2. negas quid rei; ergo cognoscis quid rei. Nego conf. quæ non aliunde probari potest, quam ex eo, quod aliter temere negarem. Sed jam hæc calumnia satis est repulsa; cum ad temere non negandum sufficiat intelligere nominum potestatem. Posset etiam distingui consequens: cognosco quid rei, h.e. scio quid sibi velit negare quid rei; concedo: h.e. scio ipsum revera quid rei, quod nego me scire; nego consequentiam.

Ad 4. dist. majorem: cognoscitur aliud ab ipso ex parte prædicati repugnantis, concedo majorem: ex parte subiecti, nego maiorem; ex parte copulæ, nego suppositum maioris; quia copula non cognoscit. Dum ergo lapidem de homine affirmo, propositionem formo essentialiter falsam; quia prædicatum essentialiter repugnat subiecto. id autem, quod homini reali repugnat, est lapis realis, qui est essentialiter non homo. ergo lapidem ipsum realem de reali homine affirmo. Quod si lapis fictus de ficto homine affirmaretur, nec prædicata essent repugnantia, nec propositio falsa: quia verè in esse saltem obiecti lapis fictus est homo fictus. quare argumentum retorquetur.

Ad 5. totum argumentum si transmittatur, ut jacet, nihil habet adversus meam sententiam. neque enim nego, impossibile cognosci. nego impossibile cognitum esse aliud præter possibilia ab inverificabili judicio denominata. Quod si contendis intelligibile, ut sic, dividi in possibile, & impossibile non tanquam in

duas

duas rationes eiusdem obiecti, sed tanquam in duo contradistincta obiecta; petis principium, hoc assumendo sine probatione; & præterea urgeris à simili; pariter enim intelligibile dividitur in universale, & singulare: nec tamen ista dices duo esse contradistincta obiecta.

Ad 6. nulla est specialis pro voluntate difficultas; ut enim simpliciter assero impossibile posse cognosci, ita & assero posse amari. Sed quemadmodum voluntas amans universale propositum; non idcircò non amat singularia: ita & amans impossibile, non idcirco non amat possibilia.

Ad 7. idem argumentum probat universale non constitui per cognitionem; quia qui cogitat universale, non semper cogitat cognitionem. ut ergo in universali, ita in impossibili cognitio constituens licet non semper explicitè, semper tamen consideratur implicitè.

CAPUT IV.

Eadem sententia vindicatur ab objectione negativa: & primò negativè probatur.

Audivi non semel in hac materia oppositarum partium studiosos acriter decertantes, utri probatio positiva incumberet; alteris pro se non necessitatem, alteris non repugnantiam allegantibus; utrisque probandi onus humero utroque decutientibus. Equidem utrorumque momenta prius appono: tum ostendo meliores esse partes negantium, quam afferentium obiecti huius distincti cognoscibilitatem.

Sic igitur discurrunt, qui meram talis objecti non repugnantiam afferunt. Si hircocervus sit obiectum contradistinctum ab hirco, & cervo

tervo realibus, ut sit impossibile esse, non tamen est impossibile cognosci; quia ad hoc secundum requiritur, ut cognitum non cognoscatur. atqui hoc non sequitur; quia qui cognoscit eiusmodi obiectum, cognoscit quidem illud, quod non esset, si esset. at non cognoscit simul, & non cognoscit. ergo eiusmodi obiectum, quod est impossibile esse, non est impossibile cognosci, seu est impossibilis res, non impossibile obiectum. ut enim dicitur ens possibile, quod positum in re, est tantùm, non verò est simul, & non est: ita dicitur possibile obiectum, quod positum in mente, cognoscitur tantùm non verò cognoscitur simul, & non cognoscitur.

Ex opposito, qui stamus pro huius obiecti superfluitate non quacumque, sed essentiali, sic discurrimus. Nulla est cognitio, nullus assensus, qui pro sui vel obiecto, vel motivo exigat eiusmodi intelligibile distinctum; quicunque enim noster actus sufficientissimè salvatur per sola obiecta realia. ergo supervacaneè ponitur istud intelligibile. antec. prob. quia omnis actus noster, de quo potest esse dubium, est in materia aut naturali, aut remota; nam in materia contingenti quamvis falsum enuncietur, non tamen impossibile. at in neutra opus est tali obiecto; quæ enim fiunt enunciationes in materia naturali, sunt necessariò veræ per ipsa obiecta realia, quæ ab essentia sua habent, ut ita sint, quemadmodum enunciantur: ut cum dico, homo est animal, aut, homo non est lapis. quodcumque ergo his superaddatur, sine fundamento, nec sine essentiali superfluitate superadditur. Quæ verò enunciationes fiunt in materia remota, sunt sine dubio essentialiter falsæ; in qua falsitate formalissimè reponuntur per sola obiecta realia. Sic dum assero, hominem esse lapidem, aut hominem non esse animal, falsum, & impossibile

bile assero non alio ex capite, nisi quia homo ipse realis non potest esse lapis, nec potest non esse animal. Novum igitur obiectum superfluit omninò; quia nec opus est, ut eas propositiones falsificet; sic enim actum ageret: nec ut eas verificet; quid enim quæras veritatem in essentialiter falsis?

Respondent, hæc omnia rectè procedere: verum necessitas attingendi impossibile non est, inquiunt, in propositionibus seu veris, seu falsis de obiecto reali; sed in veris, & falsis de obiecto ipso chimærico contradistincto; ut si quis asserat, hircocervum esse impossibilem, aut non esse impossibilem: vel, impossile esse, quod nec est, nec potest esse à parte rei.

Sed contra est; quia istæ etiam propositiones suam veritatem, aut falsitatem ab obiectis realibus mutuantur: nam primò data notio impossibilis, ostensum in superioribus est, quo pacto in ipsa possibilia cadat. non ergo ad eam verificandam opus est ad distinctum obiectum recurrere. Qui verò dicit, hircocervum esse impossibilem, æquivalenter facit propositionem hanc modalem, *impossibile est hircum esse cervum*, cui æquivalet illa, *necesse est hircum non esse cervum*. atqui hæc satis verificatur per hircum ipsum realem, cui inest essentialis necessitas, ut non sit cervus. ergo per eundem verificantur duæ aliæ priores.

Replicant, non opus esse ad æquivalentes recurrere, cum possint tales propositiones de obiecto illo contradistincto directè formari: & si possunt, debent. possunt autem, quia non ostenditur non posse. Admittunt ergo isti authores necessitatem cognoscendi impossibile, ortam à possibilitate illud cognoscendi; cum enim omnis cognitio sit necessariò addicta obiecto suo, & ut illud obiectum est intelligibile, ita est possibile ejus intellectio; sequitur, quod intel-

intellectus, ut hanc habeat, obiectum illud exigat contradistinctum.

Hic mihi philosophandi modus nunquam placuit; quia hoc non est dare necessitatem, nisi illusoriam. quod ostendo in exemplo. afferat quis totum physicum à partibus suis contradistinctum. ad huiusmodi totius positionem multa necessario consequuntur, propria nimirum illius duratio, ubicatio, actio, qua sua in se accidentia producat, & similia. Jam si iste rogatus; ut assignet necessitatem huius compositi sic distincti, unam illam traderet, quam secum fuerunt modi tertiam illam entitatem præsupponentes, quæso te, probaret nè, an luderet? instares quidem tu ipse, ut aliò se verteret; quin enim tertiam entitatem excludunt, modos omnes ipsi addictos excludunt; adeòque non potest ex his necessitas peti sine petitione principii. Idem omninò accidit in re nostra. impossibile nos statuimus duo possibilia sub inverificabili cognitione: qui impossibile tertium obiectum statuis, ut huius necessitatem tradas, eam ex cognitione petis, quæ sit tertii huius obiecti intrinsecè attactiva. Hoc etiam ludere est, non probare; qui enim illud ut superfluum excludimus, eius etiam cognitionem superfluam volumus. quare ad hanc recurrere est principium petere.

Quod autem tam illud obiectum, quam ejus cognitio superflua sint, sic probo ex positis. Illud est superfluum essentialiter obiectum, & consequenter superfluam pariter habens cognitionem, quod nulla speciali veritate natum est ditare intellectum. Hoc quidem manifestum est; cum enim totum eius esse sit esse obiectum, adeòque ordinatum ad intellectus perfectionem, frustrà est, si speciale est obiectum, neque ullam specialem intellectus ab eo expectat perfectionem, h.e. veritatem, seu veritatis possessionem. Atqui huiusmodi esse obiectum

illud facilè probo. pono enim ex una parte hircocervum, qualem ego superiùs declaravi, ex altera hircocervum, qualem isti volunt; in utroque eandem impossibilitatem ex iisdem prædicatis incompossibilibus ortã invenio. quare qui hunc intelligit, nihil scit, quod nesciat, qui intelligit illum; nisi fortasse id unum, quod hic sit distinctus ab illo. Sed qui ex hoc assereret illius obiecti necessitatem, negare non posset, idolum, & formam fictam in cognitione tum impossibilium, tum possibilium, quæ scilicet ex eo necessario poneretur, ut intellectus sciat illud esse cognoscibile intrinsecum

Et quidem specialitas obiecti specialiter perfectivi intellectus non potest in eo absolvi, quod intellectus sciat ipsum esse distinctum; quia nihil est speciale per hoc unum, quod sit distinctum, sed potiùs distinctum est, quia specialia habet prædicata; per quæ ab aliis distinguatur.

Conf. ut enim tertia entitas à partibus unitis resultans asserta est in physicis superflua essentialiter; quia nihil præstat in re, quod non præstent partes ad ipsam necessario suppositæ: ità & dicendum, quod tertium hoc obiectum resultans quodammodò ex intentionali conjunctione incompossibilium, superfluum essentialiter sit in esse obiecti; quia nullam specialem veritatem intellectui donat, quam in ipsis incompossibilibus non inveniat. quod si sufficiat una illa in hoc obiecto necessitas, quod sit novum obiectum natum terminare propriam cognitionem; sufficiet in tertia entitate necessitas, quod sit nova res nata terminare propriam actionem.

CAPUT V.

Impossibile non esse obiectum à possibilibus distinctum, positivè suadetur.

SIt prima ratio. Ut possibilitas rei possibilis nihil est à re possibili distinctum; ità & impossibilitas rei impossibilis non potest esse distincta à re impossibili; ut est superiori quæstione ostensum. atqui tota formalis impossibilitas hircocervi v.g. est hircus, & cervus reales, ergo hircocervus (idem est verum de quolibet alio impossibili) nihil est præter hircum, & cervum reales. prob. min. illa est tota formalis impossibilitas hircocervi, qua sola non intellecta, hircocervus non intelligitur impossibilis. atqui solis hirco, & cervo realibus non intellectis cum sua cuiusque essentiali, ac reali incompossibilitate, hircocervus non intelligitur impossibilis. ergo. maior est nota; quia si ea non esset tota impossibilitas, ea sublata, vel non intellecta, aliqua ulterius impossibilitas reliqua esset, prob. min. ea solùm incompossibilitate sublata, hircocervus ità se haberet, ut homo albus; esset igitur in hircocervo mera intellectualis compositio ex terminis non repugnantibus.

Secunda ratio primam roborans sit. Impossibile est illud, quod nec est, nec esse potest à parte rei. atqui hæc notio, ut cadit manifestè in possibilia ab inverificabili assensu denominata; ità nullatenus cadit in obiectum illud tertium à possibilibus contradistinctum. ergo non est aliud impossibile præter ipsa possibilia. consequentia est evidens, cum procedat à definitione ad definitum. prima minoris pars cap. 2. jam est satis declarata. & quidem in hoc nostrum impossibile egregiè cadunt, quæ dicunt de suo adversarii; nam in sensu, & statu

absoluto contradictionem non involvit, quam involvit in sensu, & statu conditionato. possibilia enim substare sine contradictione possunt actui essentialiter falso: quod est in tali statu contradictionem non exercere. at non possunt sine repugnantia trahi ad statum realem ità, ut sunt in actu essentialiter falso: quare si essent ità, ut esse dicuntur, essent, & non essent: quod est contradictionem exercere in statu conditionato.

Prob. jam altera pars minoris, qua contendo, quod si hircocervus sit contradistinctus ab hirco, & cervo realibus, eo ipso impossibilis non est. impossibilis enim est, si positus in re, trahit hanc contradictionem, quod sit hircus non hircus, cervus non cervus. atqui non sequitur ex ejus positione, nisi una pars, nimirum quod non esset hircus, quod non esset cervus. hoc probo. illud enim poneretur, quod cognoscitur: sed cognoscitur aliud ab hirco, & cervo realibus. ergo aliud simpliciter poneretur, non verò poneretur idem, & aliud. Vis huius conseq. apparebit in exemplo. Sumo hominem lapidem; & inquiro, utrum ex huius positione sequatur hircus non hircus, Deus non Deus, &c. an solùm sequatur homo non homo, lapis non lapis? hoc secundum certè dices, non ex alia ratione, nisi quia non poneretur nisi quod cognoscitur. at in homine lapide nec hircus, nec Deus cognosceretur. ergo ex eius positione non potest ullatenus sequi positio hirci, vel Dei. Similiter posito hircocervo, non esset à parte rei, nisi quod priùs erat in cognitione. sed in cognitione talis obiecti non attingitur per adversarios hircus, aut cervus reales, sed aliud omninò obiectum ex toto genere, & plus quam genere contradistinctum. ergo ex eius positione nullatenus sequitur positio hirci, aut cervi realis.

Ex-

Explico magis argumenti vim, sumendo hoc aliud impossibile, Verbum creatura, aut Michael corporeus, in suppositione, quod in specie Michaelis non sit possibile aliud individuum à Michaele. tu dicis, Verbum creatum, & Michaelem corporeum non esse Verbum ipsum divinum, & Michaelem Archangelum, sed aliud omninò obiectum ab his. de hoc objecto sic contradistincto quæro nunc ego rationem impossibilitatis. dicis, ut debes dicere: quia si illud poneretur, esset Verbum non Verbum, Michael non Michael. ego vero contendo, quod ut est contradistinctum in esse obiecti, si illud ipsum poneretur in esse rei, poneretur per locum intrinsecum aliquid omninò contradistinctum à Verbo, & Michaele. at poni aliquid contradistinctum ab his, non est poni aliquid impossibile, aliter essent impossibilia, quæcumque ab his distinguerentur. ergo per locum intrinsecum non poneretur aliquod impossibile, sed possibile.

Dices primò; hoc obiectum supponitur distinctum ab omni possibili. ergo si poneretur, esset possibile, quia poneretur; & esset impossibile, quia non potest non esse impossibile, quod est distinctum ab omni possibili.

Resp. hircocervum eo ipso, quod statuitur obiectum distinctum ab hirco, & cervo, non habere, per quod positum trahat contradictionem. hoc igitur est, quod contendo, si hircocervus sit obiectum ita distinctum, non esse distinctum ab omni possibili, sed numerandum in possibilibus.

Dices 2. hircocervum esse contradistinctum ab hirco, & cervo realibus absolutè, non conditionatè, quatenus licet absolutè non sit hircus, esset hircus, si poneretur, & simul non esset. Eodem modo respondent ad primam rationem; quod impossibile sit à sua impossibilitate, h. e. à possibilibus

ipsis distinctum absolutè; non condionatè.

Verùm in hoc modo respondendi nihil aliud de novo affertur, quàm nuda petitio principii: argumenta enim hactenus facta, ex eo quòd sit absolute distinctus, probant esse distinctum etiam conditionatè, si verum est, quòd illud ipsum, quod est distinctum, poneretur à parte rei: quòdque propterea nullam potest per locum intrinsecum contradictionem involvere. Rursus non rectè asseritur distinctio absoluta obiecti impossibilis à sua impossibilitate unà cum indistinctione conditionata, tum quia similiter poni posset possibile à sua possibilitate contradistinctum absolutè, non conditionatè, quatenus positum in re esset illa ipsa prædicata realia, à quibus ponitur in ratione obiecti contradistinctum, tum quia obiectum, quod in suis prædicatis intrinsecis, & constitutivis repugnantiam non habet, non potest evadere impossibile per formam impossibilitatis distinctam, quam haberet, si poneretur: quod est mihi ità certum, ut est certum, possibile (quo nomine id unum venit, quod in suis prædicatis intrinsecis repugnantiam non involvit) impossibile evadere non posse. Atqui hircocervus in suis prædicatis intrinsecis repugnantiam nullam habet, eo ipso, quod contradistinguitur ab hirco, & cervo, quorum prædicata sunt tota ipsius repugnantia. ergo eo ipso impossibilis non esset, sed possibilis; adeoque non esset à sua repugnantia conditionatè indistinctus.

Sit tertia ratio. Cognoscibilitas nullius rei potest esse prædicatum primum: quod est manifestum paritate appetibilitatis; cum enim obiectum sit ratio voluntati, ut appetat; si esset prima ratio boni appetibilitas, obiectum non probaret se voluntati, nisi petendo principium; ostenderet quippè mereri se amorem, quia meretur amorem. Similiter obiectum est ratio intellectui, ut simpliciter cognoscat, aut ut verè

cognoſcat. quare ſi primum obiecti prædicatum eſſet intelligibilitas ipſa, nihil probaret obiectum intellectui; quia nihil probat, qui dicit intelligibile poſſe intelligi, hoc eſt poſſe intelligi, quod poteſt intelligi: in quo certe nihil de novo ſcit intellectus, niſi ſe eſſe intellectum; nihil prorſus ſciendo de re, cuius eſt intellectus; adeoque cognoſcit relationem ſine termino.

Rurſus qui cognoſcit ſe cognoſcere, in hoc uno revera nihil cognoſcit, niſi cognitioni aliud vel re, vel ratione diſtinctum obiectum aſſignetur. ſed qui intelligit nudam intelligibilitatem ſine alio prædicato, cui innitatur, non aliud cognoſcit, quam ſe cognoſcere; quia intelligibilitas eſt extrinſeca denominatio à cognitione actuali, vel poſſibili; adeoq; qui unam intelligibilitatem cognoſcit ſine alio intrinſeco prædicato, quod intelligibile denominatur, unam cognoſcit formam denominantem; & per conſequens unam cognoſcit cognitionem. Hinc communiſſimè Metaphyſici poſt Ariſtotelem cognoſcibilitatem ponunt paſſionem, non primam quidditatem entis.

Ex hoc principio dupliciter arguo. 1. Si impoſſibile contradiſtinctum eſſet cognoſcibile, primum eius prædicatum eſſet ipſa cognoſcibilitas. petenti enim, quid ſit tale obiectum contradiſtinctum, debes reſpondere per prædicatum commune ipſi, & obiecto poſſibili; quandoquidem prædicatum differentiale non reponitur interroganti per *quid*, ſed per *quale*: ergo debes reſpondere, quod ſit intelligibile, quod ſi pergas interrogari, *quale intelligibile*? reſpondebis, *impoſſibile*. Hoc autem abſonum ex dictis eſt, ergo nullum eſt intelligibile contradiſtinctum ab omni poſſibili.

Conf. cognoſcibilitas per te eſt ratio communis rei, & chimæræ. quæro nunc de iſta cognoſcibilitate, in quo fundetur? non in præ-

dicato proprio; quia nullum prædicatum commune fundatur in proprio. non in alio prædicato communi anteriori; quia nullum tale est assignabile commune enti, & chimæræ, qualem chimæram adversarii statuunt. quare ipsi non aliud dividunt; quàm ipsum intelligibile in ens, & chimæram, possibile, & impossibile.

2. Si intelligibilitas universim est prædicatum non primum. sed secundum, quodque necessariò fundatur in alio; jam in omni re intelligibilitas est prædicatum, quod potest à priori probari per aliud prius, ut omnis passio probatur per suam quidditatem. Sumo igitur objectum illud contradistinctum; & quæro, unde habeat, quod sit intelligibile? ab ipsa, inquies, sua impossibilitate. Bene est. sed hinc fit, ut sit recta hæc consequentia; *A non est possibile*, seu *dicit in suis terminis repugnantiam. ergo A est cognoscibile.* hæc autem consequentia nulla est; aliter ex opposito consequentis liceret arguere ad oppositum antecedentis, quod licet in omni bona sive formaliter, sive materialiter consequentia. quare rectè argumentabimur sic: *A non est cognoscibile, ergo A est possibile*, seu *non dicit in suis terminis repugnantiam*. quod est falsum evidenter.

Possem urgeri per instantiam. qui enim negationem contingentem esse ens abusivum assero, debeo admittere intelligibilitatem communem enti, & non enti; adeoque intelligibilitatem, quæ sequatur tum rationem entis, tum rationem non entis. Unde hic etiam valebit; A non est ens. ergo A est cognoscibile: & rursus ex opposito, A non est cognoscibile, ergo A est ens.

Sed facile respondeo, cognoscibilitatem simpliciter esse passionem, quæ consequitur realitatem obiectivam independentem ab opere mentis. quæ verò consequitur rationem negationis, non est cognoscibilitas generica; sed talis,

talis, ſicuti eſt cognoſcibilitas, quæ conſequitur entis differentias.

Inſtabis, ſimiliter dici poſſe, quod cognoſcibilitas communis enti, & chimæræ ſit ratio conſequens rationem entitatis ſignificabilis, aut rationem potentis in aliquo ſtatu exiſtere.

Sed utraque iſta ratio re ipſa nulla eſt ratio, quæ poſſit intelligibilitatem ſimpliciter dictam anteire. Nam nomen *entitas* æquivocè omninò dicitur de chimæra: ſignificabilitas autem aut eſt per voces, aut per conceptus. hæc eſt ipſa intelligibilitas: illa ſequitur hanc. Poſſe autem in aliquo ſtatu exiſtere, eſt poſſe exiſtere vel in ſtatu intentionali, vel reali; quod eſt vel poſſe eſſe, vel poſſe cognoſci. quare cum in chimæra intelligibilitas non ſequatur ad poſſe eſſe, ſequetur ad poſſe cognoſci; quod eſt idem ſequi ſe ipſum.

QUÆSTIO TERTIA.

De Oppoſitione Entis cum ſui negatione.

UBi ens, eiuſque oppoſitum non ens, ſeu chimæram abſolutè conſideravi, ſupereſt, ut ea invicem comparem ſecundùm oppoſitionem, qua ſe mutuo excludunt. Sermo igitur hic erit de contradictoria oppoſitione, qualis intercedit inter ens, & non ens, poſſibile, & impoſſibile; de eaque inquiram, ſitnè prima, & maxima aliarum oppoſitionum. deinde ſitnè omnis ſumma, ita ut gradualitatem, ac latitudinem non ſuſcipiat. tum demum veritatem primi principii examinabo, quæ in iſta oppoſitione fundatur.

CAPUT I.

Utrum oppositio contradictoria sit prima, & maxima oppositio.

OPpositio alia propositionum, de qua Aristoteles 1. periherm. alia rerum seu terminorum, de qua in prædic. c. de oppositis. Prima oppositio ad Logicum pertinet: secunda ad Metaphysicum. Dividitur hæc oppositio in quatuor genera, in contradictoriam privativam, contrariam, & relativam; de quibus nonnihil in post prædic.

Sufficientia huius divisionis ex eo communiter ostenditur; quia oppositio omnis vel est inter ens, & non ens, vel inter ens, & ens. Inter ens, & non ens absolutè, est oppositio contradictoria, inter ens, & non ens in subiecto determinato, & utriusque capaci est oppositio privativa. Inter ens, & ens, quæ se mutuò expellunt, ac destruunt, est oppositio contraria. Inter ens & ens, quæ se mutuò respiciunt per connexionem, aut dependentiam, est oppositio relativa.

Aliter id probat D. Thom. 5. Met. lect. 12. Quod opponitur alteri, vel opponitur ratione dependentiæ, & connexionis, quam habet cum illo: & sic opponitur relativè. vel ratione remotionis: & hoc tripliciter; aut enim totum removet, nihil omninò relinquens: & habetur contradictio aut relinquit subiectum solum: & habetur privatio. aut relinquit subjectum, & genus: & habetur contrarietas; contraria enim sunt in eodem subiecto, & in eodem genere.

Inter has oppositiones maxima, & prima est contradictio. Ita Phil. 10. Met. t. c. 15. & D. Thom. opusc 34. c. 1. quos reliqui sequuntur, exceptis paucis innominatis apud Soncinna-

tem 10. Met. qu. 18. qui maximam contrariam minimam oppositionem contradictoriam voluerunt.

Prob. hæc assertio ratione ipsius Arist. in 1. post. Quæ oppositio excludit omne medium inter opposita, ea est maxima oppositio. talis est contradictio. ergo. maior constat: quia medium, cum participet utrumque extremum, ostendit convenientiam extremorum, & ideò minuit rationem oppositionis. quare extrema medium omne excludentia, nullam prorsus convenientiam habent; adeoque summam repugnantiam. Minorem octo rationibus probat Phil. 4. Met. à t. cap. 27. apud Alensem. sed ea tamen ita est per se evidens, ut probationem non recipiat, nisi eam, qua prima principia probantur, si probantur. Omne enim medium aut est per participationem, aut per remotionem utriusque extremi. primum excluditur a contradictione vi illius principii, *Idem non potest simul esse, & non esse*. Secundum excluditur vi alterius. *Quodlibet est, vel non est*. quare ut non potest probari primum principium, ita nec potest probari contradictionem excludere medium. Quæ ergo ibi à Philosopho afferuntur ad id probandum, non valent, nisi ex suppositione, quod aliquid concedatur ab adversariis, cuius oppositum contra ipsos infert; ut inferius c. 3 dicam.

Hinc infertur, contradictoria oppositione nullam esse maiorem: item, ipsam esse maiorem contraria, & relativa, quæ cum intercedant inter positiva, possunt medium admittere. ex quo etiam major est privativa; cum enim hæc aliquid positivum carentiæ admisceat, capacitatem scilicet subiecti, potest & medium admittere per abnegationem extremi utriusque ut admittit in lapide, qui nec videns est, nec cæcus. Denum quia contradictio mensurat reliquas oppositiones, non solum

maxima est sed prima oppositio. Et quidem quò magis oppositio alia accedit ad contradictoriam, eò est maior. hinc privativa duabus reliquis est maior, quia proxima contradictoriæ sequitur contraria, cuius extrema se invicem interimunt. relativa est minima, quòd eius extrema se mutuò ponunt.

Dices 1. oppositio, quæ minùs elongat à se invicem extrema, minor est oppositio. at contradictoria minimè elongat, cum sit inter extrema immediata, excludentia scilicet omne medium. ergo est minima oppositio.

Sed quamvis in iis, quæ distant localiter, ac dimensivè, quæ plura habent media, plus distant; loquendo tamen de distantia formali inter extrema in genere entis, ea plus elongantur, quæ magis medium excludunt; sic enim magis excludunt convenientiam.

Dices 2. ex minori oppositione non infertur maior. sed quælibet alia oppositio infert contradictoriam, quia quælibet infert distinctionem, quæ est aliqua contradictio. ergo hæc non est maxima oppositionum.

Nego maiorem, dum enim minus connectitur cum maiori, ex minori licet colligere majus. Ita ex distinctione specierum infertur distinctio differentiarum; quæ tamen magis secundùm rationem distinguuntur, quàm ipsæ species. nam species conveniunt in genere. differentiæ sunt primò diversæ.

Dices 3. si oppositio maxima inter terminos esset contradictoria; eadem esset maxima inter enunciationes. hoc est falsum. ergo & illud. min. prob. 1. ista est bona consequentia, *Omnis homo currit, ergo aliquis homo currit*. impossibile autem est, ut aliquid plus repugnet consequenti, quam antecedenti. ergo ista propositio, *nullus homo currit*, non plus opponitur huic, *aliquis homo currit*, quam illi, *omnis homo currit*. Sed huic opponitur contra-

dictoriè, illi contrariè. ergo oppositio contradictoria non est maior contraria in enuncia. tionibus. 2. quæ se invicem magis destruunt. sunt magis opposita. at contrariæ propositiones magis se destruunt, quam contradictoriæ; magis enim destruit istam, *omnis homo currit*, qui dicit nullum currere, quam qui dicit aliquem non currere. Similiter impossibile plus tollitur à necessario, quam à possibili.

Nego min.ad 1. prob. dico aliquid posse plus repugnare consequenti, quàm antecedenti. ista enim consequentia tenet, *est rationale, ergo est sensitivum*: & tamen non sensitivum plus sensitivo, quam rationali repugnat. Ad 2. dico oppositionem inter propositiones debere sumi formaliter secundùm veritatem, & falsitatem, non materialiter secundum obiecta significata. quamvis ergo universalis negativa magis destruat materialiter universalem affir. mativam, formaliter magis destruit particularem affirmativam; duæ enim universales affirmativa, & negativa possunt convenire in falsitate. at negativa universalis, & particularis affirmativa nec possunt in veritate, nec in falsitate convenire. quod idem dici debet in modis de necesse, & impossibili.

CAPUT II.

Num contradictoria oppositio suscipiat magis, & minus.

PRæsentem controversiam paucissimi, quod sciam, ex professo agitarunt. P. Vasquez 1.p.q.25.disp.104.cap.6. primus fortasse aperte, & ex professo contendit, ex necessariis unum esse altero magis necessarium, & ex impossibi. i bus unum magis impossibile altero: quæ asse rtio stare non potest, nisi simul asseratur unam contradictionem esse altera majorem,

rem, ut constabit in decursu; ac proinde author est gradualitatis inter contradictiones. Vasquium sequutus est novissimè P. Nicolaus Martinez in egregio opere de Scient. Dei contr. 2 disp. 4. sect. 2. per totam, ubi habet inter cætera; *Quod una contradictio non possit esse maior, quàm alia, est principium, quod sine probatione assumitur; cum oppositum facile probari posset.*

Oppositum sentit P. Suar. 9. de Trinit. c. 6. n. 19 & 20. & 3. de Attrib. posit. c. 9. n. 13. Utrum deinde consequenter idem Suarez disput. 6. de Fide sect. 5. num. 10. asserat certitudinem, quæ non est aliud, quam necessitas veritatis in actu, maiorem esse in divina Fide, quam in alio quovis etiam evidentissimo actu naturali, alii videant.

Pro hac etiam sententia, quæ mihi placet, stat Scotus; quidquid in contrarium asserat l. cit. Martinez, principium scilicet Vasq. desumi ex Scoto, & esse valdè familiare huius Doctoris discipulis. Sed Scotus in 4. d. 1. q. 1. §. *Ad prob. ergo minoris*, hæc habet: *Ad aliam probationem minoris de quibuscumque contradictoriis dico, quod licet quæcumque contradictoria sint æquè incompossibilia inter se, non tamen æquè distantia.* & paulò post ait, quod *æquè incompossibilis est anima cum non anima, sicut nihil cum toto ente.* Idem habet Tartaretus ibidem, ubi ait, quod *inter omnia contradictoria est æqualis impossibilitas, & æqualis repugnantia.* Eadem est mens Ochami, & Gabrielis in 1. d. 2. q. 1. Rubion in 1. d. 2. q. 5. ar. 3. ad 1. *primò sibi oppositum.* Ex hac ipsa sententia supposita ut certa Arriaga, Oviedus, & Recentiores passim arguunt impossibilitatem distinctionis virtualis intrinsecæ, quæ si salvat ea contradictoria *cognosci, & non cognosci*, salvat & omnia, cum omnia æqualiter contradicant.

§. I.

§. I.

Pars negativa eligitur, & probatur.

PRæmitto, quod comparatio instituta inter oppositiones se habet ad modum non proportionis, sed proportionalitatis, quæ est proportio proportionum, & fieri debet non inter duos, sed inter quatuor terminos. comparabimus ergo Deum cum non Deo, & hominem cum non homine, & inquiremus, utrum in Deo sit maior repugnantia cum non Deo, quàm hominis cum non homine; an verò sit repugnantia omninò æqualis in hoc consistens, quod tantundem Deo non Deus, ac homini non homo repugnet. Ex quo fit, nisi fallor, manifestè, ut impertinenter se habeat ad rem præsentem excessus infinitus perfectionis divinæ supra perfectionem humanam; quia non fit comparatio inter extrema unius, & extrema alterius oppositionis, quæ esset comparatio inter oppositionis materialia, sed inter oppositiones ipsas formaliter sumptas secundùm habitudinem repugnantię unius ad aliud.

Ut hoc ipsum meliùs declarem (quamvis enim sit res per se manifesta, video tamen adversarios in hoc sæpiùs offendere) duo afferam exempla. primum sit in comparatione instituta inter oppositiones contradictoriam, & contrariam, quarum prima, nemine refragante, maior est quam secunda; & tamen extrema contrarietatis maiora sæpè, & perfectiora sunt, quam extrema contradictionis; ut est evidens comparando calorem, & frigus ex una parte, sessionem, & non sessionem ex altera. Non ergo in comparatione oppositionum formaliter venientium attendenda est natura extremorum. Secundum sit in comparatione æqualitatum, quæquidem, si Mathematicæ sint æqua-

lita-

litates, magis & minus non suscipiunt; neque enim maior est æqualitas ulnæ cum ulna, quàm palmi cum palmo, quia ulna maior est palmo. Idem valet in excessibus; neque enim centenarius numerus plus superat quinquagenarium, quàm denarius quinarium, quia centenarius major est denario. sed utrobique habetur æqualis omninò excessus per duplam proportionem. Fixum igitur sit, ut in proportionibus, ita & in oppositionibus metiendis non habendam esse rationem extremorum materialiter venientium.

Arguo nunc 1. ut ostendam omnia contradictoria æqualiter repugnare. Unum contradictorium alteri repugnare, est, illud per se formaliter tollere. Sed non magis Deus tollitur à non Deo, quam homo à non homine. ergo non magis repugnat. min. prob. non Deus ita tollit Deum, ut nihil prorsus de Deo relinquat; & ita pariter non homo tollit hominem: & universim omnis negatio, quæ propterea dicitur esse malignantis naturæ totum, & totaliter suum positivum excludit, & tollit. in hoc autem concipi latitudo non potest; tunc enim excessus esset in una repugnantia ad aliam, cum una omninò tolleret, alia non omninò; sed si utraque omninò, qui poteris explicare majoritatem, nisi dicendo, quod una tollit omninò, alia plusquam omninò? quod dici non potest; ut enim nihil est ultra omnia, ita *plus* non est ultra *omnino*. Declaratur idipsum à contrario. Creatio est maior generatione in linea productionis, quia quamvis utraque totum, sola tamen prima totaliter ponit suum terminum; sed una creatio non est alia proportionaliter maior; quia quamvis creatio Angeli habeat terminum perfectiorem creatione animæ; ut tamen illa totum, & totaliter Angelum, ita hæc totam, & totaliter animam rationalem producit. hinc quamvis creatio Angeli dicatur

catur ponere maiorem effectum, cum tamen non dicitur magis ponere. Idem dic de annihilatione, qua Angelus non dicitur magis destrui, quam anima. Manifestum igitur est, quod in positione, aut destructione terminus totus, & totaliter seu ponatur, seu tollatur, non est intelligere maiorem, minoremve sui positionem, seu destructionem.

Arguo 2. Ex regula Topica, *Sicut simpliciter ad simpliciter, ità magis ad magis*, in iis, quæ suscipiunt magis, & minus: ut, si album disgregat, magis album magis disgregat. Si ergo contradictio magis, & minùs suscipit, hæc etiam regula in contradictione valebit. fiet ergò, ut quia calidum repugnat non calido, calidissimum magis repugnet non calido. Sed hoc est apertè falsum; quia calidum non calido contradictoriè opponitur; qua ratione non calido calidissimum non opponitur, cum sit medium inter calidissimum, & non calidum; adeòque minùs opponatur. Ex quo ulteriùs manifestè colligo, contradictionem in indivisibili positam. Ut enim in indivisibili stat æqualitas; quia per augumentum unius partis non augetur, sed tollitur: & ut maneat, debet pari intervallo crescere alteras pars: item in contradictione si augetur perfectio extremi positivi, non augetur, sed tollitur contradictio: quæ ut perseveret, debet hoc ipsum incrementum removeri ab extremo negativo, adeòque debet crescere in hoc vis exclusiva. Semper ergò per æqualia intervalla procedunt contradictionis extrema; & per consequens semper æqualitas in oppositione servatur. Hinc quia procedendo in æqualitate usque ad Deum; & Deum, si alter Deus possibilis esset, maior æqualitas non esset, quam inter hominem, & hominem; procedendo in oppositione usque ad Deum, & non Deum, maior oppositio non erit, quam inter hominem, & non hominem.

Ar-

Arguo 3. tanta est præcisè vis in uno contradictionis extremo ad alterum expellendum, quanta præcisè ad illud expellendum requiritur nec major, nec minor. ergo æqualis est in quolibet cum suo contradictorio repugnantia. conf. videtur recta; si enim tanta sit vis in calore ad expellendum frigus; nec maior, nec minor, quanta præcisè requiritur; & tanta similiter sit vis in albedine ad expellendam nigredinem; non potest intelligi. quod magis calori frigus, quam nigredini albedo contrarietur. Similiter si tantum virium habet gigas ad gigantem superandum, quantum præcisè est opus, nec plus, nec minus: & tantum pariter pumilio ad superandum pumilionem; non potest intelligi, quod maior sit proportionaliter, ac Geometricè in gigante vis superativa gigantis, ac in pumilione vis superativa pumilionis. antec. prob. manifestè, quia ad expellendum non Deum nec plus, nec minus requiritur, quam esse Deum: & ad superandum non hominem, nec plus, nec minus requiritur, quam esse hominem; & sic de aliis.

Dices, ex hoc non aliud probari, nisi quod in homine non potest esse maior, & minor vis excludendi non hominem, & in Deo non possit esse maior, & minor vis excludendi non Deum: non verò, quod in Deo non sit maior vis excludendi non Deum, quam in homine non hominem.

Sed contrà est; quia argumentum non facit vim in eo, quod homo ità excludit non hominem, ut non possit ipse magis, nec minus excludere: quod idem valeat in Deo relate ad non Deum; ex quo inferat æqualitatem exclusionum. sic enim pateretur manifestam instantiam in ubicationibus; quandoquidem ubicatio Viennensis ità distat à Parisiensi, ut non possit ipsa distare magis, vel minus, atque ità etiam distat ubicatio Neapolitana à Romana: & tamen

men plus distat Viennensis à Parisiensi, quàm Neapolitana à Romana. Vim ergo facit in eo, quod in homine est vis præcisè necessaria ad excludendum non hominem, nec potest intelligi vis alia seu maior, seu minor homine, quæ non hominem excludat; & talis etiam est vis Dei ad excludendum non Deum, unde infert vires istas exclusivas esse æquales geometricè, cum æqualiter omninò comparentur ad terminos exclusos, non sic est in ubicationibus; quamvis enim Parisiensis non possit ipsa, potest tamen alia distare magis à Viennensi, at in exclusione non hominis ne mente quidem fingi potest, quod illam formaliter præstet; nisi homo, adeòque in homine sunt vires excludendi non hominem & sufficientes, & præcisæ, h. e. non maiores, nec minores quàm requiratur: & eædem prorsus sunt in Deo excludendi non Deum & per consequens utrobique proportionaliter æquales.

Arguo demum 4. supponendo, quod sequenti capite probabo, primum principium, *Idem non potest simul esse, & non esse*, ità esse notum, & certum, ut nihil sit ipso notius, nihil certius; cum ipsum sit, in quod omnis evidentia, & omnis certitudo resolvatur; adeòque est primum, & summum verum veritate complexa. Nunc sic. Quod ex genere involvit summam necessitatem veritatis, & summam repugnantiam falsitatis, non potest sub ea ratione permittere latitudinem; ut constat ex terminis, at incompossibilitas quorumcumque contradictoriorum ex genere involvit summam necessitatem veritatis, & summam repugnantiam falsitatis. ergo latitudinis non est capax. min. prob. Veritas primi principii complexi, ut supposui, summa est in necessitate veritatis, adeòque in repugnantia falsitatis. ergo quidquid eam involvit, eandem necessitatem, & repugnantiam involvit. atqui eam involvit omnis

con-

contradictoriorum incompossibilitas; cum enim primum principium sit prolatum in terminis transcendentibus entis, & non entis: ratio autem entis, & non entis imbibita sit in omni termino positivo, & negativo; necesse est, ut tota ejus veritas insit cuilibet propositioni, in qua enunciatur particularis incompossibilitas. Sic quia homo est formaliter ens, & non homo non ens, in ista propositione, *impossibile est ut idem sit homo, & non homo*, involvitur illa: *impossibile est, ut idem sit, & non sit*.

Ex his sequitur evidenter, sub Metaphysica necessitate non esse reperire unam alia maiorem, Necessarium enim Metaphysicè dicitur, cujus oppositum implicat contradictionem; adeòque ista duo penitus æquivalent, *A est necessarium, & B, quod est ejus oppositum, contradictionem involvit*. atqui in contradictionis repugnantia non datur magis, & minus. ergo nec datur magis, & minus in necessitate Metaphysica.

§. II.

Partis affirmantis argumenta diluuntur.

OBiic. 1. Aristotelem 2. Met. t. c.4. relatum à D. Thom. 1. p. q. 2. art. 3. o. ubi probat Deum esse. assumit ergo ibi S. Doctor aliqua esse magis, & minus vera; unde infert, dari ens summè verum, quod sit mensura reliquorum. atqui esse verum est esse exclusivum suæ falsitatis, adeòque & sui contradictorii. ergo datur in rebus maior, & minor vis contradictorii sui exclusiva; adeòque maior, & minor contradictio.

Conf. ex 4. Met. t. c. 18. ubi ait Philosophus, quod qui dicit duo esse quinque minus falsum dicit, quam qui dicit duo esse mille: utrumque autem est necessariò falsum, adeòque im-

possi-

possibile. ergo unum impossibile est altero maius.

Resp. verum accipi per ordinem ad intellectum, quem potest ens movere ad sui cognitionem; atque ita latitudinis est capax; quò enim ens est perfectius, eo perfectiorem exigit, aut efficit cognitionem; & accipi, ut accipitur in argumento; atque ita nec accipitur ibi à Philosopho, nec à D. Thoma (qui sane ad Deum probandum tali acceptione non indigebat) sed gratis omninò à solo arguente.

Ad conf. dictum est iterum in Log. ubi de formali veritate, an magis, & minus suscipiat. Solum ergo probat hic textus dari magis, & minus in formali falsitate per maiorem, aut minorem recessum à veritate: & hanc latitudinem ibi etiam admisi, quoties obiectum est divisibile, & ex pluribus constans, ut in casu. at non debet idem dici de impossibilitate; hæc enim non habetur per maiorem, vel minorem accessum, sed per inclusionem summæ necessitatis, quæ habetur in primi principii veritate. Addo, posse admitti unum impossibile maius altero non intensivè, sed quodammodò extensivè, quatenus habet plures causas suæ impossibilitatis. & ita est in casu plures enim sunt causæ exclusivæ binarii in millenario, quàm in quinario.

Obiic. 2. Ens maius, & perfectius exigit perfectiones, & proprietates maiores. atqui excludere suum contradictorium est proprietas, & perfectio entis. ergo maius ens magis excludit.

Conf. ex oppositione contraria; quo enim unum contrarium perfectius est, eo magis repugnat suo contrario. ergo & perfectius contradictorium magis repugnat suo contradictorio.

Resp. maiorem esse veram in proprietatibus, & perfectionibus, quæ latitudinem, gra-

duali-

dualitatemque suscipiunt, qualem non esse contradictoriam oppositionem satis jam ostendi. Et quidem aliter probabitur eodem argumento proportionem unam duplam esse alia majorem, quia proportio est passio numeri; & in numeris unus est alio maior, proindeque perfectior.

Quod si instes; Vis exclusiva sui contradictorii est indistincta ab ente. Sed unum ens est perfectius alio. ergo una vis est maior alia. 1. redargueris in proportionibus. 2. concludis excessum arithmeticum, non geometricum. 3. si sic arguis, *ens est perfectius, & exclusivum. ergo est perfectius exclusivum*, committis fallaciam sensus compositi: ut cum ex eo, quod equus sit pater, & tuus, infers, quod sit pater tuus. debet ergo inferri, quod vis exclusiva sit perfectior, & maior, non verò quod sit magis exclusiva; quia vis exclusiva formaliter non est accipienda solùm ex parte excludentis: sed etiam exclusi, ut dictum est.

Ad conf. paritas de contrariis probat oppositum, si sumatur, ut debet: de quo satis est dictum in tertia probatione conclusionis. Et quidem si supponatur calor habere vim exclusivam frigoris, ut decem, & ut decem habere vim frigus excludendi calorem, constat, quod non sit in calore major vis exclusiva frigoris, quam in albedine ad excludendam nigredinem si in his ambabus sint vires mutuò exclusivæ tantùm, ut duo. at Deus quamvis infinitè perfectior homine, comparatur tamen cum non Deo habente vim non quidem physicam, sed logicam interimendi hanc ipsam perfectionem infinitam. non ergo maiorem habet vim excludendi non Deum, quam homo non hominem.

Obiic. 3. Deus habet maiorem necessitatem, quam quælibet creatura etiam accepta ut possibilis. ergo datur una necessitas maior alia.

antec.

antec. prob. 1. quod minus habet de contingentia, plus habet de necessitate. at Deus nullam habet in se contingentiam. creatura etiam possibilis contingens est. ergo magis est necessarius Deus, quam creatura possibilis. 2. simpliciter tale est magis tale, quam quod est tale secundùm quid. Deus est simpliciter necessarius: creatura possibilis est necessaria solum ex suppositione. ergo.

Conclusio procedit de necessitate comparata cum necessitate. itaque comparandus est Deus cum creatura non absolutè (sic enim compararetur necessitas cum contingentia) sed conditionatè: & hoc pacto comparando, dico non esse magis necessariam hanc veritatem, *Deus est*, quam istam, *si homo est, animal rationale est*, utraque enim est talis, ut opposita contradictionem involvat. Nego igitur in hoc sensu antec. ad 1. prob. dico creaturam consideratam conditionatè, & logice nullam prorsus habere contingentiam, ut sit talis, qualis per hypotheticam conditionalem enunciatur. ad 2. dico veritatem hypotheticam de creaturis non esse necessariam secundùm quid, sed simpliciter, cum sit necessaria Metaphysicè; quæ una est necessitas simplicitet dicta. Verum tamen est Deum dici necessarium simpliciter. h. e. absolutè, creaturam secundum quid, seu conditionate; quo notatur Dei necessitas esse physica, creaturæ logica; illa est necessitas quoad esse, hæc quoad esse verum. Cæterùm si spectentur necessitates huiusmodi in linea repugnantiæ cum opposito, æquales sunt.

Non negaverim, Deum posse, & debere etiam dici magis necessarium, quam creaturam veluti extensivè, quia scilicet habet duplicem necessitatem, absolutam, & conditionatam, cum creaturæ non competat, nisi conditionata. at ex hac maioritate unius necessarii supra alterum non licet deducere majoritatem etiam necessa-

cessitatis. Sic homo homini æqualis tum entitativè, tum quantitativè dicitur illi magis æqualis, quàm alteri, cui est solùm entitativè æqualis: nec proinde una æqualitas est altera maior.

Obiic. 4. omnes perfectiones simpliciter simplices; quæ in Deo, & creaturis reperiuntur, sunt in Deo cum infinito excessu. sed excludere contradictionem est perfectio simpliciter simplex. ergo est in Deo cum infinito excessu.

Responsio constat ex dictis. quod est commune Deus, & creaturis, in Deo est cum excessu, si illud sit capax excessus. excludere autem contradictionem tam non capit excessum, quàm non capit excessum contradictio. Deinde hæc ipsa perfectio est in Deo infinitè major absolutè, & arithmeticè; sed non est major comparativè, & geometricè; quia Deus comparatur cum non Deo negante infinitam perfectionem, & homo cum non homine negante perfectionem finitam.

Obiic. 5. ex doctrina Scoti in 4. d. 1. qu. 1. ubi probat, quod dum extrema sunt immediata, tanta est præcisè eorum distantia, quantum est extremum alterum majus. ex quo sic arguitur. Deus à non Deo magis distat, quàm Petrus à non Petro. ergo Deus magis repugnat non Deo, quam Petrus à non Petro. prob. conseq. 1. quia distantia, qua distat Deus à non Deo, est ipsissima repugnantia, quam habet Deus cum non Deo. 2. quia eadem ratione, qua probatur maior distantia, probatur etiam major repugnantia; maor enim distantia probatur, quia recessus immediatus eo maior est, quo est majus extremum recedens: & hoc ideò, extremum immediatè per se recedit. sed etiam extremum immediatè per se repugnat. ergo maior etiam est ex hujus maioritate repugnantia.

Hoc

Hoc argumentum multò meliùs penetravit Scotus ipse, qui propterea distantiam inæqualem asseruit ibi inter contradictoria, sed æqualem repugnantiam, ut constat ex ipsius verbis huius capitis initio recitatis. Resp. igitur, dist. antec. Deus à non Deo magis distat, si distantia sonet excessum in linea perfectionis, concedo; si sonet exclusionem convenientiæ, & compossibilitatis, nego antec. & consf. ad cuius 1. prob. negatur assumptum. Ad 2. disparitas inter unam, & alteram distantiam est evidens; magis enim elongatur in linea perfectionis, quod est omnis perfectio, qualis est Deus, ab eo quod est nulla perfectio, qualis est eius negatio, quàm quod est aliqua perfectio, qualis est Petrus, ab eo quod est aliqua similiter perfectio, qualis est negatio Petri, quæ in quantum excludit Petrum imperfectum aliqualiter perfecta est, & amabilis. Non sic res se habet in linea repugnantiæ, in qua tantundem elongatur Deus à non Deo, & Petrus à non Petro, per omnimodam scilicet exclusionem omnis compossibilitatis, & convenientiæ.

Declaratur id magis, quò res est perfectior, eò imperfectior est eius negatio; quia ex terminis quò plus de perfectione negatur, eò major imperfectio importatur per negationem. Instituatur igitur comparatio inter Angelum, & non Angelum ex una parte, lapidem, & non lapidem ex altera secundùm excessum perfectionis, constabit manifestè, majorem esse excessum Angeli, quàm lapidis; impossibile enim est, ut excessus sint æquales, dum ad incrementum excedentis minuitur excessum; nam si numerus centenarius excedit denarium, impossibile est, ut non excedat magis, si augetur centenarius, & denarius minuitur. Ex hoc ipso capite constat repugnantias esse æquales, ut videre est in secunda probatione conclusionis.

Demum est alia disparitas ex tertia ejusdem conclusionis probatione; lapis enim non habet tantum præcisè, nec plus, nec minus, quantum requiritur ad excedendam sui negationem; Angelus enim excedit quoque lapidis negationem, & quia excedit ipsum lapidem, consequens est, ut magis excedat negationem lapidis, quam lapis ipse. oppositum autem contingit, in repugnantia, ut dictum ibi est.

CAPUT III.

An hoc sit primum simpliciter principium, idem non potest simul esse, & non esse.

POst tractatam contradictionis naturam, accedo ad primi principii complexi veritatem, quæ in contradictoriorum repugnantia fundatur. Est autem hæc tractatio Metaphysicæ propria, quæ propterea dicitur sapientia reliquis scientiis principia subministrans. quamvis autem principia prima per se, & sine ullo discursu innotescant; adeòque ad nullam scientiam pertineant ut conclusiones; pertinent tamen, in quantum per aliqualem discursum possunt confirmari adversus protervè illa negantes. Hoc autem certe Metaphysicum est, cuius est considerare ens secundum se, eaque proinde omnia, quæ de ente quà tali verificantur.

Venio igitur ad rem, & adverto primum principium efferri posse sub terminis tum Logicis, tum Metaphysicis. quia est exclusivum medii à contradictoriis: medium autem est vel per inclusionem, vel per exclusionem extremorum; potest sub utriusque terminis dupliciter efferri, vel ut excludat scilicet medium positivum, vel medium negativum: Primo modo effertur Logicè, dicendo, *Non potest de eodem*

dem esse affirmatio, & negatio vera: effertur Metaphysicè, dicendo, *Non potest idem simul esse, & non esse*. Secundo modo effertur Logicè sic, *De quolibet est affirmatio, aut negatio vera*: effertur Mataphysicè sic; *Quodlibet est, aut non est*. Sed Logicè prolatum posterius est se ipso prolato Metaphysicè; propositio enim vera est, aut falsa, quia res est, vel non est, non è converso.

Hæc certa: illud dubium, an duo illa, *Idem non potest simul esse, & non esse, Necesse est quodlibet esse, vel non esse*, sint formaliter duo, an unum principium. P. Suarez. disp. 3. Met. sect. 3. num. 5. putat esse duo; *Sicut enim*, inquit, *in contrariis, vel privativè oppositis aliud est, quod non possunt convenire eidem, aliud verò, quod alterum eorum debeat necessariò convenire, ut per se est manifestum; ità etiam in contradictoriè oppositis hæc duo formaliter, & in rigore diversa sunt*. Deinde à Philosopho ubique ista numerantur, ut duo distincta principia. & huc quoque facit communis usus Dialecticorum distinguentium inter hæc duo; *Impossibile est contradictorias esse simul veras*, &, *Impossibile est contradictorias esse simul falsas*.

His non obstantibus, arbitror cum Javello apud eundem Suarium, ista non esse duo, sed unum formaliter principium. Duæ enim propositiones omninò æquivalentes, ut sint duæ materialiter, formaliter non sunt, nisi una propositio. at duo illa principia omninò æquivalent; ut enim constat ex Summulis, ubi de æquivalentia modalium, ista propositio, *Necesse est quodlibet esse, vel non esse*, penitus æquivalet huic, *Impossibile est aliquid neque esse, neque non esse*: at ly *neque non esse* perinde est, ac *esse*, cum duæ negationes affirment. ergo illa prima *de necesse* æquivalet omninò huic. *Impossibile est aliquid non esse, & esse*. Apparet igitur, quod ex propria ratione oppositionis con-

tradictoriæ idem formaliter est excludere medium inter sic opposita seu positivum, seu negativum.

Et hinc patet responsio ad argumenta Suarii: quamvis enim in aliis oppositis non fit formaliter idem excludere medium per participationem, & per abnegationem extremorum; est tamen formaliter idem in contradictoriis, in quibus alterum extremum est mera negatio. Aristoteles autem duo hæc principia affert tanquam duo non formaliter, sed materialiter distincta, ut ostendat repugnantiam contradictionis excludere utrumque medium; quæ tamen exclusio in extremis positivis est duplex, sed in extremis, quorum alterum est positivum, alterum negativum, non est formaliter, nisi una exclusio.

Post hæc dicendum, quod hoc principium, *Idem non potest simul esse, & non esse*, inter omnia est simpliciter primum. Hæc est communissima assertio contra Ant. Andream 4. Met. q. 5. ubi non hoc dicit esse primum, sed illud, *ens est ens*. Meritò tamen à reliquis exploditur; quia hæc propositio cum sit identica, & nugatoria, in nulla scientia sumi potest, ut principium demonstrandi. aliter in omni scientia primum simpliciter principium erit illud, in quo scientiæ subiectum de se ipso prædicatur, ut in physica, *ens mobile est ens mobile*. imò in qualibet scientia tot essent principia prima, quot sunt particularia subiecta de se ipsis prædicabilia, ut in Metaphysica, *substantia est substantia, accidens est accidens, &c.* istæ enim æquè sunt notæ, ac illa, *ens est ens*.

Vt ergo probetur conclusio, adverte, duplex esse genus demonstrationis. Vna dicitur ostensiva, altera ducens ad impossibile, seu redargutiva. in prima proceditur directè à causa ad effectus, & ab essentia ad passiones. in altera fit, quidam regressus, & cogitur adversarius

rius negare, quod concessit, aut concedere, quod negavit, adeòque negare, & concedere idem, quod est fateri idem esse, & non esse. Jam verò prior demonstratio supponit secundam, in eamque resolvitur: non sic posterior primam. Cum ergo dicimus, hoc esse principium simpliciter primum, loquimur de primitate in linea demonstrationis ducentis ad impossibile: in qua profectò nunquam sistimus, nisi deventum fuerit ad hoc, quod sequatur idem simul esse, & non esse; in quo ultimo sistit intellectus.

Hinc habes, tale principium esse primum non modo in humana, & naturali, ut malè limitat Suarez, sed etiam in omni scientia. Ratio est; quia primum principium duo dicit, unum de negativo, ut non probetur per aliud, alterum de relativo, ut omnia probentur per ipsum. Utraque hæc conditio generaliter competit huic principio. nam certè ipsum probari non potest per aliud prius se. Rursus per ipsum omnia probantur, etiam Fidei, & supernaturalia principia, v. g. illud, quod Deus sit prima, & summa veritas, qualis si non esset, Deus, & non Deus esset. Et quidem universim omnis veritas probatur, reducendo ipsam ad ipsius necessitatem: necessitas autem probatur per reductionem ad oppositi impossibilitatem: impossibilitas autem involvit veritatem primi principii. ergo omnis veritas tandem reducitur ad principii veritatem. Hinc meritò dixit Commentator 2. Met. c. 1. quod sine hoc principio nemo potest philosophari, disputare, aut ratiocinari.

Dices 1. non est primum illud principium, quod potest ulteriùs probari. atqui potest ulteriùs probari hoc principium, cum fuerit de facto probatum ab Aristotele per totum penè 4. Met. lib. à t. 9. contra Protagoram, & Heraclitum.

Resp. Philosophum ipsum meritò putasse, à nemine unquam fuisse hoc principium negatum: quod si quis negavit, aliud ore dixit, aliud mente tenuit. quare illud principium revera non probat, nec ostensivè, nec redargutive, seu elenchicè, sed solùm multa affert, ut declaret, quæ admittunt, aut tenentur admittere illud negantes: quo toto id unum præstare contendit, ut adversarios exponat sibilis audientium.

Dices 2. Propositio negativa non potest esse simpliciter prima, cum supponat affirmativam. atqui hæc, *impossibile est idem simul esse, & non esse*, est negativa de modo, ex quo uno modalis dicitur absolutè negativa. ergo non est prima simpliciter propositio.

Resp. 1. istam reduci posse ad propositionem de necesse, quæ sit affirmativa de modo, ut facilè præstabit, qui tenet modalium æquipollentiam. Resp. 2. distinguendum inter propositionem primam, & principium primum. admitto, hanc non esse primam propositionem; nam certè omnis modalis supponit suam de inesse, cum omne totum supponat partem. contendo tamen esse primum principium; est enim primum, per quod prima, & summa impossibilitas declaratur, & in quo fundatur prima, & summa necessitas.

Et ex hoc patet responsio ad argum. Ant. And. id unum probans, quòd hæc propositio (si tamen est propositio) *ens est ens*, sit prima propositio, quia non habet terminos ulterius resolubiles in alios notiores: non verò, quòd sit prima in ratione principii; ad quam sit status in demonstrando: nihil enim aptum in ulla scientia potest per eam concludi.

Ex dictis habes, hoc principium esse simul omnium notissimum, ac certissimum. Ita Phil. 4. Met. t. 18. Ratio est. Illud principium, à cujus evidentia, & certitudine cætera omnia

pen

pendent, ipsum verò ab alio non pendet, habet summam evidentiam, ac certitudinem. huiusmodi ex dictis est principium positum. ergo.

Conf. ex Alensi. Illud est principium notissimum, ac firmissimum, quod conceditur, quocumque concesso; hinc enim fit, ut veritas ipsius in aliis omnibus imbibatur: quod est esse principium transcendens, & omnem complectens tum veritatem, tum veritatis necessitatem. Hoc autem principium necesse est, ut concedatur, quocumque concesso. etenim si unum conceditur determinatè, ità concedatur oportet, ut non concedatur eius contradictorium. Quæritur ergo à negante hoc principium, utrum aliquid concedat, an nihil. Si nihil, cum eo non est disputandum. Si aliquid; aut ita concedit hoc, ut non simul concedat eius contradictorium: & habetur propositum. aut ut concedat simul contradictorium: & jam in quolibet concesso falsificat se ipsum. Istud ergo principium idcirco notissimum est, & primum; quia quisquis illud negaverit, aut in dubium revocaverit, se ipse falsificabit; si enim contradictoria sunt vera, negabit, & non negabit, dubitabit, & non dubitabit; adeòque dicendo se negare, non negabit; & dicendo se dubitare, non dubitabit. Patet ergo, quod hoc sit primum, unde ortum ducit omnis notitia, omnisque scientia: quo ignorato, omnia ignorantur; quo negato, omnia evertuntur.

QUÆSTIO QUARTA.

De Triplici Entis Attributo, Uno, Vero, & Bono.

CAPUT I.

An, & quotuplex sit entis attributum.

Esse aliqua entis attributa, seu proprias perfectiones eius naturam consequentes supponunt cum Aristotele Metaphysici passim. *Ut enim*, inquit Phil. 4. Met. t. c. 5. *numeri, prout numerus est, propria passiones sunt, ut paritas, imparitas, &c. Similiter solido & immobili, & mobili, & levi, & gravi aliqua propria sunt: ita & enti, prout ens est, quadam propria sunt: & hac sunt, de quibus veritatem considerare Philosophi est.*

Sed tamen quamvis ens eiusmodi proprietates habeat de ipso demonstrabiles, propriè dictas passiones non habet. propria enim passio requirit, ut saltem sit formalitas ab essentia, quam sequitur, perfecta ratione distincta, qualis est risibilitas relatè ad hominem. hinc passio per subiectum non dicitur definiri quidditativè, sed per additamentum. Hoc pacto entis passio nulla est; ut enim omnes inferiores differentias reales ens transcendit, ita & in suis quoque proprietatibus imbibitur, eo ipso, quòd reales sunt. Habet ergo ens proprietates in sensu minus rigoroso, ut proprietas sonat perfectionem demonstrabilem per ipsam subiecti formalem rationem: ad quod duo requiruntur. 1. ut ratio subiecti sit conceptibiliter prior. 2. ut talis perfectio per se sequatur essentiam subiecti.

Quinque porrò communiter numerantur entis proprietates; Res, Aliquid, Vnum, Verum, Bonum. Sed *Res*, & *Aliquid* non proprietates revera sunt entis, sed ens ipsum; quamvis enim

pro-

proprietas entis, ut modo dixi, non possit ab ente præscindere, debet tamen explicare rationem aliquam clariorem; aliter non erit discernere, quod sit subiectum, quæ passio. At *Res* est nomen omninò synonimum enti; significat enim entitatem ratam, & fixam: quod quidem, quid addat enti, non intelligo. quod si res sumatur, ut opponitur modo, explicat quidem rationem non explicatam ab ente; verùm sic non est passio, sed species, aut quasi species, entis. *Aliquid* verò accipi potest, vel ut significat, quod habet aliquam quidditatem, seu entitatem; atque ità planè cùm ente confunditur. vel ut significat aliud quid, h.e. quod habet quidditatem, seu entitatem aliam, distinctam, & divisam ab omni eo, quod non est ipsum; atque ità explicat rationem in ente clariorem, sed non constituit passionem distinctam ab Vno, quod describitur *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*. Restant ergo tres entis universalissimè sumpti proprietates, Vnum, Verum, Bonum.

Sunt, qui putant, præter has, quas entis simplices passiones appellant, esse alias, quas appellant coniunctas ut *Necessarium, aut contingens, idem, aut diversum*. Sed illæ sunt entis divisiones potius, quàm passiones. quod si necessitas sumatur pro ea, quam habet quodlibet ens, ut sit id quod est, dum est, confunditur cum ente. idem vero, & diversum quomodocumque stent, non sunt rationes completè reales; sed expectant complementum ab anima, ut sequenti quæstione declarabitur; adeoque non est, cur inter reales entis proprietates numerentur.

Supersunt ergo tres tantum dictæ passiones, de quibus seorsim agatur in præsenti.

CAPUT II.

De Uno, primo entis attributo.

SOlet Unum definiri *Indivisum in se*: quæ notio desumpta est ex Philosopho 5. Met. t. 11. ubi post enumerata varia unitatum genera concludit: *Quæcumque divisionem non habent, quatenus non habent, unum dicuntur*: Hinc potest pressius notificari unum; *quod dividi non potest in plura eiusdem rationis cum diviso*. Sic Petrus est unus homo; quia licet in plures partes, non tamen potest dividi in plures homines.

Solet addi notioni unius, ut non modo sit indivisum in se, sed etiam divisum à quolibet alio. Sed non rectè; vel enim divisio ab aliis sumitur pro actu: atque ità non est enti, aut uni essentialis; Deus enim fuit ab æterno Unus per indivisionem in se, non per divisionem ab aliis, qui ab æterno nulli fuerunt, vel sumitur pro aptitudine; atque hæc satis intelligitur per indivisionem in se; eo ipso enim, quod res est in se nec divisa, nec multiplex, habet formaliter, per quod à multiplicitate saltem inadæquatè distinguatur eo ipso, quòd multiplicitas est.

Indivisio igitur est propria, & formalis ratio unitatis. Sed indivisio, ut sit realis unitas non debet sumi per modum negationis, nullum scilicet subiectum, in quo sit, connotantis: sed potiùs per modum privationis involventis subiectum, ens scilicet ipsum, quod est indivisum. Rursus ut hæc indivisio videatur negatio, re ipsa non est nisi ratio ipsa entis positiva; quia per suam ipsam entitatem quælibet res est ens, & unum ens, & distinctum ens, ut dicitur 4. Met. Imò verò si rectè unius notio discutiatur, invenietur positiva non solum quo-

quoad rem, sed etiam quoad modum significandi; negatio enim negationis est formaliter positiva. at divisio, quæ negatur, negatio est; sive enim nomine divisionis veniat distinctio, quæ tollit identitatem, sive divisio ipsa, quæ tollit unionem; patet, quòd non sit aliter explicabilis, quàm per conceptum negativum.

Ex quo fit prætereà, quòd data unitatis notio re ipsa unitatem non notificat, sed illam supponit notam, & ità relinquit, ut supponit. explicatur enim unitas per negationem divisionis, quæ formaliter facit multiplicitatem. atqui unitas prior est multiplicitate, ut pars universim prior est toto, ergo prior est divisione. quid ergo? dices: Unitasnè per unitatem explicatur? ità est; hoc enim est proprium notionis primæ, ut sit inexplicabilis per notiora, est autem unitas ratio transcendens unicuique notissima. quare explicationis ulterioris non est capax, sed solùm circumlocutionis, quæ sub aliis terminis non notioribus exponatur, in quibus ad ipsam tandem regressus sit, ut ipsa se explicet.

Hæc unitas sic exposita est, & dicitur transcendentalis, & enti quà tali competit evidenter; si enim unitatem non habeat, non ens erit, sed entia. Est prætereà alia unitas, quæ dicitur prædicamentalis, propria prædicamenti quantitatis, quæ cũ habeat specialem divisibilitatem in partes quantitativas, habet etiam specialem unitatem, quæ dicitur indivisio rei quantæ, opposita divisioni integrali, per quam constituitur numerus prædicamentalis, qui 3. phys. t. 68. dicitur *Plura una, & quanta quadam*.

Unitas porrò alia universalis, de qua satis multa in Logicis: alia singularis, seu individualis, quæ facit rem indivisibilem in plura, de quibus seorsim sit prædicabilis. De hac unitate, quæ & realis est tota, & propria proindè est entis passio, illud celebre solet quæri, unde

 sit

sit desumenda : quod & sub illis terminis proponitur, *Quodnam sit individuationis principium*.

Thomistæ putant individualis unitatis principium esse materiam quantitate signatam . quia enim individuatio & dicit incommunicabilitatem alteri, ut subiecto ; hanc totum habet per materiam ; & dicit distinctionem huius ab illo individuo purè materialem ; & numericam ; hanc totum habet per quantitatem, quæ est forma partificans primò materiam, tum totum. Alii ex ipsis putant non quantitatem formaliter per se partificare, sed ordinem ad quantitatem ; ità ut materia primò individuetur, & sit hæc per ordinem ad hanc quantitatem formaliter se ipsa individuatam: deinde per materiam individuetur, & fiat hæc forma substantialis, tum denique accidentia materialia.

Dico 1. Nulla res potest unificari, & esse hæc per aliquid à se contradistinctum. Prob. nihil fieri potest hoc, & unum per illud, per quod in suo esse non constituitur. Si enim A non constituitur per B, necessè est, ut ab eo adæquatè distinguatur, & non ut quid universale, sed ut quid singulare ; nihil n. est à parte rei non singulare, per quid ergo distinguitur à B? si se ipso ; jam se ipso est hoc, & singulare. Si alio à se ; fit primò . ut procedatur in infinitum. fit secundò, ut non sit hoc, & singulare per B, sed per aliud.

Dico 2. Materia non distinguitur numero per quantitatem formaliter nec forma per materiam. Sequitur manifestè ex præcedenti ; tam enim materia à quantitate, quam forma à materia adæquatè distinguitur. Conf. 1. si materia esset hæc per quantitatem, mutata quantitate, mutaretur materia. quare cum in omni generatione substantiali mutetur quantitas, juxtà Thomistas, non esset una materia geniti, & corrupti. Et quidem duplex materiæ pars non aliunde est formaliter duplex, nisi

ex duplici quantitate. ergo ex eodem capite erit duplex, non una geniti, & corrupti materia. Neque dicas esse unam negativè, & duplicem positivè. Nam contra est 1. quia esset simpliciter duplex, ut est duplex materia equi, & lapidis; ut ergo forma equi non fit ex materia lapidis: ità nec genitum ex materia corrupti. 2. iam admittis materiam in priori ad quantitatem esse unam negativè. atqui hoc est esse unam simpliciter. quia unum simpliciter est per negationem indivisionis in se, quæ fundat divisionem ab aliis. quòd si una simpliciter, una certè est individualiter; quia non est in re alia unitas.

Conf. 2. quantitas est formaliter individuata per se ipsam. ergo & materia. Si negas consequentiam, teneris dare rationem maiorem, cur id quantitati, non materiæ competat. quod si dicas id esse, quia quantitas, non materia est formalis ratio partium, petis principium, & quidem tale, quod manifestè repugnat, ut patet ex prima conclusione. Si verò negas antec. teneris assignare formalem rationem, qua individuatur quantitas: pro qua si ad materiam ipsam recurris, committis circulum; & præterea plures numero quantitates in materia eadem successivè non poteris ampliùs admittere; quia non stat distinctio cum ratione formali unificante.

Conf. 3. forma separata à materia, & quantitate retinet adhuc suam numericam unitatem, & distinctionem, ut videre est in animabus separatis. ergo non unificatur, nec distinguitur numero per materiam, & quantitatem. conf. est evidens; quia non stat effectus formalis sine sua forma.

Dico 3. nec materia, nec forma individuatur per ordinem ad quantitatem. Sequitur hæc etiam ex dictis; tum quia hìc ordo est accidentalis, probatum est autem unitatem distinctionem.

nemque numericam esse enti essentialem, utpotè illi convenientem per suam ipsam entitatem. tum quia, ut quantitas per se sine habitudine ad aliud, ita & reliqua possunt per se individuari.

Dico 4. Materia quantitate signata non est prima radix, & fons omnis numericæ distinctionis. Prob. 1. quia tale prædicatum in materia gratis Thomistæ assumunt, unde innumeras deindè in Philosophia, ac Theologia quæstiones decidunt. turpè est autem fundamento per rationem non solidato tantam machinam superstruere.

Prob. 2. ex possibilitate multiplicitatis numericæ etiam in rebus omninò immaterialibus. Et quidem in ipsis rebus materialibus deveniendum omnino est ad unum, quod se ipso formaliter individuetur, sivè hoc sit materia, sivè quantitas, nisi vellis procedere in infinitum, aut individuare per circulum. Jam vero hoc quod per se sit numericè multiplex, non alia ratione id habet, nisi quia ratio specifica per multas individuationes contrahitur, & fit hæc. Sed cur non idem poterit Angelis evenire?

Rursus in Angelo sunt possibiles plures actus intelligendi, ac volendi solo numero distincti, ut Thomistæ concedunt, nec videtur negabile. ergo poterunt similiter Angeli individuari per ordinem ad ejusmodi distinctos actus, ut materia per ordinem ad distinctas quantitates.

Obiic. 1. Aristotelem pluribus in locis præsertim 12. Met. c. 8. t. 49. ubi probat primum Motorem unum esse numero, quia materiam non habet.

R. Molina vult Aristotelem in hoc errasse; quia putans Deum agere ex necessitate naturæ, si concessisset multiplicabiles numero Intelligentias, concedere etiam debuisset, creatas à

Deo

Deo infinitas, quod absurdum ut declinaret, eò confugit ut diceret non multiplicari individua, nisi per materiam. quare usus est falso principio ad tuendam opinionem falsam. P. Suarez ait, nunquam Aristotelem ex professo, & metaphysicè huiusmodi principium investigasse: sed solum ex sensibilibus physico more docuisse modum investigandi distinctionem unius individui materialis ab alio. Equidem viam expeditissimam censeo, & si minus à mente, ab instituto saltem Philosophi non alienam, si nomine materiæ intelligatur non pars subiectiva compositi physici, sed res ut est in potentia ad perfectionem ulteriorem: quam potentiam, qui excludit (non excludit autem, nisi Deus) numero multiplicari non potest.

Obiic. 2. unitas, & multiplicatio materialis debet oriri à materia, ut formalis à forma. sed unitas, & multiplicatio numerica est materialis. ergo. prob. maior: quia proprium est materiæ exigere quantitatem; cujus est divisio in partes eiusdem rationis, seu, quod in idem recidit, divisio materialis.

Mirum est, quod tam celebre, & fundamentale principium proferant adversarii non alibi meliùs nixum, quàm æquivocatione vocabuli. Multiplicatio individualis dicitur materialis communiter ex duplici capite; & quia est propria individui, quod in coordinatione prædicamentali est subiectum, seu materia logica dumtaxat. & quia individua materialiter se habent ad scientias, quæ non sunt nisi de universalibus. Itaque si de unitate materiali in hoc sensu sit sermo in majori, falsa ea est; nec probatur, nisi petendo principium, dum assumitur, quod proprium sit quantitatis dividi in plura ejusdem rationis; quamvis non negem esse proprium quantitatis dividi in partes integrantes ejusdem

dem rationis. Sed hoc est longè aliud ab illo.

Obiic. 3. infima unitas, & distinctio debet desumi ab eo, quod est infimum in rebus. sed unitas, & distinctio numerica est infima. ergo debet sumi à materia, quæ in rebus est infima.

Dist. majorem, quod est infimum in rebus, quas constituit, transeat major: quas non constituit, nego maiorem. in Angelis ergo distinctio numerica sumitur ab ultima eorum perfectione, quæ est hæcceitas: & similiter in forma, & accidentibus. In toto autem à materia simul, & forma, per quas constituitur; quanquam nonnisi secundum ultimum, & infimum ipsarum prædicatum, quod est individuatio.

CAPUT III.

De Vero, altero entis attributo.

NOn est hìc sermo de veritate formali, quæ est conformitas propositionis cum obiecto; de qua multa in Logicis. est sermo de veritate transcendentali, quæ competit soli, & omni enti. Hanc Aureolus in 1. dist. 19. 3. parte art. 2. censet esse ipsum ens, in quantum fundat negationem entis apparentis; sive, ut ipse loquitur, consistit veritas *in segregatione cujuslibet ab omni sibi extraneo positivo.* sic Petrus est verus homo, quia non est homo pictus, nec per imitationem, aut metaphoram homo. sic aurum est verum aurum, quia non apparens dumtaxat aurum, quale est orichalcum. Similiter balsamum dicitur verum, dum nihil extranei admiscet, quod similitudinem quidem cum ipso habeat, sed ipsum tamen non sit. Itaque sumit verum pro sincero, & veritatem pro eo, per quod res est, quod est, & non est, quod non est, quamquam esse videatur.

tur.

tur. Ex hoc infert summam rationem veritatis in Deitate reperiri, quia sola Deitas est summè pura, summèque segregata ab omni re, & ratione, quæ non sit Deitas; cum omnis creata essentia aliquid admisceat perfectionis à se distinctæ, & per consequens aliquo pacto extraneæ, pertinentis tamen ad propriam suam perfectionem, & naturam.

Hæc veri acceptio sine dubio bona est, & solet sæpe in hoc sensu verum vulgò usurpari: Videtur tamen, quod nulla per hoc ratio explicatur, quæ non explicetur omninò eadem per rationem vel entis, vel unius, vel boni: Ratio enim per quam res est, quod est, est formalissimè ratio ipsa entis. Ratio, qua non est, quod non est, quamvis appareat esse, est ratio unius, ulterius declarata per negationem etiam apparentis. Ratio demum, qua res pura est, & segregata ab omni extraneo pertinente ad suam naturam, est ratio boni absoluti inferiùs declaranda.

Ut ergo verum importet novam, & propriam entis passionem, debet sumi cum D. Thoma, & reliquis Scholasticis pro ente, in quantum conformi, vel conformabili cum intellectu cognoscente. Et quidem si verum, & falsum sumantur secundùm primam harum nominum impositionem, certum est ea competere actibus animæ, juxta celebre dictum Philosophi 6. Met. t. 8. *Verum, & falsum non in rebus, sed in mente*. hinc discrimen veri à bono, quod illud est perfectio cognoscentis, hoc rei; & falsi à malo, quod illud est defectus potentiæ, hoc obiecti. Actualis ergo veritas formaliter non est, nisi in cognitione, seu potius in affirmatione, & judicio enunciante rem esse, aut non esse. Ab hac denominatur, & intellectus verus, & obiectum verum, sed intellectus per modum verificati, obiectum per modum verificantis; adeoque intellectus pas-

sivè est verus, obiectum activè:

Hinc fit, ut ratio veri, ut communis omni enti, stet pro eodem, ac ratio verificativi; & idem sonet ens verum, ac ens, quod natum est reddere veram propositionem, quæ ipsum enunciet esse, quod est. Ad hanc rationem consequens est ratio transcendentalis Falsi, seu potius Falsificativi; & competit omni enti; quia eo ipso, quod habet reddere veram propositionem enunciantem esse, quod est; habet reddere falsam propositionem enunciantem vel esse, quod non est, vel non esse, quod est: Quamquam, ut fatear, ratio falsi communiter ita non sumitur; sed vel stat pro ente, quod propter similitudinem sui cum alio natum est inducere intellectum in errorem; quo aliquid falsò judicet de ipso; quo pacto orichalcum dicitur falsum aurum. Vel falsum stat pro impossibili, seu pro duplici possibili, ut stante sub cognitione falsa, & essentialiter inverificabili; ut supra est declaratum.

Rursus, quia cognitio, à qua ens veri denominationem mutuatur, potest esse, vel creata, vel increata, censeo, verum dici ens per ordinem ad utramque, diversimodè tamen; ab increata enim denominatur actu verum; à creata denominatur verum non actu, sed aptitudine. utraque denominatio est enti essentialis; tam enim est simpliciter necessarium, ut quodvis ens actu cognoscatur à Deo, quàm ut possit cognosci à creatura. Verùm cum ordo ad divinam cognitionem prior sit in ente, quàm ordo ad cognitionem creatam, quemadmodum cognitio divina prior est etiam possibili cognitione creata; consequens est, ut prima entis quæ veri notio sit habitudo ad divinum intellectum.

Accedit, quod divina cognitio non solum est prior cognitione creata, sed etiam est prior ipso ente creato. Pro quo nota, in cognitione

divi-

divina esse duplicem habitudinem ad creatum objectum rationenostra separabilem, alteram in ratione cognitionis, alteram in ratione ideæ, seu causæ exemplaris. prima habitudo ex genere importat, ut obiectum sit mensura veritatis; ex eo enim, quod res est, vel non est, cognitio vera, vel falsa dicitur. Sed altera habitudo ex opposito facit, ut cognitio sit mensura obiecti sui, quod proinde praxis appellatur, & definitur operatio nata elici conformiter ad rationem.

Hinc est, ut optimè D. Thomas primam veri notionem ex hac ultima habitudine sumpserit, dicens, quod sicuti artefacta dicuntur vera per ordinem ad intellectum nostrum, ut domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ in mente artificis præconceptæ; ita res naturales, quæ sunt Dei opificia, vera dicuntur, in quantum assequuntur similitudinem specierum, quæ sunt in mente divina; ut verus lapis, qui assequitur propriam lapidis naturam, juxta præconceptionem divini intellectus. Est ergo veritas obiectiva entis conformitas, & adæquatio rei cum sua idea, quam perfectè imitatur. Et hæc quidem prima est veri notio, quam reliquæ consequuntur; prius enim ens respicit exemplar, à quo pendet, quàm aliam quamlibet cognitionem pendentem ab ipso.

Unum est, quod in hac notione dissimulari non debet, quod scilicet ea competit enti non in sua abstractissima ratione, sed in quantum contrahitur ad creatum, quod unum scilicet habeat ideam, cum entis increati, ut nulla est causa efficiens, ita & nulla exemplaris. Universalissima igitur, & transcendens veritas in conformitate cum idea consistere non potest, nisi in quantum idea cognitio est. Deus igitur ipse verus est, in quantum conformis cognitioni ipsum affirmanti; ac de eo prædicanti illam perfectionē, in qua propria Dei notio consistit.

Ex his prætereà conficio rationem veri ab Aureolo explicatam cum communi debere coincidere, ut subsistat. hoc enim est aurum esse verum, & non apparens aurum, habere in se omninò, quod opus est, ut nomine, & conceptu auri explicetur. & quidem à parte rei nec aurum est orichalcum, nec orichalcum est aurum, & utrumlibet alteri assimilatur. dum ergo orichalcum nego esse verum aurum, hoc dico, quod orichalcum non habet in se, quod per vocem, & conceptum auri significatur. quare dum è contrario aurum dico verum esse aurum, aurum dico in se habere, quod per hanc vocem, conceptumque voci correspondentem importatur. Veritas igitur omnis per ordinem ad intellectum exprimitur. Unde & verum ab August. in Solil. definitur, *Quod sic se habet, ut cognitori videtur*.

Ex his facilè est decidere, utrum veritas sit enti adæquatè intrinseca, & essentialis. aut enim sumitur veritas creata, quæ est habitudo conformitatis ad divinam ideam, aut sumitur veritas universim pro aptitudine ad explicari per propriam vocem, & conceptum, utraque importat aliquid de intrinseco; omnis enim conformitas, quantumcumque essentialis, importat terminum adæquatè distinctum, sine quo nec esse potest, nec intelligi. rursus omnis seu cognoscibilitas, seu significabilitas importat formalissimè potentiam, quæ possit & cognoscere, & significare, à qua res extrinsecè cognoscibilis, & significabilis, sicut ab effectiva potentia producibilis denominatur. quare ratio veri non rectè assignatur, ut obiectum intellectus (fieret enim, ut supra deduximus, petitio principii) sed debet assignari ratio ipsa entis, quæ veritatem fundat.

Quod si ratio veri sumatur fundamentaliter, ea est adæquatè intrinseca enti, cum sit ipsa ratio entis. Rursus est adæquatè enti intrinseca

ca cum veritate connexio. nam quodlibet ens creatum supponit essentialiter, & exigit in priori causam divinam, quæ in esse causæ divinæ operantis à proposito per cognitionem, ideamque effectus constituitur; adeoque repugnante idea divina, quilibet creatus effectus repugnat. Deinde cum quævis causa cum suo effectu sit essentialiter connexa, ut patet ex iis, quæ dicta sunt q. 1. de connexione inter extrinsecam, & intrinsecam rei possibilitatem; sit autem omnis creata cognitio obiecti sui effectus; consequens est, ut sit in quovis ente connexio essentialis cum sui cognitione, adeoque & cum quolibet intellectu creato, qui cum possit cognoscere omne ens, connectitur etiam ipse, ut causa cum effectu, cum cujuslibet entis cognitione.

CAPUT IV.

De Bono, tertio entis attributo.

HÆc est postrema entis proprietas, de qua parum in præsenti, plura in Ethicis. Bonum ex genere id sonat, quod Perfectum; id bonitas, quod perfectio. ita bonum cum ente convertitur; nam & omne ens bonum, & omne bonum ens. Vix tamen, & ne vix quidem explicat sic acceptum rationem, quam in ente ipso formaliter non intelligas. debet ergo ulterior aliqua notio boni inquiri, quæ entis sit proprietas.

Bonum, seu perfectum est duplex, aliud absolutè in se tale, aliud tale respectivè, & alteri. Bonum, seu perfectum absolutè sumitur pro integro, ac toto, cui scilicet nulla pars deest magnitudinis naturalis, ut dicitur 5. Met. Integrum verò aliud essentialiter, cui nulla perfectio, nulla pars deest essentiæ ipsius constitutiva; atque hæc integritas nulli enti deesse

potest;

potest. aliud integrum substantialiter, cui nihil deest ad substantiale complementum: quo pacto materia sine forma bona, & integra non est, cum sit substantialiter incompleta. aliud integrum quantitativè, cui nihil deest ad integralem perfectionem: quo pacto malus est homo manu, vel crure debilis. aliud integrum accidentaliter, cui nulla desunt debita accidentia: quo pacto mala est aqua non frigida.

Bonum deinde respectivè, & alteri, quod non tam perfectum dicitur, quàm perfectivum, respicit appetitum, ut proprium ejus obiectum: & 1. Eth. definitur, *Quod omnia appetunt*: non quasi quodlibet bonum appetibile sit à quolibet appetitu, sed solùm per distributionem accommodam hoc ab uno, illud ab alio, cui scilicet bonum est. hinc rectè Philos. 6. Ethic. c. 7. dixit, *Salubre, & bonum hominibus, & piscibus diversum; album autem, & rectum idem*. quia, ut notat ibi D. Thom. album, & rectum dicuntur absolutè, sanum, & bonum respectivè, & consistunt in proportione aliqua ad aliquid.

Utrumque porro bonum entis communissimè stantis proprietas est. De bono quidem absoluto, ut sonat essentialem integritatem, res est extra dubium. Certum etiam id est de bono respectivo; eo ipso enim, quod bonum in se est, bonum est & sibi, per quod terminat innatam saltem inclinationem proprii appetitus: & alteri, per quod terminat inclinationem elicitam saltem divinæ voluntatis amantis in creatis effectibus suæ perfectionis imaginem, & volentis nobis manifestari per creaturas veluti per suæ vestigia bonitatis.

Malum verò, quod opponitur bono, tot modis dicitur, quot bonum. aliud ergo malum absolutè, quod confunditur cum imperfectione, ac defectu, qui si essentialis sit, proprius est chimæræ: si verò sit substantialis integra-

tegralis, aut accidentalis, propriusest creaturæ in esse suo deficientis, & imperfectæ. Aliud est malum respectivè consistens in dissonantia, & improportione alicuius ad aliquid; quo pacto malus est aquæ calor, & homini culpa.

De malo celeberrima est quæstio, in positivo nè, an in negativo consistat, quam lubet brevissimè definire. Et primo quidem de malo absoluto consistente in imperfectione, ac defectu lis nulla est; illud enim evidenter stat in negativo; quid enim est imperfectio, quam negatio perfectionis? Tota controversia est de malo respectivo, de quo inquiritur, utrum integra eius malitia in eo uno absolvatur, quod subiectum, cui inest, perfectione debita privet. Sunt enim, qui sequuti antiquorum vestigia, nihil esse malitiæ in malo autumant præter huiusmodi privationem, quare & præcisè malum aquæ calorem, quia illam debito frigore spoliat, & præcisè malum intellectui errorem, quia scientiam ab eo tollit, & sic de reliquis asseverant.

Ratio huius sententiæ prima est authoritas multiplex SS. Patrum, quam videre est apud Suar. disp. 11. Met. n. 3. præsertim Augustini tum lib. 11. de Civ. c. 9. ubi, *Mali*, inquit, *nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit*: tum alibi sæpissimè.

2. Bonum etiam respectivum convertitur cum ente. sed malum qua malum non est bonum. ergo qua malum non est ens; adeoque pura negatio.

3. Si positivum formæ, ut subiecto disconveniens, malum esset, subiectum intelligeretur malè dispositum per illud positivum; quod quia bonum in se est, denominatio mali præstaretur à bono; imo malit a ipsa non esset, nisi bonitas formæ; quod in terminis pugnat.

Oppo-

Oppositum mihi verius videtur; quamvis enim certissimum sit omnem boni negationem malam esse. non tamen dicitur ad convertentiam, ut similiter omne malum sit boni negatio. quod probo 1. à priori. Malum respectivum consistit in dissonantia, disconvenientia, & improportione alicuius ad aliquid. atqui hæc potest per ipsum formæ positivum haberi, præcisa re, vel ratione privatione consequente. ergo aliquod malum formaliter est in positivo. min. prob. quia dissonantia, seu difformitas invenitur inter duo positiva; cum sit formaliter non negatio, sed relatio. & quod adversarii dicunt, dissonantiam non esse, nisi carentiam consonantiæ, non plus habet fundamenti, quam si quis diceret, consonantiam non esse, nisi carentiam dissonantiæ. Profectò ut in Musica sunt toni se ipsis dissonantes, qui quamvis non se mutuo excludant, sibi mutuo tamen discrepant: sic & in physica possunt esse entitates, quæ propter naturæ disconvenientiam, & difformitatem sibi mutuo repugnent. Difformitas autem entitativa quantumvis explicetur per negativum, positiva certè est; quemadmodum est positiva distinctio quamvis declarata per non esse; quod sanè nihil est præter esse unius, & esse alterius. sic & difformitas licet significetur per non esse unum, sicut aliud, re ipsa non est, nisi unum, & aliud. sic homo per suum ipsum esse rationale formaliter difformatur à bruto. quid ni ergo poterit calor per suum esse positivum improportionari aquæ, atque esse per consequens aquæ malus?

2. Aliqua bonitas consistit formaliter in negativo. ergo aliqua malitia consistit formaliter in positivo. cons. est recta; bonitas enim, quæ est negatio, excludit malum: non negativum; aliter esset negatio negationis. ergo positivum. antec. constat in proportione, & ordine

dine partium in toto, qui nihil importat distinctum ab ipsis partibus ordinatis,& exigit prætereà partes tantas, & non maiores. quare amittitur per solam novæ partis additionem. sic vultus humani pulchritudo in proportione consistens, completur in tali ratione per negationem excessus in partibus; unde si longior sit nasus, si grandiora labia, si tres oculi, &c.improportio, & deformitas consurgit; non quòd ablatum sit aliquid ex præexistentibus positivis, sed quia positivum de novo additur. Manifestum ergo est formę bonitatem includere formaliter,ut sui completivam, & constitutivam, negationem; adeoque bonitas aliqua in negatione sita est.

3. Quod natum est augere malitiam, malum est. at positivum ipsum per se auget malitiam negationis. ergo per se malum est,& non solùm per negationem consequentem. Min. prob. pejus est errare, quam nescire: peius est tristari, quam non gaudere. hoc autem mali augumentum suprà meram carentiam bonitatis oppositæ unde, nisi à positivo ipso erroris,& tristitiæ?

Ad 1. Patres loquuntur de malo absoluto: aut si de respectivo, id est, quia inter contraria, quod est vilius, negativè explicatur. sic Phil. 1. de gener. frigus appellat negationem caloris: & c.3. de sensu, & sensibili albedinem comparat luci, nigredinem tenebris. Postremò explicatur malum per negativum, tanquam per id, quod in malo est manifestius.

Ad 2. Bonum respectivum, quod cum ente convertitur, non est cuilibet, sed alicui bonum. unicuique scilicet proprium, ut Aristot. loquitur. & in hoc sensu vera est maior. dist. dein. de min. malum quà malum respectivè non est bonũ absolutè; nego min.non est bonum respectivè illi, cui consonat, conc.cui dissonat, nego minorem, & sub eadem distinctione conseq.

Ad 3. subiectum est malum per ipsam formæ bonitatem absolutam, quæ simul est malitia,& im-

imperfectio respectiva subiecti: in quo nulla repugnantia. Exemplum habes non ineptum in impossibilitate, quæ ex dictis est possibilitas una incompossibilis, ac repugnans cum altera. idem contingere proportionaliter potest in re præsenti, ut malitia sit bonitas una dissonans, ac difformis ab alia.

QUÆSTIO QUINTA.

De Identitate, & Distinctione.

IDem, & distinctum attributa sunt entis, sed non alia ab uno, & multiplici, nisi in quantum his superaddunt habitudinem rationis mox declarandam; ac propterea inter entis primò intentionales proprietates non numerantur. Locus ergo hic est ad unitatem melius declarandam, ut de identitate, eique opposita distinctione tractetur. Sed prius præmittendum, quòd identitas alia est specifica, alia numerica. prima opponitur diversitati, & numeratur à Philosopho inter relationes prædicamentales primi generis, cum sit fundata in unitate naturæ: sic Petrus dicitur idem Paulo, & Bucephalus Cyllario, & de hac satis est dictum in Logicis. secunda opponitur distinctioni, & est quædam habitudo sui ad se, per quam res quælibet dicitur, & est eadem sibi, & de hac præsens est quæstio.

CA-

CAPUT I.

Quid sit Identitas, & distinctio.

DIco 1. Identitas est prima notio ulterius secundùm se non explicabilis. Prob. illa est notio prima, quæ unicuique innotescit ante omnẽ de ipsa quæstionem, seu quæ supponitur nota, dum quæritur. Huiusmodi sine dubio est identitas; quærere enim quid sit identitas, est quærere, quod sit primum prædicatum competens identitati, eique proinde identificatum. at si nesciretur identitas, non posset id quæri; qui enim nescit, quid sit hoc illi competere, quid identificari, non potest quærere, an competat, an identificetur. Conf. quia non aliud potest, & solet afferri ad explicandam hoc pacto identitatem, nisi dicendo, quod identitas sit, per quam res est, quod est, hoc autem est illud ipsum, quod occurrit unicuique, audito nomine identitatis. Rursus per hanc explicationem identitas confunditur omnino cum entitate; ut constat. quare ut notio *entis*, & *entitatis* est prima; prima est item notio *eiusdem*, & *identitatis*. Postremò notio identitatis non solum est prima negativè, sed prima etiam relativè, cum ipsa supponatur ad omnem explicationem; cùm enim omnis explicatio fiat per propositionem affirmantem, quid sit res; consequens est, ut, sicut nihil affirmari potest sine notitia identitatis, ita & nihil possit sine ea explicari.

Dico 2. Distinctio notificatur aliquatenus per identitatem. Ratio est; quia vel sumitur distinctio pro negatione identitatis; & sic manifestum est, quod per identitatem notificetur; quia universim omnis negatio innotescit per positivum, quod excludit. Vel sumitur distinctio pro reali multiplicitate, in

F 2 quo

quo opponitur identitati sumptæ pro reali unitate: atque ità supponit etiam identitatis notitiam, ut omne totum supponit notitiam, partium, ab eaque innotescit. Dixi, *aliquatenus*; quia negari non debet, quòd etiam notio distinctionis sit prima, quatenus unicuique sine Magistro, natura ipsa docente, manifestatur. Unusquisque enim per se novit, quid sit esse, quid non esse, quid esse hoc, quid non esse illud.

Dico 3. Identitas, & distinctio possunt ulterius per effectum explicari, per ordinem scilicet ad intellectum potentem affirmare identificata, & negare distincta. Vt enim aliæ rationes transcendentes inexplicabiles per notiora, explicantur per ordinem ad intellectum, & voluntatem: quo earum notitia evadit extensivè maior: hinc bonum dicimus, quod omnia appetunt: pulchrum, quod delectat videntem: verum, quod potest vera cognitione percipi; sic possumus idem, & distinctum per effectus, quos pariunt in intellectu nobis experimentaliter notos, declarare.

Dico 4. Rectè identitas hoc pacto definitur, Affirmabilitas in recto unius de altero, sive, ut alii loquuntur, cogniti de præcognito: distinctio autem, Negabilitas in recto unius de altero.

Prob. & quidem, quòd identitas sit affirmabilitas, constat; est enim meritum quoddam, ut prædicatum affirmetur de subiecto: sicut distinctio est meritum, ut negetur. Additur *in recto*; quod enim de alio affirmatur solùm in obliquo, non idem sæpè est, sed distinctum; sic de homine affirmatur sapientia in obliquo, dùm dicitur, homo est sapiens; cum sapientia tamen ab homine distinguatur secundùm rem. Similiter, quod de alio in obliquo negatur, non distinctum sæpè est, sed idem, materiam n. & forma per eandem indivisibilem unionē uniuntur.

tur: quare poterit unum unitum negari de alio: in quo & unio de unione in obliquo negatur, cum unio ab unione non sit distincta.

Dico 5. Identitas, & Distinctio sic acceptæ relationes sunt non reales, sed rationis.

Prob. & quidem, quod sint relationes, est certum; affirmabilitas enim, & negabilitas sunt conceptus relativi; tum quia unumquodque est affirmabile, & negabile ab alio, scilicet ab intellectu: tum quia est affirmabile, & negabile de alio, scilicet de subiecto. Sed unum, & aliud, de quo sit affirmabile, vel negabile aliter importantur per identitatem: aliter per distinctionem. per identitatem importantur; ut duo solum ratione distincta. Sic dum iterum video hominem alias visum, affirmo eundem esse hominem, qui per primam, & per alteram visionem cognitus est: quod est hominem nunc cognitum de ipso præcognito affirmare. Sic dum cognosco prius in Sorte rationem animalis, & deinde rationem rationalis, dico eundem esse Sortem, qui utraque cognitione, altera minus, altera magis clara attactus est. At per distinctionem importantur, ut duo etiam secundum rem.

Quod autem identitas sit relatio rationis, satis patet ex communi usu Doctorum, atque etiam ex eo, quod intercedit inter plura, quæ plura non sunt, nisi ratione: ut dictum latè in Logicis est. de distinctione hoc idem constat; quamvis enim plura, quæ talem relationem fundant, sint plura secundùm rem, non tamen eam fundant proximè, ut sunt in re, sed ut sunt in anima; non enim possunt mutuò negari, nisi præcognoscantur. Relatio autem sequitur naturam fundamenti non remoti, sed proximi.

Dico 6. Fundamentum reale, & remotum identitatis, seu affirmabilitatis est unitas simpliciter dicta, seu individualis. (idem dic

proportionaliter de fundamento reali distinctionis, seu negabilitatis, quod sit scilicet simpliciter dicta, seu individualis multiplicitas) quareconceptus unitatis confunditur omninò cum conceptu realis & obiectivæ identitatis.

Hæc est apertissima mens Aristotelis 5. Met. c. 9. ubi, postquam egit de variis generibus identitatum, concludit: *Quare patet, quod identitas unitas quadam essentia est aut plurium, aut cum ut pluribus utitur*. Quibus verbis innuit Philosophus duplicem identitatis habitudinem, aliam fundatam in unitate specifica, quæ est identitas plurium unificatorum sub una ratione communi: aliam fundatam in unitate numerica, quæ est identitas rei cum se ipsa non quæcumque. sed resultans ex eo, quòd intellectus una re utitur, ut multiplici, multas scilicet in ea perfectiones, & prædicata distinguens, quæ à re, in qua sunt unum, accipiunt, ut sint invicem affirmabilia.

Atque hinc est, cur *Idem* vulgò non numeretur inter entis realis passiones: vel enim sumitur fundamentaliter, & secundum rationem identitatis obiectivam; atque ità cum uno planè confunditur, quod entis passio realis est. Vel sumitur formaliter; atque ità superaddit solum respectum rationis; adeòque pertinet non ad primas intentiones, sed secundas.

Atque hæc de identitatis, ac distinctionis conceptu dicta sint satis. quæ enim multi addunt, summam, & simpliciter dictam identitatem esse summam communicationem duorum, summamque consensionem in prædicatis, qua nimirum prædicata, & perfectiones unius transeunt in alterum, & è converso; mihi videntur rhetoricè magis per tropum, quam philosophicè, ac propriè dici. quare aut nihil sunt, aut discussis metaphoris, reducentur ad prædicta de unitate, & affirmabilitate. Vel ènim consensum istum, & communicationem realem

lem omninò faciunt, & antecedentem omnē opus animæ. & manifestè falluntur; ut enim ante opus animæ non sunt in una re prædicata, & perfectiones, sed una, & indivisibilis entitas, adeòque una, & indivisibilis perfectio; ità frustrà est in ea quærere consensum, & communicationem, quæ sunt prædicata respectiva; ac proinde requirunt unum, & aliud. Vel talis consensus, & communicatio est in anima per suos conceptus multiplicante extrinsece rem; atque ita quid est aliud, prædicata, & perfectiones consentire, quam esse unum in re, ac propterea mutuò affirmabiles per conceptum? neque enim puto, quod nomine consensus veniat vel sola similitudo, vel unitas voluntatum, aut judiciorum, &c. nec quod nomine communicationis veniat mutua traditio suarum perfectionum facta per juridicam donationem, aut quid simile.

CAPUT II.

Quotuplex sit identitas, & distinctio.

QUot modis dicitur unum oppositorum, totidem & aliud ex 1. Top. Distinctio, & identitas oppositæ sunt. ergo quàm multiplex est distinctio, tam multiplex est identitas. Satis igitur erit alteram ex his dividere, ut alterius eadem opera divisio intelligatur. Solam proinde in præsenti distinctionum varietatem tradam, sequutus communem morem, quò expeditior sit aditus ad earundem distinctionem inquirendam.

Prima generalis divisio distinctionis est in realem; & rationis. illa est in rebus antecedenter ad opus animæ, qualis intercedit inter hominem, & lapidem. hæc verò tota est per operationem intellectus unam rem partientis in multa prædicata; qualis intercedit inter de-

finitionem, & diffinitum, hominem v. g. & animal rationale.

Distinctionem rationis dividunt vulgo in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis. Prior dicitur esse illa, quæ habet fundamentum in re, quamvis complementum accipiat ab anima. Sic distinguitur in Deo misericordia à justitia; nam licet duæ istæ virtutes sint una ipsa Dei simplicissima entitas; est tamen fundamentum illas seorsim concipiendi, ut duas, ratione connotatorum, quæ respiciunt, misericordia scilicet indulgentiam, justitia ultionem. Posterior dicitur illa quæ tota est ab intellectu sine ullo prorsus fundamento in re; ut cum idem eodem modo cognitum quodammodò distinguitur à se ipso in prædicatione identica, quæ fit per conceptus synonimos, ut in hac, *homo est homo:* in qua distinguit intellectus inter hominem subiectum, & hominem prædicatum. Utraque hæc distinctio desinit esse in actu, dum cessat consideratio.

Distinctionem realem dividunt prætereà in realem strictam, formalem ex natura rei, virtualem, & modalem. Realis stricta est, quæ habetur inter rem, & rem, ut inter Petrum, & Sortem. Ad hanc reducitur modalis, quamvis membrum divisionis huiusce novum statuatur; nihil enim modalis reali addit, nisi separabilitatem non mutuam, quæ tamen inter ea etiam reperitur, quæ realiter distinguuntur, ut est creatura distincta realiter à Deo, & à Deo realiter inseparabilis. Et quidem divisio generis debet fieri per propria illius generis, at connexio non mutua, per quam modalis à reali secernitur, est planè extrà rationem distinctionis; nam distinctio dicit unum non esse aliud; connexio dicit unum non posse esse sine alio; adeòque supponit unum, & aliud, & per consequens supponit distinctionem

quam

quam proinde dividere non poteſt, niſi materialiter, non verò ullatenus per rationem intraneam, ità ut ſit diverſitas in ipſa ratione diſtinctionis.

Diſtinctio formalis ex natura rei, quæ Scotum habet authorem, ea dicitur, quæ actu intercedit inter aliquid, & aliquid eiuſdem rei, ſeu inter unam, & aliam eiuſdem rei rationem formalem; qualis eſt in homine juxtà Scotiſtas diſtinctio inter animal, & rationale.

Convenit hæc diſtinctio cum reali ſtricta, quia utraque antecedit opus animæ, diſconvenit; quia realis inter res, formalis habetur inter formalitates. Res autem ſunt, quæ poſſunt ſe ſolis exiſtere, ut Petrus, lapis. Formalitates ſunt, quæ ſe ſolis nec eſſe, nec terminare proinde poſſunt phyſici agentis efficientiam: imò nec poſſunt rei conſtitutæ advenire, ut adveniunt modi; cum ſint de intrinſeca, & metaphyſica rei conſtitutione. Dicuntur formalitates, non formæ; non enim ſunt formæ, qualis eſt anima, vel albedo, ſed imitantur formas in danda denominatione. Hinc rectè ex doctrina Scotiſtarum formalitas definitur à Recupito l. 3. de Attrib. qu. 4. cap 4. *Ratio quædam poſitiva extra animam conſtitutiva rei, conceptibilis conceptu proprio, & non ut quid alterius*. *Ratio* ſecernit formalitatem à re: *poſitiva* à negationibus, & privationibus: *extrà animam* ab entibus rationis. Dicitur deinde *conſtitutiva rei* non phyſicè, ſed metaphyſicè; ac proptereà juxtà Mayron. *Formalitas eſt, ut quo, non ut quod, nec eſt res, ſed rei*. Dicitur *conceptibilis*; quia formalitas propriè reſpicit eſſe intelligibile, at realitas eſſe reale. Dicitur demum *conceptu proprio*; ut diſtinguatur à modalitate, quæ non eſt conceptibilis per ſe, ſed ſolùm ut alterius modificatio: qualis eſt juxtà Scotum exiſtentia in creatis, infinitas in divinis, &c.

finitionem, & diffinitum, hominem v. g. & animal rationale.

Distinctionem rationis dividunt vulgo in distinctionem rationis ratiocinatæ, & rationis ratiocinantis. Prior dicitur esse illa, quæ habet fundamentum in re, quamvis complementum accipiat ab anima. Sic distinguitur in Deo misericordia à justitia; nam licet duæ istæ virtutes sint una ipsa Dei simplicissima entitas; est tamen fundamentum illas seorsim concipiendi, ut duas, ratione connotatorum, quæ respiciunt, misericordia scilicet indulgentiam, justitia ultionem. Posterior dicitur illa quæ tota est ab intellectu sine ullo prorsus fundamento in re; ut cum idem eodem modo cognitum quodammodò distinguitur à se ipso in prædicatione identica, quæ fit per conceptus synonimos, ut in hac, *homo est homo:* in qua distinguit intellectus inter hominem subiectum, & hominem prædicatum. Utraque hæc distinctio definit esse in actu, dum cessat consideratio.

Distinctionem realem dividunt præterea in realem strictam, formalem ex natura rei, virtualem, & modalem. Realis stricta est, quæ habetur inter rem, & rem, ut inter Petrum, & Sortem. Ad hanc reducitur modalis, quamvis membrum divisionis huiusce novum statuatur; nihil enim modalis reali addit, nisi separabilitatem non mutuam, quæ tamen inter ea etiam reperitur, quæ realiter distinguuntur, ut est creatura distincta realiter à Deo, & à Deo realiter inseparabilis. Et quidem divisio generis debet fieri per propria illius generis, at connexio non mutua, per quam modalis à reali secernitur, est planè extrà rationem distinctionis; nam distinctio dicit unum non esse aliud; connexio dicit unum non posse esse sine alio; adeòque supponit unum, & aliud, & per consequens supponit distinctionem

quam

quam proinde dividere non potest, nisi materialiter, non verò ullatenus per rationem intraneam, ità ut sit diversitas in ipsa ratione distinctionis.

Distinctio formalis ex natura rei, quæ Scotum habet authorem, ea dicitur, quæ actu intercedit inter aliquid, & aliquid eiusdem rei, seu inter unam, & aliam eiusdem rei rationem formalem; qualis est in homine juxtà Scotistas distinctio inter animal, & rationale.

Convenit hæc distinctio cum reali stricta, quia utraque antecedit opus animæ. disconvenit; quia realis inter res, formalis habetur inter formalitates. Res autem sunt, quæ possunt se solis existere, ut Petrus, lapis. Formalitates sunt, quæ se solis nec esse, nec terminare proinde possunt physici agentis efficientiam: imò nec possunt rei constitutæ advenire, ut adveniunt modi; cum sint de intrinseca, & metaphysica rei constitutione. Dicuntur formalitates, non formæ; non enim sunt formæ, qualis est anima, vel albedo, sed imitantur formas in danda denominatione. Hinc rectè ex doctrina Scotistarum formalitas definitur à Recupito l.3. de Attrib. qu.4. cap 4. *Ratio quædam positiva extra animam constitutiva rei, conceptibilis conceptu proprio, & non ut quid alterius*. *Ratio* secernit formalitatem à re: *positiva* à negationibus, & privationibus: *extrà animam* ab entibus rationis. Dicitur deinde *constitutiva rei* non physicè, sed metaphysicè; ac propterea juxtà Mayron. *Formalitas est, ut quo, non ut quod; nec est res, sed rei*. Dicitur *conceptibilis*; quia formalitas propriè respicit esse intelligibile, at realitas esse reale. Dicitur demum *conceptu proprio*; ut distinguatur à modalitate, quæ non est conceptibilis per se, sed solùm ut alterius modificatio: qualis est juxtà Scotum existentia in creatis, infinitas in divinis, &c.

Distinctio deinde virtualis ex terminis non est actu, sed virtute, & potestate distinctio. quare quæ virtualiter distinguuntur, non sunt actu, sed virtute plura; seu non sunt plura, sed æquivalent pluribus. Porrò dupliciter potest unum pluribus æquivalere, 1. quia in se coadunat plurium perfectionem; ut anima nostra æquivalet sensitivæ, ac vegetativæ, & Deus omnibus creaturis. & hoc dicitur æquivalere distinctis per æquivalentiam, quæ distinctionem non facit. 2. quia æquivalet non solùm distinctis, sed etiam distinctioni distinctorum, quatenus sine ulla actuali pluralitate est capax suscipiendi contradictoria prædicata, ut si actu multiplex in se esset. Prima distinctio dicitur virtualis extrinseca, & ab omnibus admittitur. altera dicitur à Neotericis virtualis intrinseca, & à Thomistis rationis ratiocinatæ.

Est tamen inter utrosque discrimen. Thomistæ enim saltem antiquiores hanc distinctionem contendunt à parte rei non esse, nisi inchoatè, & imperfectè: quæ deinde, accedente intellectus consideratione, ità perficitur, & completur, ut quæ erat in re virtualis, fiat in mente actualis cognitio; quatenus quæ erat una res, evadit multiplex obiectum. Sed qui Thomistas veteres diligentius scrutari volet, nunquam inveniet eos admisisse, de una re indivisibili posse contradictoria verificari, sivè extrinseca ea sint, sivè intrinseca. admittebant solùm rem unam plurificari in anima in esse intelligibili per pluralitatem scilicet verborum mentis, quæ sint obiecta cognoscitivæ actionis immediata. Et hinc appellarunt eiusmodi distinctionem rationis ratiocinatæ, h. e. rationis obiectivæ per formalis negotiationem elaboratæ, ac distinctæ.

Recentiores distinctionem virtualem invexerunt, quæ fit in re una contradictoriorum

(a

capacitas: quæquidem sententia ab aliis Caietano, ab aliis nostro Henriquez tribuitur. Argumento fuit Augustæ Trinitatis Mysterium, in quo eadem simplex entitas Patris contradictoria illa verificat, communicari scilicet Filio secundùm naturam, & non secundùm paternitatem. Nec est, quod istis irascatur Oviedus, quasi, quod est proprium abstractissimi Mysterii, velint ad res creatas sine necessitate traducere. respondent enim, quod vel repugnat, idem actu, & multiplex virtute contradictoria suscipere; atque ità nec debet hoc admitti in Trinitate, quæ profectò non est receptaculum impossibilium, vel non repugnat; atque ità poni poterit intrinseca virtualis distinctio etiam in creatis.

CAPUT III.

An realis identitas stet cum formali ex natura rei distinctione.

SCotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. *Sed hic restat*, & in 1. dist. 8. quæst 4. statuit in Deo (à fortiori in creaturis) unà cum reali perfecta identitate formalem ex natura rei distinctionem tum inter absoluta, & relativa, tum inter essentiam, & attributa: Magistrum suum sequitur tota Subtilis Schola, præter unum Herreram, & ex nostris Fonseca, Maurus, aliique perpauci, inter quos Mazziotta in Selectis t. 1. q. 15. per totam, ubi in hanc quoque sententiam Aristotelem, & D. Thomam, multùm licet invitos, pertrahere conatur.

Sed alia certè, est mens D. Thomæ, ut constat ex iis, quæ docet 1. p. qu. 66. ar. 3. ad 4. ubi ait. *Quod, non oportet secundùm diversas rationes, vel intentiones Logicas, quæ consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere; quia ratio unum & idem se-*

cundùm diversos modos apprehendere potest. quæ ultima verba diruunt unum ex præcipuis oppositæ sententiæ fundamentis desumptum ex diversis conceptionibus, ac definitionibus ejusdem rei. Idem alibi sæpè docet; ipsumque propterea sequitur in hac re tota ipsius Schola, paucis exceptis, ac nostri Recentiores passim cum Aegidio, Aureolo, Alensi, ac Nominalibus, quos laudat Recupitus cit. cap. 2.

§. I.

Distinctio ex natura rei formalis reiicitur primò, ut probata insufficienter.

DUæ sunt viæ à Scoto traditæ, quibus deveniatur ad suam illam distinctionem; altera est via contradictionis: altera est via definitionis. Prima fundatur in veritate primi principii, quod idem omninò idem non potest verificare contradictoria. Si ergo in eadem re sunt prædicata contradictoria ante opus animæ, distinctio in ea est ante opus animæ. atqui esse prædicata huiusmodi contradicentia in una re, patet, quia nulla est res, quæ cum alia in uno prædicato non conveniat, in alio non disconveniat: sic homo à brutis per esse animal convenit, per esse rationale disconvenit. convenire autem, & disconvenire, quod idem est, ac non convenire contradicunt.

Contra primam hanc viam arguo, ut probem, nulla esse contradictoria eiusmodi, quatenus universim convenire, & disconvenire non semper sin re contradicunt, cum sæpè cadant in idem omninò idem. Id primum ostendo à posteriori in multiplici exemplo. 1. creatura Deo assimilatur, & dissimilatur in eadem formali ratione. ratio enim formalis propria creaturæ dicit in suo conceptu perfe-

fectionem mixtam imperfectionis; ita ut perfectio ab imperfectione nullatenus ex natura rei distinguatur. At secundùm perfectionem Deo assimilatur, secundùm imperfectionem dissimilatur. ergo secundùm idem formaliter assimilatur, & dissimilatur. maior prob. perfectio creaturæ si ab eius imperfectione ex parte obiecti distingueretur, vel ita se haberet, ut illàm naturaliter traheret; vel, ut illam indifferenter respiceret, solùmque permitteret. primo modo statuitur in ipsa formalitate perfectionis formalissima imperfectio; quæ enim certior imperfectio, quàm esse talem de sua natura, ut excludat perfectionem? secundo modo etiam statuitur formaliter imperfecta, ac propterea à Deo non solum repugnat perfectio trahens, sed etiam permittens in ipso imperfectionem. præterea ponitur in creatura perfectio indifferens, ut sit perfectio infinita, vel finita: quod repugnat.

2. Eadem est in homine formalitas, quæ ipsum constituit potentem amare, & odisse, ut Scotistæ fatentur. Huic formalitati amor indubitanter assimilatur, & dissimilatur per suam ipsam formalem rationem amoris. assimilatur quidem; quia universim omnis effectus assimilatur suæ causæ: dissimilatur verò, quia illa formalitas potentiæ amativæ est indivisim potentia oditiva; secundùm quam rationem non potest amori non dissimilari, ut non potest amori non dissimilari odium. ergo eadem formalitas eidem similis est; & dissimilis.

3. Eadem formalitas v. g. rationalitas potest, iuxta Scotistas, duplici cognitione imperfecta, & inadæquata cognosci, quarum altera attingatur sub communi ratione formalitatis obiectivæ superius explicata; altera sub propria ratione rationalitatis. Probo nunc eam formalitatem singulis istis cognitionibus

bus assimilari, & dissimilari. assimilatur enim quia omne obiectum simile est cognitioni suæ per quam intentionaliter exprimitur. dissimilatur verò; quia illa est expressio imperfecta nec assequens totam cognoscibilitatem obiecti omnis autem imperfecta similitudo aliquid de dissimilitudine admiscet.

4. Una formalitas est alteri similis, & dissimilis v. g. rationalitas animalitati, secundum communem rationem obiectivæ formalitatis, & secundum propriam talis formalitatis. ergo idem formaliter idem est simile, & dissimile eidem. Multa sunt, quæ huic celebri instantiæ Scotistæ opponunt; verùm in iis nihil invenio, quod non possit ipsorum argumento pariter opponi; nam hoc est, quod unicè contrà ipsos contendimus, ità hominem, & equum in ratione communi convenire; disconvenire in propria, ut conveniunt, & disconveniunt invicem Scotisticæ formalitates.

A priori idipsum ostenditur. Contradictio ut sit vera, debet cadere supra idem, ità ut prædicatum, quod affirmatur, sit planè idem cum eo, quod negatur. Atqui convenientia, & disconvenientia in casu non ità contradicunt, cum sit alia convenientia, quæ ponitur, alia, quæ removetur. ergo nulla est in casu contradictio. min. prob. exemplificando in perfectione, & imperfectione creaturæ, quæ idem formaliter propterea potest esse; quia imperfectio non excludit eandem perfectionem, cũ qua est idem, sed aliã. sic homo est perfectus, quia intellectivus, imperfectus, quia non omnipotens, quia non æternus, &c. Hoc posito, manifestum est, quod disconvenientia hominis cum Deo in ratione omnipotentis non contradicit convenientiæ in ratione intellectivi; ut enim esse intellectivum, & non esse omnipotentem, evidenter non contradicunt; ità nec contradicunt habere convenientiam in esse intelle-

tellectivo, & disconvenientiam in esse omnipotenti.

Idem dic de homine relatè ad brutum. Homo in esse metaphysico est una simplex entitas, quæ tamen convenit, & disconvenit à bruto: sed disconvenientia non tollit hanc convenientiam, sed aliam, quæ intercedit inter brutum, & brutum. Nulla igitur in hoc contradictio. Tota hæc doctrina supponit, quod similitudo, & dissimilitudo ex genere suscipiat magis, & minus: quod à nemine negari potest, cum enim similitudo sit accessus unius perfectionis ad aliam, præsertim ad divinam, patet, quod quò maior est perfectio, eò maior est accessus, & maior similitudo. atqui dari perfectionem unam alia maiorem, est certissimum. ergo & certissimum erit dari maiorem unam alia similitudine. Quod si similitudo staret in indivisibili, ut æqualitas, & identitas; jam sicut inæqualitas, & distinctio semper contradictoriè pugnat cum æqualitate, & identitate, quia non est una æqualitas, aut identitas minor, quæ affirmetur, & maior, quæ negetur: ità philosophandum esset de dissimilitudine. Sed ista non pari passu procedunt.

Altera via Scoti ad probandam suam distinctionem est via definitionis; assumit enim illud principium, Quæ habent diversam definitionem distincta sunt; quia cum aliter definiantur, si idem essent, idem aliter à se ipso definiretur. Sed hac via difficiliùs multò tenditur ad propositum. nam primò per illud, per quod potest res fundare multiplicem cognitionem, potest fundare multiplicem definitionem; cum definitio non sit, nisi explicatio prioris cognitionis obscuræ. Atqui res una, & indivisibilis omninò potest multiplicem cognitionem fundare, ut infra ex professo ostendetur. ergo. 2. hoc idem patet per instantiam sumptam ex ipsis formalitatibus; aliter enim rationalitas definitur,

tur, ut formalitas est, aliter, ut rationalitas: nec proinde aliud est in rationalitate esse formalitatem, & esse rationalitatem.

§. II.

Reiicitur rursus distinctio formalis ex natura rei ex eo, quòd coincidat cum reali stricta.

PRobo id primùm; quia nihil huic distinctioni deest, ut propriè, strictéque realis sit. quid enim? num quòd extrema non sunt res, sed formalitates? sed inquiro, per quid formalitatem à re distinguis? per quatuor, inquies. 1. quod formalitates stare per se non possunt; nec enim sunt mutuò separabiles. 2. quia una non est principium alterius. 3. quia se solis non possunt terminare actionem physici agentis. 4. quia omnes simul petunt existere unica indivisibili existentia. Sed nullum ex his satis formalitatem à re secernit. Non primum; tum quia Personæ SS. Trinitatis inseparabiles invicem sunt, & tamen realiter inter se distinctæ. tertia entitas non potest stare, juxtà Scotistas, se sola, & seiunctim à partibus unitis, nec seiunctim ab ipsa partes unitæ, à quibus realiter strictè contradistinguitur. tum à priori; quia licet realis separabilitas sit evidens argumentum distinctionis realis, non tamen inseparabilitatis identitatis; quia cum distinctione stare potest connexio, unde inseparabilitas orîatur. Accedit, quòd multi Scotistæ rationem genericam à specifica, & hanc à numerica separabilem realiter faciunt.

Nec satis distinguit secundum; passio enim metaphysica, qualis est risibilitas in homine, & attributa in Deo, emanant ab essentia; adeòque essentia est radix, & principium attributorum, à quibus proinde deberet distingui realiter.

liter. Neque dicas, ejuſmodi emanationem, & principiationem eſſe non phyſicam, ſed metaphyſicam. Nam contra eſt: quia petis manifeſtè principium. principiare phyſicè eſt principiare per modum rei: principiare metaphyſicè eſt principiare per modum formalitatis. jam ergo aſſumis rem, & formalitatem in priori ad earum explicationem; & nihil reverà dicis, niſi quod formalitas ſit formalitas, non res, quia eſt formalitas, non res.

Nec diſtinguit tertium; tum quia paſſio, ut modo dixi, terminat ſe ſola principiationem eſſentiæ. tum quia Deus eſt res: nec tamen poteſt ullius phyſici agentis actionem terminare. tum quia modus non poteſt actionem terminare ſine re, nec res ſine omni modo; ut enim in phyſicis probavi, nulla res eſſe poteſt ſine aliquo modo ubicationis, & durationis. tum demum, quia hoc eſt recurrere ad inſeparabilitatem jam rejectam.

Nec diſtinguit quartum; quia non video, quid ſit opus ad formalem diſtinctionem unitas omnimoda exiſtentiæ. certe ut rei eſſentia eſt una, quamquam à pluribus in ſua linea quidditatibus conſtituta: ità & poteſt eſſe una exiſtentia, quamvis quælibet formalitas ſua polleat exiſtentia partiali. Adde, quod formalitates non habere exiſtentias proprias, non facit niſi ad ſummum realem earundem inſeparabilitatem, quæ ſtare tamen poteſt cum reali diſtinctione. hinc quamvis Thomiſtæ exiſtentiam putent eſſe unam materiæ, & formæ, non idcircò materiam à forma re non diſtinguunt, quamvis inſeparabilem illam idcircò velint ab omni forma.

Prob. 2. Quæ ſunt diſtincta formaliter, realiter non ſunt idem. ergo realiter ſunt diſtincta. ergo diſtinctio formalis eſt in rigore realis. utraque conſequ. conſtat. prob. antec. Identitas ex dictis cap. 1; eſt duorum affirmabili-

bilitas non quæcumque, sed in recto. atqui data formali distinctione, ista prædicatio *Rationalitas est Animalitas*, falsa est: & solùm vera illa, *Rationale est Animal*, hæc autem affirmatio non est satis, ut animalitas dicatur identificata rationalitati; aliter anima, & corpus identificarentur in homine, in quo verè una pars prædicatur de alia in concreto, dicendo, *animatum est corporatum*; h. e. habens animam est habens corpus, sicuti dicitur *rationale est animal*, h. e. habens rationalitatem est habens animalitatem. Neque dicas, posse prædicari unam formalitatem in abstracto de alia non simpliciter, sed cum addito, dicendo, *Rationalitas realiter est animalitas*. Nam contra est; quia non est alius propositionis istius sensus, nisi quod duæ illæ formalitates constituunt unam rem. Sed in hoc ipso sensu poterit anima prædicari de corpore, quia cum illo constituit unum hominem.

Prob 3. illa distinctio, quæ nata est salvare omnia contradictoria prædicata, est distinctio strictè realis, ut est evidens; quia inter contradictoria sunt esse, & non esse, produci, & non produci: quæ si de duobus verificentur, illa sunt indubitanter distinctæ res. atqui distinctio formalis eo ipso, quod ponitur ad salvanda in re aliqua contradictoria, nata est salvare omnia; cum omnia sint æqualia, nec magis pugnet convenire; & non convenire, quam esse & non esse; quod quæst. 3. latè probatum est. ergo distinctio formalis est strictè realis.

Respondent, argumentum rectè concludere, si spectetur vis sola distinctionis, potentis, quantum est de se, omnia contradictoria verificare. aliunde tamen non potest ex incapacitate prædicati. Sic quamvis ego sim distinctus realiter à lapide, & ex vi huius distinctionis possimus omnia contradictoria verificare, quantum est ex capite contradictionis; non tamen possu-

possumus omnia simpliciter propter repugnantiam prædicati. quare non possumus verificare ista *Deus, non Deus, Angelus, non Angelus*; quia ego esse non possum Deus, vel Angelus. idem dic de formalitatibus, quæ esse, & non esse, produci, & non produci verificare non possunt, non quidem ex capite oppositionis, sed ex incapacitate prædicati, cum formalitas nec esse, nec produci possit per se, & seorsim ab aliis.

Sed primò id mihi videtur satis, ut distinctio ista sit propriè realis, si quantum est de se stare possit cum eo, quod unum extremum sit, alterum non sit. Hinc enim fit, quod ista non sit minor distinctione reali ratione sui, sed solùm ratione connexionis inter extrema, quæ est extra notionem distinctionis. quod ipsum ex eo constat; quia si contradictio est, quæ facit distinctionem; & una contradictio non est maior altera, nec potest esse altera maior una distinctio.

2. Relatè ad esse, & non esse, produci, & non produci quælibet formalitas est absolutè capax; non enim potest existere, aut produci homo, nisi existant, & producantur eiusdem constitutivæ formalitates, à quibus non distinguitur. At, inquies, licet possit formalitas esse, & produci, non tamen se sola. Bene est, sed jam recurris ad incapacitatem non contradictorii, sed contradictionis; quia dicis formalitatem posse quidem esse, sed non, dum alia non est.

Hoc argumentum, quod mihi est validissimum, & petit non solum formalem, sed etiam virtualem intrinsecam distinctionem, unam patitur difficilem instantiam ex natura modi inseparabilis à re, cuius est modus. Sed huic instantiæ commodius satisfaciam cap. huius quæstionis extremo.

§ III.

§. III.

Respondetur contrariis Argumentis.

OBiic. 1. homo per animal convenit cum equo, per rationale disconvenit. ergo non est idem in homine animal, & rationale.

Nego anteced. si stet taxativè; tam enim homo convenit cum equo per rationale, quàm disconvenit per animal. conveniri autem, & disconveniri quo pacto possit per idem formaliter, sufficienter est 1. §. demonstratum. deinde posset negari antec. quia convenientia, & disconvenientia non est in re, sed in anima. & quidem hominem convenire cum equo non est, nisi venire cum eo sub cognitione confusa, & præscindente: disconvenire autem ab equo est venire sub cognitione, sub qua equus venire non potest. ex parte verò rei non est, nisi fundamentum, ratione cuius homo, & equus habent cognitiones, unam sub qua miscentur, alteram sub qua secernuntur. Quod autem una indivisibilis res possit aliam, & aliam cognitionem terminare sine ulla prorsus objectiva distinctione, infra ex professo probatum invenies.

Obiic. 2. illæ rationes, quarum neutra includitur in alterius definitione adæquata, sunt ex natura rei distinctæ. definitio enim adæquata cum explicet totam rei naturam, adeoque quidquid rei convenit per se ipsam, consequens est, ut quod in tali definitione non clauditur, rei non competat per se, suamque naturam. Atqui ita se habent in homine animalitas, & rationalitas; neutra enim ex his poni, nisi perperam, potest in definitione alterius: ergo ex natura rei distinguuntur.

Ut respondeam, noto, nullam rem definiri, ut est in se, sed solùm ut est in anima. Ratio

tio eſt; quia definire eſt explicare, & clarum facere, quod obſcurum erat. res autem in ſe nec complicata eſt, ut ſit explicanda, nec obſcura, ut ſit declaranda; ſed iſtæ ſunt paſſiones cognitionis, non rei; cognitio enim eſt, quæ implicitè, & obſcurè rem attingit; adeoque luce indiget nova perfectioris notitiæ, qua declaretur. res ergò non per ſe, ſed per cognitionem, cui ſubeſt, habet, ut definitionis ſit capax. Quod idem conſtat per regulam ſummuliſticam, quod terminus ſecundæ intentionis appoſitus termino primæ facit illum ſupponere ſimpliciter, adeoque pro re non ut in ſe, ſed ut in anima. atqui terminus *definitum* eſt terminus intentionis ſecundæ perinde, ut *prædicatum*, *ſubiectum*, *&c.* ergo de re dicitur, ut in anima, adeoque in ſuppoſitione non perſonali, ſed ſimplici.

Hinc ad argumentum dico, animal definiri adæquatè per principium ſentiendi, ſi ſtet in ſuppoſitione ſimplici, quatenus illa cognitio confuſa, ſub qua omnia animalia unificantur, non aliter explicatur, quàm per aliam clariorem, quæ attingit explicitè principium ſentiendi: ſed idem animal ſi ſtet perſonaliter, nec adæqutè, nec ſimpliciter definiri in quantum tale per principium ſentiendi. animal enim, ut eſt in re, non ſolùm habet, ut ſit principium ſentiendi, ſed etiam diſcurrendi, hinniendi, rugiendi, &c. ſub quibus rationibus, ut poſſit proximè explicari, debent ſingulæ ſpecies ſub ſuis propriis rationibus priùs confundi.

Inſtabis. licet animal realiter habeat, ut ſit principium ſentiendi, atque etiam diſcurrendi in homine, hoc tamen ſecundum non habet, ut animal eſt; aliter quodcumque animal poſſet diſcurrere. ergo in homine ipſo animal qua tale diſtinguitur à rationali.

Reduplicatio in termino univerſali facit illum

illum stare distributivè, cum sit reduplicatio non formæ realis, sed ipsius intentionis singularia omnia universalizantis. Manifestum est autem, quod ratio abstracta ab omnibus, si sumatur qua talis, competit omnibus. Hinc verum est, quod homo quà animal sentire potest; quia posse sẽtire est ratio abstracta ab omni animali: falsum, quod possit sentire qua rationalis; quia rationalitas non est notio abstracta ab omni potente sentire. Sed ista omnia, ut rectè procedunt in statu logico, ita perperam traducuntur ad physicum, in quo reduplicationes istæ adhiberi non possunt, nisi ex neglectu dialecticæ.

Instabis iterum. animalitas in quantum animalitas non est rationalitas. ergo animalitas non est rationalitas, adeoque distinguuntur in re. conseq. tenet; quia procedit à reduplicativa ad præjacentem.

Sed 1. instantia si procedit in statu logico, recta esse potest, sed nulla est consequentia ad statum physicum, ut modò dixi: male enim ex eo, quod rationes formales seu cognitiones sunt distinctæ, arguitur distinctio obiectorum. 2. si sensus sit de animalitate in statu physico, & obiectivo, reduplicativa illa geminum habet sensum. 1. ut negetur reduplicatio ipsa: & & tunc est sensus, quod prædicatio non est per se: quod est verum, sed nihil concluditur, ut non concluditur sic: Petrus non in quantum Petrus est albus, ergo non est albus. 2. ut affirmetur reduplicatio, & negetur prædicatum de subiecto: & tunc est sensus, quod prædicatum repugnet subiecto ex propria formali ratione subiecti, ut patet in ista, *homo in quantum homo non est lapis*. & sic data reduplicativa est falsa, cum verè aliqua animalitas sit rationalitas, adeoque hæc de illa in quantum tali negari non potest. Fateor prædicationes abstractorum, utcumque sit vera in sensu materiali, &

iden-

identico, simpliciter apud Logicos esse falsam, quia semper apud ipsos facit sensum formalem. itaque hæc propositio, *animalitas est rationalitas*, non sic explicatur, id, pro quo animalitas supponit, est id, pro quo supponit rationalitas: sed præterea, quod sit eadem formalis ratio, seu cognitio utriusque; quod est falsum.

Obiic. 3. intellectus noster est naturaliter dispositus ad cognoscendum obiectum suum prout est. Sed obiectum proprium ipsius est rerum quidditas. ergo rerum quidditatem cognoscit, ut est. Sed cognoscit rerum quidditatem compositam ex rationibus superioribus, & inferioribus: ergo rerum quidditas est verè ita composita. omnis autem compositio est inter distincta. ergo rationes illæ in re sunt distinctæ.

Argumentum urgeri potest tum in Deo, tum in formalitatibus ipsis. Directa responsio est facilis; distinguendo inter cognoscere rem compositam, & cognoscere rem componendo. primum non habet intellectus, nisi falsò ex opposita falsa opinione præoccupatus. secundum habet verè, sed non est opus compositione ulla in rebus; sicuti quia cognoscit judicando, & inferendo, non est opus judicio, & illatione in re ipsa. Nego igitur min. subsumptam.

Obiic. 4. ut se habet tota definitio ad totum definitum, ita partes definitionis ad partes definiti. sed definitio stat pro toto definito. ergo partes definitionis pro partibus definiti; adeoque in definito sunt actu in re partes.

Nego maiorem; partes enim rei Metaphysicæ significant non partem rei, sed totam rem; aliter non possent de re prædicari, dicendo, homo est animal, homo est rationalis. pars enim de toto non prædicatur in recto. Dicitur

ergo

ergo pars Metaphysica, quia licet totam rem, non tamen totaliter exprimit, & significat, seu non explicat omni modo, quo res est explicabilis. est ergo partialis expressio, & significatio partialitate non obiecti, sed cognitionis.

Obiic. 5. magis distinguitur genus à differentia, quam definitum à definitione, sed hoc distinguitur ratione formali, ergo illud plus, h. e. ratione obiectiva.

Si physicè loquamur, ita in homine sunt idem animal, & rationale, ut cum homine est idem animal rationale: sed logicè, seu metaphysicè non est ita; nam inter genus, & differentiam est distinctio rationis rigorosa, quæ dicitur perfectæ præcisionis; cum inter definitum, & definitionem sit distinctio rationis impropria, quæ dicitur non explicationis; seu secundùm implicitum, & explicitum: de quibus infra. Negatur ergo cons. nam intra ipsam lineam formalis distinctionis datur magis, & minus.

Obiic. 6. Proprium est Dei ratione illimitationis habere perfectiones ad se invicem excurrentes: at perfectiones creaturæ in suis formalibus rationibus sunt limitatæ, ergo una formaliter ad aliam non excurrit.

Sed divinæ perfectiones ab illimitatione non habent hoc solum, ut una excurrat ad aliam, sed ut excurrat ad omnem non solum in sua linea, sed etiam in qualibet. Contra perfectiones creatæ quamvis una excurrat ad aliam eiusdem rei perfectionem, sensitivitas v. g. in homine ad intellectivitatem, non tamen excurrit ad omnem perfectionem possibilem sive in linea sensitivitatis, sive in aliis. Nihil ergo ponimus in creatura repugnans limitationi per hunc formalem excursum, cum manifestum sit, quod præcisus excursus ab una finita ad aliam finitam perfectionem non potest infinitare.

Obiic.

Obiic.7. non salvari sine formali distinctione generis, ac speciei univocationem.

Resp. negando assumptum, cuius falsitas est in Logicis sufficienter ostensa.

CAPUT IV.

An stet cum reali identitate distinctio virtualis Thomistica.

HÆc distinctio, ut cap. 2. declaravi, importat rem unam solùm in virtute, fieri in actu multiplicem in esse obiecti per cognitionem. sed hoc esse impossibile pluribus ostendo.

Primò quidem sic. Distinctio ista actualis per intellectum inducta, vel habetur à ratione causaliter, ut scissio ligni à serra, vel formaliter. Non causaliter, ut adversarii ipsi meritò admittunt; neque enim apparet; quid causet in obiecto conceptus, per quod ex indistincto distinctum, & ex eodem fiat non idem. Non formaliter; quia ratio est ab obiecto, quod concipit; realiter adæquatè distincta. ergo ut illud non constituit, ita nec potest distinguere; distinctivum enim nihil est, quod idem non sit constitutivum.

Conf. animal dum actu per opus animæ distinguitur à rationali, vel id per se habet formaliter, vel per conceptum. Si per se; ergo est aliud, & aliud antecedenter ad conceptus distinguentes: quod nolunt Thomistæ. Si per conceptum; hoc quidem inintelligibile est; nam conceptus animalis in tantum distinguere potest animal à rationali, in quantum ita est proprius animalis, ut non sit proprius rationalis; si enim sit proprius utriusque, seu verius utrique communis, evidens est, quod non possit unum ab altero distinguere. Sed non potest conceptus proprius unius potiùs, quam

alterius, nisi supponat unum, & alterum. quod est & per se certum, & certum in exemplo; quia non potest albedo esse propria unius subiecti potiùs, quàm alterius, adeoque unum ab altero accidentaliter distinguere (quo pacto unicè distinguere potest cognitio) quin subiecta in priori unum, & alterum supponat.

Deinde si intellectus haberet vim distinguendi, quæ distincta non sunt, hanc eandem vim haberent potentiæ sensitivæ exteriores, oculus nimirum, & auris. Vt enim quia intellectus imperfectè, ac diminutè cognoscens, rationem superiorem abstrahit, & distinguit ab inferiori: ita quia oculus videns è longinquo colorem, non distinguit, sitnè albus, an ater, debet etiam ipse distinguere colorem, ut sic à tali. & quia auris percipit sonum indistinctum, non discernens, utrum sit vox articulata, nec ne, etiam ipsa debet sonum à voce articulata distinguere. Quod si oculus, & auris non percipiunt in obiecto suo aliud, & aliud, sed idem aliter, & aliter, modò scilicet imperfectiùs, modò perfectiùs, diversitate tenente se ex integro ex parte modi cognoscendi, non ex parte obiecti cogniti; cur non idem dici potest, & debet in intellectu?

Prætereà si per hoc, quod sint plures cognitiones eiusdem rei, res illa evadit eo ipso intrinsecè obiectum multiplex; ergo ex hoc, quod in una re sint plures formæ accidentales, res illa eo ipso evadet intrinsecè multiplex subiectum. cons. prob. ut enim cognitio ad obiectum, ita & proportione servata, comparatur forma accidentalis ad subiectum: & quidem non video, quid plus possit cognitio in obiectum, quàm in subiectum forma; imò plus hæc potest, quæ dat subiecto suo denominationem intrinsecam, quàm illa, quæ solùm denominat extrinsecè. quare si esse hac, & illa co-

cognitione denominatum, habet intrinsecè partiri obiectum; à fortiori partietur subiectum intrinsecè, dum hac, & illa forma afficitur, & denominatur.

Denique cognitio non habet multiplicare obiectum suum, quia est forma denominans ipsum, ut apertè convincit modò factum argumentum; aliter omnis forma multiplicaret. Neque habet multiplicare, quia est obiecti imago; hinc enim fieret similiter, ut omnis imago multiplicaret imaginatum. quare cum infinitæ creaturæ sint infinitæ imagines Deitatis, deberent Deitatem in infinitum multiplicare. Vis sequelæ patet ex eo, quòd si cognitiones, quæ sunt imagines obiecti intentionales, ac diminutæ, multiplicitatem intrinsecam inferunt obiecto imaginato; à fortiori idem præstabunt creaturæ relatè ad Deum, quæ sunt scilicet Dei reales, adeòque perfectiores imagines.

Respondent ad hæc omnia, proprium esse intellectus, ut in ipso res cognita habeat suum esse: quod non competit potentiis exterioribus sensitivis. Rursus res per sua physica accidentia acquirit aliud, & aliud esse, sed non habet in iis suum esse: at in mente est ipsum esse obiecti. Similiter Deus participatus à creaturis non habet suum esse in creaturis. Paritates igitur allatæ nullæ sunt.

Responsio ista nonnisi verbis ludit, eluditque proposita argumenta, obiectum enim habere suum esse in anima, vel facit sensum, quod esse illud ipsum, quod res habet in se, sit in anima: & facit sensum evidenter falsum; quis enim sanæ mentis vel somniet, dum cognoscit equum, equum ipsum quadrupedem, ac tantæ molis suo se cerebro includere, vel abbreviatum quodam cognitionis præstigio? Vel facit sensum, quod intellectus habet rem intra se, quia habet rei intentionalem imaginem, quæ

sit res ipsa non propriè, sed per metaphoram: & hoc est verum; sed redit argumentum; nam etiam oculus, & auris habent intentionales in se imagines obiectorum. Præterea cur istæ imagines, quæ sunt obiectum metaphoricè, si plures sunt, obiectum plurificant, secus reales formæ? & idem urgetur in realibus imaginibus, in quibus etiam res imaginata dicitur habere quodammodò suum esse.

Accedit D. Thomas, qui in 1. d.2. qu.1. art. 3. ad 6. loquens de distinctione rationis inter Dei attributa (eadem est ratio de distinctione rationis inter creatas perfectiones) sic habet: *Tunc aliquid est unum re, & ratione multipliciter, quando una res correspondet diversis conceptionibus, & nominibus, ut de ea verificentur, sicut punctum, quod cum sit una res, respondet secundùm veritatem diversis conceptionibus de eo factis; sive prout cogitatur in se, sive prout cogitatur centrum, sive prout cogitatur principium linearum. & hæ rationes, sive conceptiones sunt in intellectu sicut in subiecto, & in ipso puncto sicut in fundamento veritatis istarum conceptionum.* At punctum sic diversimode conceptum non est aliud, & aliud intelligibile in recto, sed idem conceptum per ordinem ad obliqua diversa: ergo ex mente D. Thomæ distinctio rationis non importat multiplicitatem obiecti in recto; adeòque frustrà est, quod addit de suo Capreolus, obiectum ipsum bifurcari, & haberi aliud, etiam in ratione primaria concepta.

Quæ pro sententia hic reiecta faciunt argumenta, ut probent obiectivam præcisionem, commodiùs solventur infra.

CA-

CAPUT V.

An stet cum reali identitate distinctio virtualis intrinseca.

HUic equidem distinctioni, quamvis à multis, magnisque viris assertæ, acquiescere nunquam potui. eam ergo ex duplici potissimum capite reiiciam, & quia est destructiva primi principii; & quia necessariò est non solùm virtualis, sed etiam actualis distinctio.

§. I.

Distinctio virtualis intrinseca improbatur.

PRobo primùm hanc distinctionem evertere primi principii veritatem: quod sanè constat ex ipsa notione virtualis intrinsecæ distinctionis, hoc enim est distinctionis istius proprium, efficere, ut idem omnino idem in actu sit virtualiter multiplex in ordine ad verificanda contradictoria. atqui idem posse verificare contradictoria, seu quod perinde est, posse esse, & non esse, seu esse, & non esse tale, pugnat rectâ fronte cum primi principii veritate, quæ negat idem posse esse, & non esse. ergo talis distinctio destruit primum principium.

Conf. petendo ab adversariis, ut explicent, quid sit, A. v. g. esse impossibile, & chimæricum? certè non aliud dicent, quam quod, sicuti Possibile est, quod positum in esse repugnantiam in suis prædicatis non habet: Ita Impossibile est, quod si poneretur, repugnantiam in suis terminis traheret. jam verò quid est repugnantia in terminis præter esse, & non esse de eodem verificata? hoc igitur, & non aliud est impossibile, *idem contradictoria verificans*. at-

qui distinctio virtualis id facit, ut idem contradictoria verificet. ergo chimæram facit, adeòque chimærica est.

Respondent, illud principium, *Idem non potest simul esse, & non esse*, intelligendum de eodem, quod est omnino idem, adeòque tum realiter, tum virtualiter idem. at verò ut animal, & rationale verificent contradictoria, non tamen sunt idem omninò, cum sint virtualiter distincta. stat ergo veritas primi principii. Ex hoc ipso chimæra non sunt, quia chimæra est idem etiam virtualiter idem contradictoria verificans.

Sed contra est 1. ly *virtualiter* additum *distincto* vel distrahit distinctionem, vel diminuit. Si secundum; jam admittitur in distincto virtualiter distinctio actualis minor: quod est incidere in sententiam Scotistarum. Si primum; ergo distinctio virtualis re ipsa est nulla distinctio: sicuti quia *homo* distrahitur ab addito *pictus*, homo pictus re ipsa est nullus homo. ergo distinctio virtualis est omnimoda identitas. ergo distinctum virtualiter est idem omninò idem: quod si verificet contradictoria, idem omninò idem ea verificat.

Contra est 2. distinctio virtualis non est virtualis per meram æquivalentiam pluribus, sed per æquivalentiam distinctioni plurium in proprio munere distinctionis, quod est verificare contradictoria. ergo distinctum virtualiter re ipsa, & secundùm propriam notionem, ac definitionem suam non est, nisi idem potens verificare contradictoria. ergo dum eam propositionem. *Idem non potest verificare contradictoria*, sic distinguis, *idem tantùm in actu*, *nego*; *idem actu*, *& virtualiter*, *concedo*; re ipsa hoc dicis, idem potest verificare contradictoria, quod potest verificare contradictoria. Sed hoc est dicere idem per idem, & est revera limitare primum principium, ut in aliquibus sit verum,

rum; in aliquibus falsum; adeoque est illud in sua universalitate falsificare.

Neque dicas, priùs esse rem distingui, quàm posse verificare contradictoria; atque adeò in illa responsione nec dici idem per idem, nec falsificari primum principium. Nam

Contra est 1. quia definitio distinctionis non est, nisi verificatio contradictoriorum; dicuntur enim duo distincta, quorum unum non est aliud: in quo evidenter involvitur contradictio, non quidem exercita (sic enim omnis distinctio esset chimæra) sed signata. h. e. talis, quæ si caderet suprà idem, verificaretur exercitè contradictio, non esse scilicet aliud, & esse aliud. Ergo distinctio formaliter non est, nisi contradictio signatè verificata: adeòque distinctio virtualis quà talis non aliter est explicabilis, quàm per posse verificare contradictoria.

Contra est 2. si enim esse distinctum esset in priori ad posse verificare contradictoria, esse indistinctum esset in priori ad non posse verificare contradictoria; ubi enim affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, dum sumus in causis præcisis. hinc autem fieret, ut non posse verificare contradictoria probaretur à priori per esse indistinctum; atque ità probaretur à priori veritas primi principii, quod proinde nec primum esset principium, quia aliud ante se supponeret: nec notissimum esset, quia haberet aliud, à quo notificaretur.

Confirmantur hæc omnia ex alio absurdo contra eiusdem primi principii veritatem, quod scilicet contradictoria non solùm verificarentur de virtualiter distinctis, sed etiam de virtualiter eodem; verificabunt enim contradictoria non solùm animal, & rationale virtualiter distincta, sed etiam animal ipsum, in quo nulla supponitur distinctio virtualis.

Hoc ita ostendo. demus, cognosci hoc animal, non cognito hoc rationali in Petro. probo nunc, hoc ipsum animal non cognosci per hunc Expositorium: *Hoc rationale non est cognitum: Hoc animal est hoc rationale. ergo hoc animal non est cognitum*. maior supponitur. Minor est tua, qui distinctionem virtualem ponis inter ea, quorum unum de altero non est negabile in recto. conseq. est evidens. Sed aliundè animal supponitur cognitum; ergo idem animal est cognitum, & non cognitum. Quod si negas consequentiam, quam præsumis non tenere, ubi extrema virtualiter distinguuntur, totam omninò diruis vim syllogisticam; quid enim poterit unquam evidenter concludi, si identitas medii patitur contradictionem? aut quis syllogismus universalis erit aptus ad scientiam, si expositorius est fallax?

Arguo deinde, ut probem virtualem distinctionem coincidere cum actuali. 1. actualis distinctio habetur inter ea, quorum unum de alio negatur in recto. Sed distinctio virtualis negat unum de alio in recto. ergo est actualis. min. prob. distinctio virtualis facit, ut unum prædicatum de uno dicatur, quod non dicitur de alio; sed in hoc involvitur, ut unum negetur de alio in recto. quod ostendo ex ea regula summulistica. *Negatio negans distribuit omnem terminum, quem afficit sive immediatè, sive mediate post se*. Supponamus ergo, quod beneficio virtualis distinctionis verificentur de animali, & rationali duo hæc contradictoria prædicata, *simile equo. non simile equo*. Nunc sic dum dico, *rationale non est simile equo*, prædicatum distribuitur, adeoque negantur de rationali singula sub *simili* contenta. Sed inter cætera sub *simili* contenta est animal. ergo animal negatur de rationali.

2. Forma distinctionis actualis est actualis contradictio. ergo de quocumque verificatur

tur actualis contradictio, verificatur actualis distinctio. antec. prob. A distingui à B, est A non esse B. ergo quod distinguit A, & B, est esse B, quod dicitur de B, & non esse B, quod dicitur de A; adeòque distinctionis forma non est, nisi contradictio. quod si una, omnis contradictio actu distinguet, cum omnis sit omni æqualis. quid enim plus tribues his, *esse B, & non esse B*, quod neges his aliis, *esse simile, non esse simile*?

Ex his reiicitur doctrina Caietani 1. p. q. 19. art. 1. ubi opponens sibi argumentum illud Aureoli; Contradictio verificata est effectus distinctionis: ergo ubi est contradictio actu verificata, ibi est actu distinctio; quia non potest esse effectus in actu sine causa in actu; Respondet negando antecedens; *Nam iste effectus*, inquit, *potest oriri à distinctione, ut à causa quasi univoca: & à virtualiter continente distinctionem, ut à causa æquivoca*. quod addit bene notandum; *hoc enim*, ait, *uno omnium ora obstrues*,

Reiicitur, inquam, hæc doctrina ex dictis; tum quia trahit primi principii destructionem. tum quia contradictio non est quæcumque, sed formalis causa, seu veriùs ratio distinctionis, qualis est definiti definitio: ut modo probavi. ita ergo poterit contradictio verificata stare cum identitate tanquam cum causa æquivoca, ut potest stare cum identitate distinctio.

Accedit his omnibus ultimo loco non contemnendum omninò argumentum, licet non tanti ponderis, quanti præcedentia. Distinctio virtualis est eminentialis quædam continentia distinctionis. atqui distinctio non potest contineri per eminentiam. ergo non est possibilis virtualis distinctio. maior est adversariorum doctrina. min. prob. continere eminenter est continere perfectionem alterius, dempta

imperfectione admixta. Cum ergo distinctio nihil sit præter distincta, continere distinctionem eminenter, erit continere perfectionem distinctorum, dempta imperfectione distinctionis, quæ importat limitationem, & non excursum unius perfectionis ad aliam. quare non erit continentia distinctionis, sed distinctorum. Et quidem cum distinctio perfectionum eiusdem rei formaliter, ut distinctio (modò non sit distinctio in mera oppositione fundata, qualis est inter divinas Relationes) non sit nisi imperfectio, continere eminenter non solùm distincta, sed etiam distinctionem, erit continere non solùm perfectionem, verùm etiam imperfectionem. at quæ eminentia in hoc, quod contineatur utcumque imperfectio? aut quæ perfectio æquivalere imperfectioni?

§ II.

Diluuntur obiecta.

OBiic. 1. Argumenta contrà distinctionem virtualem facta probant universaliter ejus impossibilitatem. atqui hoc est evertere Mysterium Trinitatis, quod sine hac distinctione salvari nullatenus posse Recentiores passim pronunciant. nam in Patre divino habentur ex Fide realia ista contradictoria prædicata, quod Filio communicetur secundùm naturam, & eidem non communicetur secundùm Paternitatem. quare cum inter Naturam, & Paternitatem non rectè statuatur actualis distinctio, debet admitti distinctio virtualis: quæ si impossibilis est, Mysterium Trinitatis evertitur.

Resp. augustissimum illud Mysterium everti potiùs ab adversariis, qui statuunt in illo contradictoria de eodem verificata: quod evidentissi-

tissimo naturæ lumini repugnat. Egregiè in hanc rem noster DerKennis de Deo disp. 2. c. 3. §. 1. notat, quod Nominales nonnulli, qui cum Ocham in 1. d. 1. qu. 6. lit. F. limitant primum principium dicentes, nunquam contradictoria admittenda esse de eodem, nisi habeantur in Scriptura Sacra, vel ex determinatione Ecclesiæ, vel evidenter ex talibus inferantur, *Non tantùm nihil explicant, sed ipsis divinis Mysteriis, ac Fidei nostræ iniurii sunt, utpotè quæ incredibilia faciunt, & cum ratione pugnantia, ac non tantùm suprà, sed & contra naturam, ac lumen rationis; imò & ab ipsa Scriptura, quam hic præposterè venerari volunt, manifestè redarguuntur; Apostolus enim 2. Cor. 1. à v. 17. ab omni eo, quod docuerat, concernente nimirum divina, & Dei Filium, ac proinde SS. Trinitatis Mysterium, removet* est, *&* non, *h. e. affirmationem, & negationem ejusdem de eodem, & testatur tantùm reperiri*, est.

Itaque in hoc potius laborandum ad salvandam tanti Mysterii veritatem, ut ostendatur contradictoria illa, quæ de Paternitate, & Natura verificantur, re ipsa non esse contradictoria; cum non sit eadem communicatio negata, & affirmata, quod accuratè præstat Franciscus VeKenus de Deo disp. 6. per totam, DerKennis cit. num. 29. sed accuratiùs Recentiores in M. S.

Obiic. 2. dabilis est actus contritionis, qui odio habeat peccatum propter Deum summè dilectum, adeòque qui simul sit amor Dei, & odium peccati. Sed istæ duæ rationes non sunt omninò indistinctæ ex parte obiecti. ergo in una, eademque re sunt perfectiones aliquo modo distinctæ, min. prob. si essent omninò indistinctæ, tam Deus terminaret odium, quam peccatum amorem, ergo & odio haberetur Deus, & amaretur peccatum; quia odio haberi est terminare odium, amari est terminare amorem.

Hoc fermè argumento, quo usus est Lynceus in Met. l. 2. tit. 4. usus est multò ante Mayronus in 1. d. 8. q. 3. ad probandam distinctionem inter cognitionem, & amorem divinum; si enim cognitio, & amor in Deo essent omninò idem, peccatum, quod terminat cognitionem, terminaret indivisim amorem, adeòque ut cognoscitur, amaretur. Sed Mayronus apparentiùs argumentatur; sumit enim habitudines oppositas eiusdem ad idem; cum Lynceus sumat habitudines ejusdem ad diversa.

Resp. igitur negando min. ad probationem dico, Deum terminare quidem odium, non tamen sui, sed peccati: peccatum terminare amorem, non tamen sui, sed Dei. hinc Deus amatur, & non odio habetur; quia odio haberi non est terminare odium alterius, sed sui: peccatum odio habetur, & non amatur; quia amari non est terminare amorem alterius, sed sui. Quod si instes; unde habes, quod hìc actus sit amor Dei, non peccati, odium peccati, non Dei: certè adversarius ex identitate omnimoda istarum rationum arguit, hunc actum esse indifferenter odium, & amorem tum peccati, tum Dei. quare responsio videtur petere principium. Sed non est ità; cum idipsum supponatur ab arguente in hypothesi, qua statuit in uno actu amorem Dei, & odium peccati. Neque verò est putandum, quod in illo actu sit ratio amoris, & odii utcumque (neque enim est in re amor, & odium, nisi certi obiecti essentialiter ab his actibus attacti) sed est ratio amoris in specie, quæ est tendentia prosecutiva Dei, & ratio odii in specie, quæ est tendentia aversativa peccati. Ex his tendentiis in uno actu identificatis omninò, nec sequitur ulla contradictio, ut est evidens, quia contradictio nulla est, dum est in eodem, & non ad idem; nec sequitur idem denominari amatum, & odio habitum; quia potest universim ab

eadem

eadem indivisibili forma manare diversissima denominatio pro formæ natura, & subiecti, aut termini capacitate. Sic eadem cognitio intellectum denominat cognoscentem, & obiectum cognitum. Sic idem amor, qui appretiativè fertur in Deum super omnia denominat Deum præhabitum omnibus; & omnia posthabita Deo.

Ad argumentum Mayroni respondetur etiam facilè, negando haberi contradictionem ullam in hoc, quod per eundem indivisibilem realiter actum cognoscatur peccatum, & non ametur. Contradictio esset, si cognosceretur, & non cognosceretur, amaretur, & non amaretur idem peccatum. At, inquies, idem actus divinus, ut cognitio est, terminatur ad peccatum; ut amor est, non terminatur, ergo aliud est cognitio, aliud amor; aliter idem terminaretur, & non terminaretur ad idem. Resp. antec. esse verum in sensu formali infra explicando, sed falsum in sensu reali, & identico; amor enim ipse realiter terminatur ad peccatum, quia idem ipse est cognitio peccati. nec proinde peccatum amatur; amari enim, ut dixi, non est terminare quemcumque amorem, sed amorem sui.

Obiic. 3. oculus dum percipit albedinem, non percipit in ea essentialem habitudinem, quam dicit ad Deum. ergo ex duabus rationibus identificatis alteram percipit oculus, alteram non; adeoque de eodem contradictoria verificantur.

Argumentum urget potius adversarios, qui negant potentias intellectu inferiores posse obiectivè præscindere unam rationem ab alia. Nego igitur antec. dum oculus percipit colorem, totam coloris entitatem percipit; & quia habitudo coloris ad Deum supponitur esse color ipse, hanc etiam in sensu reali percipit oculus. Sed eam tamen non percipit

in sensu formali, imò nec potest sic percipere; quia hoc importat videre illam conceptu comparante creaturam Deo secundum ordinem dependentiæ: quod oculo, potentiæ nec collativæ, nec expressivæ Dei, convenire nullatenus potest. Sed hinc non sequitur, distingui colorem à dependentia, sed solùm aliam esse cognitionem coloris, & aliam coloris dependentis: primam verò, & non secundam haberi ab oculo: quod totum, qui possit sine ulla contradictione contingere, jam aggredior explicare.

CAPUT VI.

An, & quomodo intellectus ex re prorsus una multas possit rationes abstrahere.

UNum ex præcipuis argumentis, quibus distinctionis seu formalis, seu virtualis authores sententiam suam muniunt, & nostram impetunt, est ex eo, quod una res possit secundum unam rationem cognosci, non cognita secundùm aliam, homo v. g. secundùm quod animal, non cognito rationali; unde arguunt aliam esse sive actu, sive virtute objectivam animalis, & rationalis rationem. Ut ergo hoc argumentum funditus ruat, tota præcisionum materia ad caput usque evolvenda.

§. I.

Enumerantur Doctorum sententiæ circa Præcisiones, & verior eligitur.

POsse intellectum nostrum ex imperfectione, qua utitur in cognoscendo, de eadem re conceptus multos formare magis, minusve claros, ac perfectos, indubitatum est. Sic dum homi-

hominem procul positum video, ita obscure illum cognosco, ut non discernam à trunco. Sed dum accedo magis, illumque video moveri ab intrinseco, clarius cognosco, verum nondum illum à brutis secerno. postremò ex externa corporis habitudine, ex voce, ex discursu, hominem illum esse percipio. In hoc progressu Scotistæ, ac Thomistæ dicunt unam primò rationem obiectivam, tum aliam, & aliam cognosci. Sed his omissis, quorum sententiæ satis superius sunt rejectæ, eorum dumtaxat opiniones recitabo, qui solam formalem conceptuum præcisionem admittentes, cognitionum varietatem alii aliunde derivant.

In qua re Nominales, ac Recentiores passim ad obliqua, & connotata recurrunt; aiuntque totam de una re cognitionum multitudinem ab eo uno descendere, quod res eadem in ordine ad diversos effectus consideratur. Sic homo dicitur animal, dum præcisè consideratur per ordinem ad sensationes; dicitur rationalis, dum consideratur per ordinem ad discursum.

Hæc sententia si unum modum præscindendi formaliter afferat, vera est: si unicum, falsa. Et quidem conceptus substantiæ varios ita sæpè distinguimus; cum enim substantiam nullam in se, sed in effectibus experimentaliter notis cognoscamus, usitatissimum est, ut illam in varias considerationes distinguamus pro effectuum diversitate: quo eodem pacto divinas etiam perfectiones distinguimus. At verò hic modus universalis non est, nec proinde necessarius. Etenim non de substantia solùm, sed de ipsis accidentibus, & operationibus possumus, & solemus varios formare conceptus. Sic discursum partimur in ratione qualitatis, vitæ, cognitionis, ac discursus: in quibus præcisionibus si connotatis aliis esset opus, aut fieret processus in infinitum, aut circulus.

Conf. 1. ex Aureolo, non minus est virtus distin-

distinctiva intellectus, quam sensus; ut constat; unde meritò à Comment. 3. de Anim. dicitur intellectus *Virtus distinctiva per totum*. ac sensus potest, nullo habito respectu ad operationes, & connotata, ab eodem sensibili immutari ad sensationes diversas; dum enim video procul albedinem, habeo eius visionem tam imperfectam, ut eam à reliquis coloribus non distinguam, quam distinguo, dum propiùs accedo. ergo idem à fortiori valet in intellectu.

Conf. 2. quia eiusdem substantiæ aliam, & aliam rationem sæpè distinguimus non ex alio, & alio, sed ex eodem connotato melius, peiusvè cognito. Sic ex figura exteriori cognita imperfectè homo confunditur cum statua: vel trunco ex eadem cognita perfectiùs à brutis etiam discernitur. Sic ex variis rationibus in discursu ipso distinguibilibus, homo denominatur vivens, cognoscitivus, discursivus, &c. Non ergo universim ad distinctionem rationum necessaria indispensabiliter est distinctio connotatorum.

Altera est opinio Henrici apud Aureolum putantis diversitatem conceptuum oriri ex pluralitate terminorum, quibuscum res una comparatur. quare si unum esset individuum in re, non posset ab eo alius, aliusque conceptus abstrahi. nunc autem abstrahitur, quia Sortem, v. g. intellectus primò comparat cum lapide, & in quo reperit similem, rationem corporis format. tum comparat cum planta,, & in quo reperit similem, formas rationem vitæ: atque ita de reliquis.

Hæc etiam sententia aliquid possibile, & usitatum affert in conceptuum præcisione; sed non affert aliquid universale, & necessarium. Nam 1. ut sensus aliam, & aliam eiusdem sensibilis sensationem concipit, nec tamen illud cum aliis comparat: ita, & intellectus. 2. licet ista comparatio sit necessaria, ut ratio-

nes

nes induant denominationes secundò intentionales generis, & differentiæ (neque enim animal scis esse genus, nisi multas species intelligas, quæ sub illo conveniunt; nec scis rationale esse differentiam, nisi intelligas illud homini convenire, non bruto) non tamen est necessaria, ut induant denominationes primò intentionales, animalis scilicet & rationalis: quæ sanè in suis notionibus comparationem cum brutis nullam important. Atqui universim ad habendos conceptus non opus est scire, nisi solum. quid conceptus important, ergo nullam ad eiusmodi conceptus formandos necesse est comparationem instituere.

Optima igitur ad hanc rem componendam est via, quam ingreditur Aureolus in 2.d.3. q.2. art.4. putans, conceptuum diversitatem oriri universim à diversitate inadęquatarum impressionum, quas facit obiectum in potentia.

Dico igitur 1. De una, eademque re, nullam prorsus habente obiectivam distinctionem, possunt diversi conceptus formari.

Prob. 1. ad hominem contra distinctionis, ac præcisionis obiectivæ authores. Neque enim solùm de animali, & rationali in homine, sed & de ipso animali, ut distincto à rationali, in quo nulla distinctio obiectiva, possunt diversi conceptus formari, ut quod sit ens, quod sit formalitas, aut virtualitas, quod sit pars metaphysicè constitutiva hominis, quod sit ratio convenientiæ inter hominem, & bruta, quod sit principium sentiendi. ergo de obiecto, in quo nulla distinctio, possunt formari cognitiones distinctæ.

Prob. 2. ab Aureolo paritate sensuum externorum; oculus enim videns colorem procul constitutum, fert modo suo judicium de colore, non de tali colore; adeoque modo suo colorem à tali colore præscindit. Id autem nasci non potest ex distinctione ulla obiectiva in-

ter colorem, ejusque taleitatem v. g. albedinem. Si enim hinc nasceretur, non esset ratio, cur eminus deberet videri color potiùs quàm albedo. imò è contrario deberet potiùs albedo videri, quàm color. quod ità probat: illud potiùs debet è longinquo videri, quod maiorem habet vim oculi motivam. at si albedo distinguatur à colore, maior est vis motiva albedinis, quàm coloris. unumquodque enim movet, ut est in actu; adeòque quod magis est in actu, magis movet. albedo autem à colore distincta magis est in actu, quam color.

Prob. 3. aliis exemplis. Nam 1. eadem pictura, vel statua videtur ab artis perito, & imperito, nec aliquid videt peritus, quod non videt imperitus, sed idem meliùs. 2. eadem omninò veritas attingi potest cognitione intuitiva, & evidenti, quæ attingitur cognitione inevidenti, aut probabili: & istæ tamen cognitiones, quamvis eiusdem obiecti, genere distant. 3. eadem divina omnipotentia, quæ iuxtà adversarios una est indivisibilis, seu formalitas, seu virtualitas, concipi potest modo ut generativa, modò ut creativa, & creativa modò materiæ, modo Angeli. 4. idem obiectum amari potest sine ulla distinctione in ipso, & cum magna distinctione in actibus amandi; nam & amatur amore simplici secundum se; & si sit absens, desiderium; si præsens, gaudium movet: qui actus genere differunt, & sunt ad idem bonum. Similiter ergo possunt specie, & genere distinctæ cognitiones ad idem esse indivisibile obiectum.

Dico 2. Diversitas cognitionum de eadem indivisibili re nasci universim potest ex diversa impressione, quam res facit in intellectu, sivè ex eo, quod res aut per se, aut per suum effectum inadæquate movet ad sui notitiam. Ut explicetur, & probetur simul conclusio, in quatuor eam propositiones seorsim probandas dispertio.

1. Pro-

1. Propositio, omnis causa assimilat sibi aliqualiter effectum. hinc omnis effectus dicitur, & est similitudo, atque imago causæ suæ. Hæc est certa apud omnes.

2. Propositio. eadem causa utcumque indivisibilis, & simplex, potest diversos effectus sibi assimilare, assimilatione non perfecta, & adæquata, sed inadæquata, & imperfecta, absque ulla distinctione in causa rationum producentium, & assimilantium. Patet in Deo, cui omnes creaturæ assimilantur secundum magis, & minus, nec propterea oportet ullam distinctionem ponere ex parte Dei, sed tota distinctio se tenet ex parte Dei, creaturæ assimilatæ. Ratio est; quia assimilatio cum sit habitudo, non solum involvit assimilantem, sed etiam assimilatum; adeòque multiplicatur sufficienter per solam multiplicitatem assimilati, quod aliter, & aliter perfectius, aut imperfectius trahitur in similitudinem causæ.

3. Propositio. obiectum per sui impressionem, ac motionem, qua producit in potentia cognitionem sui, assimilat sibi intentionaliter intellectum. Hoc est apud omnes certum; nam & notitia paritur ex obiecto, & potentia: & intellectus intelligendo fit per similitudinem omnia.

4. Propositio. ex eo, quod obiectum indivisibile inadequatè movet intellectum, existit de eodem notitiarum diversitas, quæ proinde tota est non ex distinctione rationum in obiecto, sed ex variis imperfectis motionibus, quas obiectum facit in potentia. Prob. una, & individua res inadæquatam sui similitudinem faciens, diversimodè sibi passum, & effectum assimilat, ut patet ex secunda. sed obiectum agit in intellectum, assimilando illum sibi intentionaliter, ut constat ex tertia. ergo idem indivisibile obiectum, imperfectè, & inadæquatè movens, potest ponere in intellectu assimi-

finitionem, & diffin
mal rationale.

Distinctionem rat
stinctionem rationi
ratiocinantis. Prior
bet fundamentum in
tum accipiat ab anim
misericordia à justiti
tates sint una ipsa D
est tamen fundamen
piendi, ut duas, rat
respiciunt, misericor
justitia ultionem. P
tota est ab intellectu
mento in re; ut cum
tam quodammodò
prædicatione identic
synonimos, ut in h
distinguit intellectu
ctum, & hominem p
distinctio definit eff
deratio.

Distinctionem rea
realem strictam, for
tualem, & modalem
habetur inter rem,
& Sortem. Ad hanc
ris membrum divisi
tur; nihil enim m
parabilitatem non m
ea etiam reperitur,
tur, ut est creatura d
à Deo realiter insep
sio generis debet fier
ris. at connexio n
dalis à reali secerni
nem distinctionis;
non esse aliud; con
se esse sine alio; ad
aliud, & per consequ

§. II.

...ii contra præcedentem doctrinam occurritur.

...d hoc ut agens aliter, & aliter
...ebet fieri variatio aliqua vel in
...ſſo; aliter manens prorſus idem,
... idem. hinc propter diverſam
... aliter, & aliter agit in oculum
... intellectu iſta varietas non habe-
... idem obiectum, eadem poten-
...e ſæpè approximatio. ergo non
...e diverſitas conceptuum: aut ſi
...eceſſariò ab obiecti diſtinctione

... diverſitas enim habetur ſæpè ex
... diverſimodè applicati: quod dum
...nſinuat ſenſui, facit debilem, &
...ſenſationem: & hæc debile, &
...hantaſma; hoc verò debilem, &
...cum intellectu & ſpeciem, & co-
... Habetur etiam diverſitas ex parte
... qui cum ſubdatur imperio volun-
... ex arbitrio ſe applicare diverſimo-
...ſcendum obiectum, illudque in ra-
...s partiri: quod maximè præſtant,
...yſicis ſpeculationibus ſunt aſſueti,
...perientia.

...eadem res non poteſt contradictoria
...ſuſciperet autem, ſi diverſos conce-
...aret. ergo non poteſt. Min. prob.
...omine habetur conceptus dumtaxat
... cognoſcitur, ut animal, & non
...lis; quare ſi animal, & rationale
...omine ſunt, idem cognoſcitur, &
...ſcitur.

...in. ad prob. dico, quod dum homo
..., ut animal, concipitur conceptu
com-

communi; dum verò ut rationalis, concipitur conceptu proprio. hoc autem, & non aliud est, concipi ut animal, non concipi ut rationale, substare conceptui communi, non proprio. quod autem idem obiectum modo uni, modo alteri conceptui subsit, nulla est contradictio: sicuti contradictio nulla est, quod idem indivisibile subiectum modo sit sub una, modo sub alia forma: aut quod eadem indivisibilis causa modo unum producat, modo alium effectum. Contradictio est in adversariorum sententia, qui volunt unam rationem obiectivam exprimi in conceptu animalis, non aliam; cum tamen in re non sit unum, & aliud. at juxta nos eadem omninò obiectiva ratio, quæ concipitur cognitione communi, imperfecta, & confusa, sub qua denominatur animal, eadem deinde concipitur conceptu proprio, & claro, sub qua dicitur rationale. Hinc dum concipitur animal, rationale etiam concipitur entitativè, & materialiter, sed non formaliter, quatenus non concipitur illa cognitione, sub qua rationale denominatur.

Obiic. 3. dum cognosco clarè animal hominis, vel clarè cognosco etiam rationale, vel non. Si non; ergo cognosco animal clarè, non clarè cognito rationali; quæ duo cùm sint contradictoria, necesse est, ut animal, & rationale non sint unum, sed duo obiecta. Si sic; ergo quemadmodum ex illa cognitione possum affirmare, quod sit animal, possum etiam de homine affirmare, quod sit rationalis; quod est falsum.

Resp. dum cognoscitur clarè animal, cognosci etiam clarè rationale, sed illa eadem claritate, qua cognoscitur animal, & sub qua homo denominatur animal; non autem illa claritate, sub qua homo denominatur rationalis. Ad cuius evidentiam nota, quod cum animal, & rationale in homine supponantur

idem

idem prorsus idem, eo modo, quo unum cognoscitur & aliud, adeòque utrumque clarè, vel utrumque confusè. cum hoc tamen stat, quod vulgò verè dicatur cognosci in homine animal, non rationale, seu clare animal, confusè rationale; cuius propositionis sensus: ut sit rectus, supponendum nomina imponi rebus non ut sunt in se, sed ut sunt in anima, substantque nostris conceptibus; sunt enim voces institutæ ad mentem manifestandam, quæ per se innotescere non potest: & hoc intendimus, dum loquimur, rem exponere, prout illam habemus in cognitione, quod expressit D. Thom. 1. p. qu. 13. art. 9. ad 2. ubi, *Nomina*, inquit, *non sequuntur modum essendi, qui est in rebus, sed modum essendi secundùm quod in cognitione nostra est*. Jam in re nostra nomen *animal* impositum est homini, in quantum substat conceptui, quo communicat cum brutis; nomen *rationale* impositum est eidem, in quantum substat conceptui, quo secernitur à brutis. dum dicitur cognosci clarè animal, non clarè cognitio rationali, est contradictio non cadens supra rem unam, sed supra cognitiones multas; quia est sensus, quod habeatur conceptus unus, sub quo animal, non habito alio, sub quo rationalis homo dicitur. & hoc est cognosci secundum unam rationem, & non secundum aliam.

Obiic. 4. ex hac doctrina fit, ut omnes cognitiones de re eadem non differant, nisi secundum magis, & minus intra eandem speciem. essent enim omnes de eodem obiecto modo magis, modo minus claræ. maior autem, & minor claritas non facit, nisi plus, & minus intra eandem speciem.

Nego sequelam, cuius falsitas ex dictis est manifesta. Ut enim ex eo, quod creaturæ ab uno Deo procedentes magis, & minus eidem assimilentur, non recte inferes, eas esse eius-

dem

dem omnes speciei: ita nec rectè inferes, eiusdē esse speciei cognitiones omnes, quæ eidem objecto magis, & minus intellectum assimilant. Universim quidem cum causa æquivoca possit in virtute continere plures specie effectus, non bene ex identitate causæ arguitur identitas speciei in effectibus. Unde autem oriatur, vel potius dignoscatur diversitas specifica cognitionum, pertinet ad aliam tractationem.

CAPUT VII.

Eruitur ex dictis, quod sit, & quid sit distinctio rationis.

EX hactenus disputatis facilè colligitur inter eiusdem rei perfectiones dari distinctionem rationis. cum enim ex una parte probatum sufficienter sit, inter eas nullam obiectivam distinctionem reali minorem intercedere: ex altera constet, de eadem re plures, distinctosque conceptus haberi posse; consequens est, ut detur distinctio rationis. huius enim nomine non venit, nisi res intrinsecè una à rationibus multis facta extrinsecè multiplex, ac distincta. Et quidem huiusmodi distinctione sublata, corruunt omnia Logicæ præcepta; non enim genus esset, aut differentia, non essentia, aut passio, non subiectum, aut prædicatum, non definitio, aut definitum. Nec juvat recursus Nominalium ad conceptus, & nomina; ut enim in Logicis est ostensum, non prædicantur nomina, & conceptus, sed res sub nominibus, & conceptibus. quare quæ dicuntur de genere, & differentia, cadunt non in nomina, sed in res per nomina significatas, non in conceptus, sed in obiecta per conceptus expressa.

Quamquam ut verum fatear, nostrum cum Nominalibus super hac re dissidium de voce est

totum.

totum. Negant enim ipsi distinctionem rationis in re, & solùm concedunt distinctionem realem in conceptibus : quam proinde Gregorius appellat distinctionem non rationis, sed rationum, seu cognitionum. Nos verò admittimus distinctionem rationis coincidere penitus cum distinctione reali conceptuum, qui tamen extrinsecè rem ipsam denominantur ut cognitam, ità & multiplicem. Itaque volumus, hominem sub conceptu animalis distingui à se ipso sub conceptu rationalis, non per ullam distinctionem in homine, sed per solam distinctionem unius conceptus ab alio : quemadmodum diximus in Logicis, omnia individua sub cognitione confusa unificari, ac denominari universale sine ulla unitate in re, sed per solam unitatem cognitionis. Hoc autem totum, ut ibi etiam notavimus, discrepantiam non habet, nisi puram de vocabulo.

Dices. in ista sententia non negatur, quòd animal, & rationale sint duæ formalitates, sed non sunt duæ per duas cognitiones. ergo. prob. min. pluralitas cognitionum non potest plurificare, ac distinguere, nisi constituat. atqui animal, & rationale cum sint termini primæ intentionis, significant rem, ut est in se, non verò ut constitutam, ac denominatam per cognitionem. ergo non possunt animal, & rationale distingui per cognitiones, sicuti possunt per cognitiones distingui genus, & differentia, qui sunt termini intentionis secundæ, adeoque involvunt constitutivè cognitiones.

Resp. facilè, recolendo ex Summulis, quod nomina primæ intentionis supponunt non personaliter, sed simpliciter, dum illis additur terminus intentionis secundæ. Sic dum dico, *animal est genus*, animal, quod est terminus primæ, stat pro rebus non ut in se, sed ut in anima. Jam verò, ut nomen *genus* est secun-

dæ intentionis, quia significat multa, ut denominata, & constituta per cognitionem unam: ita & in re præsenti nomen *distinctum* est intentionis secundæ, quia significat unum, ut denominatum, & constitutum per cognitiones multas. Dico igitur, quòd animal, & rationale sunt termini primæ intentionis, & sonant distinctas eiusdem rei formalitates: sed dum ita sonant, non personaliter, sed simpliciter supponunt, & stant pro re non ut in se, sed ut in anima, adeòque pro re, ut denominata per cognitiones.

Solet prætereà ista distinctio appellari non solùm rationis, sed etiam formalis distinctio. appellatur rationis, quia tota est à ratione, h. e. ab intellectu cognoscente obiectum imperfectè, ac veluti per partes. appellatur formalis, quia est per cognitiones, quæ sunt formæ extrinsecè denominantes obiectum.

Rursus eiusmodi distinctio duplex est, alia propria, & præcisionis: alia impropria, & non explicationis. prima habetur inter ea, quæ subſtant conceptibus. quorum unus in altero non includitur, nec est alterius explicativus. Sic distinguitur animal à rationali in homine. seccunda habetur inter ea, quæ subſtant conceptibus, quorum unus in altero includitur, & unus alterum explicat. Sic distinguuntur definitio, & definitum; nam definitio est de formali conceptu definiti, & in eius conceptu involvitur; quamvis definitio clariùs explicet illam ipsam rationem, quam obscuriùs involvit definitum. Distinctio. rationis propria facit propriè dictas formalitates; unde animalitas est alia omninò formalitas à rationalitate: quod non præstat distinctio rationis impropria; quia definitio non est alia formalitas à definito.

Ad eiusmodi distinctiones secernendas duæ regulæ traduntur. 1. est, quando per unum con-

conceptum quantumvis penetratum, & excussum intellectus nõ certificatur de alio, nec è converso, tunc habetur distinctio rationis propria. Sic invicem comparantur animal, & rationale; utcumque enim consideres animal, & principium sentiendi, nunquam in eo rationale, & principium discurrendi apparebit; atque idem est in rationali relatè ad animal. non sic accidit in definitione, ac definito; ex eo enim, quòd intimè penetres, & evolvas conceptum hominis, apparebit demum, quod illi competat animal rationale, & è converso.

2. Si facta hypothesi, quód, quæ distinguuntur ratione, distinguantur etiam re, sequitur per locum intrinsecum, immediatè, & servando hypothesim, rem esse, & non esse talem, distinctio rationis est impropria. Si verò id non sequitur ità, sed solam destruendo hypothesim realis distinctionis, distinctio rationis est propria. Res erit manifesta in exemplo. Si supponas hominem distingui realiter ab animali rationali, per locum intrinsecum immediatè sequitur hominem non esse hominem; quia hoc est esse hominem, esse animal rationale, at si supponas animal realiter distingui à rationali, non sequitur illicò animal esse, & non esse animal; maneret enim adhuc per locum intrinsecum sentiendi principium, quod est esse animal; adeoque maneret animal. Sequitur quidem absolutè, quod animal realiter distinctum à rationali, cum quo de facto realiter identificatum, sit, & non sit animal; sed non sequitur per locum intrinsecum, & ex propria formali ratione animalis, quæ id unum ostendit, quòd sit principium sentiendi, non verò discurrendi.

ter colorem, ejusque taleitatem v. g. albedinem. Si enim hinc nasceretur, non esset ratio, cur eminus deberet videri color potiùs quàm albedo. imò è contrario deberet potiùs albedo videri, quàm color. quod ità probat: illud potiùs debet è longinquo videri, quod maiorem habet vim oculi motivam. at si albedo distinguatur à colore, maior est vis motiva albedinis, quàm coloris. unumquodque enim movet, ut est in actu; adeòque quod magis est in actu, magis movet. albedo autem à colore distincta magis est in actu, quam color.

Prob. 3. aliis exemplis. Nam 1. eadem pictura, vel statua videtur ab artis perito, & imperito, nec aliquid videt peritus, quod non videt imperitus, sed idem meliùs. 2. eadem omninò veritas attingi potest cognitione intuitiva, & evidenti, quæ attingitur cognitione inevidenti, aut probabili: & istæ tamen cognitiones, quamvis eiusdem obiecti, genere distant. 3. eadem divina omnipotentia, quæ iuxtà adversarios una est indivisibilis, seu formalitas, seu virtualitas, concipi potest modo ut generativa, modò ut creativa, & creativa modò materiæ, modo Angeli. 4. idem obiectum amari potest sine ulla distinctione in ipso, & cum magna distinctione in actibus amandi; nam & amatur amore simplici secundum se; & si sit absens, desiderium; si præsens, gaudium movet: qui actus genere differunt, & sunt ad idem bonum. Similiter ergo possunt specie, & genere distinctæ cognitiones ad idem esse indivisibile obiectum.

Dico 2. Diversitas cognitionum de eadem indivisibili re nasci universim potest ex diversa impressione, quam res facit in intellectu, sivè ex eo, quod res aut per se, aut per suum effectum inadæquate movet ad sui notitiam. Ut explicetur, & probetur simul conclusio, in quatuor eam propositiones seorsim probandas distertio.

1. Propositio, omnis causa assimilat sibi aliqualiter effectum, hinc omnis effectus dicitur, & est similitudo, atque imago causæ suæ. Hæc est certa apud omnes.

2. Propositio. eadem causa utcumque indivisibilis, & simplex, potest diversos effectus sibi assimilare, assimilatione non perfecta, & adæquata, sed inadæquata; & imperfecta, absque ulla distinctione in causa rationum producentium, & assimilantium. Patet in Deo, cui omnes creaturæ assimilantur secundum magis, & minus, nec propterea oportet ullam distinctionem ponere ex parte Dei, sed tota distinctio se tenet ex parte Dei, creaturæ assimilatæ. Ratio est; quia assimilatio cum sit habitudo, non solum involvit assimilantem, sed etiam assimilatum; adeòque multiplicatur sufficienter per solam multiplicitatem assimilati, quod aliter, & aliter perfectius, aut imperfectius trahitur in similitudinem causæ.

3. Propositio. obiectum per sui impressionem, ac motionem, qua producit in potentia cognitionem sui, assimilat sibi intentionaliter intellectum. Hoc est apud omnes certum; nam & notitia paritur ex obiecto, & potentia: & intellectus intelligendo fit per similitudinem omnia.

4. Propositio. ex eo, quod obiectum indivisibile inadequatè movet intellectum, existit de eodem notitiarum diversitas, quæ proinde tota est non ex distinctione rationum in obiecto, sed ex variis imperfectis motionibus, quas obiectum facit in potentia. Prob. una, & individua res inadæquatam sui similitudinem faciens, diversimodè sibi passum, & effectum assimilat, ut patet ex secunda. sed obiectum agit in intellectum, assimilando illum sibi intentionaliter, ut constat ex tertia. ergo idem indivisibile obiectum, imperfectè, & inadæquatè movens, potest ponere in intellectu assimi-

similationes, adeòque cognitiones diversas.

Hinc infero 1. citrà distinctionem in re, abstrahi posse à re conceptum generis, & differentiæ. Prob conceptus generis est conceptus communis; conceptus differentiæ est proprius rei. at res dum facit debilem, & imperfectam motionem, illam eandem motionem facit, quam faceret alia res. sic albedo procul visa ità movet oculum, ut moveret alius quivis color; & proptereà existit coloris cognitio communis, & generica, communis omni colori. sic motio imperfecta facta ab homine, si potuisset eadem fieri à plantis, dicitur conceptus vitæ communis homini, & plantis: si potuisset eadem fieri à brutis, dicitur conceptus animalis communis homini, & brutis; atque ità de reliquis. Dum verò res perfectam impressionem parit, clariùs cognoscitur; & movere proptereà dicitur ad notitiam propriam, ac differentialem, h. e. eam, quæ ità est ab hoc, ut ab alio esse non possit. hinc dicitur conceptus hominis differentialis, ac proprius, qui ità est ab homine per se, ut ab obiecto, ut à nullo non homine imprimi idem, ut ab obiecto, possit.

Infero 2. quod petenti, unde sit diversitas cognitionum de eadem indivisibili re, respondendum cum distinctione. aut enim ly *unde* facit sensum causalem: & est quærere, à qua causa sint distinctæ cognitiones; cui quæsito respondemus, esse ab eadem re indivisibili, quæ virtualiter continet duas illas, vel plures cognitiones: sicut diversitas creatorum effectuum efficienter est à Deo, ut à causa illos eminentialiter præcontinente. aut ly *unde* facit sensum formalem: & est quærere, à qua forma sit ea diversitas: cui quæsito respondemus, esse ab ipsa entitate conceptuum, qui se ipsis formaliter distinguuntur, ac diversificantur.

§. II.

§. II.

Argumentis contra præcedentem doctrinam occurritur.

OBiic. 1. ad hoc ut agens aliter, & aliter agat, debet fieri variatio aliqua vel in ipſo, vel in paſſo; aliter manens prorſus idem, ſemper faceret idem. hinc propter diverſam applicationem aliter, & aliter agit in oculum albedo. at in intellectu iſta varietas non habetur; eſt enim idem obiectum, eadem potentia; eademque ſæpè approximatio. ergo non poteſt exiſtere diverſitas conceptuum: aut ſi hæc exiſtit, neceſſariò ab obiecti diſtinctione profluit.

Nego min. diverſitas enim habetur ſæpè ex parte obiecti diverſimodè applicati: quod dum è remoto ſe inſinuat ſenſui, facit debilem, & communem ſenſationem: & hæc debile, & commune phantaſma; hoc verò debilem, & communem cum intellectu & ſpeciem, & cognitionem. Habetur etiam diverſitas ex parte intellectus, qui cum ſubdatur imperio voluntatis, poteſt ex arbitrio ſe applicare diverſimodè ad cognoſcendum obiectum, illudque in rationes varias partiri: quod maximè præſtant, qui Metaphyſicis ſpeculationibus ſunt aſſueti, ut docet experientia.

Obiic. 2. eadem res non poteſt contradictoria ſuſcipere. ſuſciperet autem, ſi diverſos conceptus terminaret. ergo non poteſt. Min. prob. dum de homine habetur conceptus dumtaxat communis cognoſcitur, ut animal, & non ut rationalis; quare ſi animal, & rationale idem in homine ſunt, idem cognoſcitur, & non cognoſcitur.

Nego min. ad prob. dico, quod dum homo concipitur, ut animal, concipitur conceptu

com-

communi: dum verò ut rationalis, concipitur conceptu proprio. hoc autem, & non aliud est, concipi ut animal, non concipi ut rationale, substare conceptui communi, non proprio. quod autem idem obiectum modo uni, modo alteri conceptui subsit, nulla est contradictio: sicuti contradictio nulla est, quod idem indivisibile subiectum modo sit sub una, modo sub alia forma: aut quod eadem indivisibilis causa modo unum producat, modo alium effectum. Contradictio est in adversariorum sententia, qui volunt unam rationem obiectivam exprimi in conceptu animalis, non aliam; cum tamen in re non sit unum, & aliud. at juxta nos eadem omninò obiectiva ratio, quæ concipitur cognitione communi, imperfecta, & confusa, sub qua denominatur animal, eadem deinde concipitur conceptu proprio, & claro, sub qua dicitur rationale. Hinc dum concipitur animal, rationale etiam concipitur entitativè, & materialiter, sed non formaliter, quatenus non concipitur illa cognitione, sub qua rationale denominatur.

5 Obiic. 3. dum cognosco clarè animal hominis, vel clarè cognosco etiam rationale, vel non. Si non; ergo cognosco animal clarè, non clarè cognito rationali; quæ duo cùm sint contradictoria, necessè est, ut animal, & rationale non sint unum, sed duo obiecta. Si sic; ergo quemadmodum ex illa cognitione possum affirmare, quod sit animal, possum etiam de homine affirmare, quod sit rationalis; quod est falsum.

Resp. dum cognoscitur clarè animal, cognosci etiam clarè rationale, sed illa eadem claritate, qua cognoscitur animal, & sub qua homo denominatur animal; non autem illa claritate, sub qua homo denominatur rationalis. Ad cuius evidentiam nota, quod cum animal, & rationale in homine supponantur

idem

idem prorsus idem, eo modo, quo unum cognoscitur & aliud, adeòque utrumque clarè, vel utrumque confusè. cum hoc tamen stat, quod vulgò verè dicatur cognosci in homine animal, non rationale, seu clare animal, confusè rationale, cuius propositionis sensus: ut sit rectus, supponendum nomina imponi rebus non ut sunt in se, sed ut sunt in anima, substantque nostris conceptibus; sunt enim voces institutæ ad mentem manifestandam, quæ per se innotescere non potest: & hoc intendimus, dum loquimur, rem exponere, prout illam habemus in cognitione, quod expressit D. Thom. 1. p. qu. 13. art. 9. ad 2. ubi, *Nomina*, inquit, *non sequuntur modum essendi, qui est in rebus, sed modum essendi secundùm quod in cognitione nostra est*. Jam in re nostra nomen *animal* impositum est homini, in quantum substat conceptui, quo communicat cum brutis; nomen *rationale* impositum est eidem, in quantum substat conceptui, quo secernitur à brutis. dum dicitur cognosci clarè animal, non clarè cognitio rationali, est contradictio non cadens supra rem unam, sed supra cognitiones multas; quia est sensus, quod habeatur conceptus unus, sub quo animal, non habito alio, sub quo rationalis homo dicitur. & hoc est cognosci secundum unam rationem, & non secundum aliam.

Obiic. 4. ex hac doctrina fit, ut omnes cognitiones de re eadem non differant, nisi secundum magis, & minus intra eandem speciem, essent enim omnes de eodem obiecto modo magis, modò minus claræ. maior autem, & minor claritas non facit, nisi plus, & minus intra eandem speciem.

Nego sequelam, cuius falsitas ex dictis est manifesta. Ut enim ex eo, quod creaturæ ab uno Deo procedentes magis, & minus eidem assimilentur, non rectè inferes, eas esse eius-

dem

dem omnes speciei: ita nec rectè inferes,eiusdē esse speciei cognitiones omnes, quæ eidem objecto magis, & minus intellectum assimilant. Universim quidem cum causa æquivoca possit in virtute continere plures specie effectus, non bene ex identitate causæ arguitur identitas speciei in effectibus. Unde autem oriatur, vel potius dignoscatur diversitas specifica cognitionum, pertinet ad aliam tractationem.

CAPUT VII.

Eruitur ex dictis, quod sit, & quid sit distinctio rationis.

EX hactenus disputatis facilè colligitur inter eiusdem rei perfectiones dari distinctionem rationis. cum enim ex una parte probatum sufficienter sit,inter eas nullam obiectivam distinctionem reali minorem intercedere: ex altera constet, de eadem re plures, distinctosque conceptus haberi posse; consequens est, ut detur distinctio rationis. huius enim nomine non venit, nisi res intrinsecè una à rationibus multis facta extrinsecè multiplex, ac distincta. Et quidem huiusmodi distinctione sublata, corruunt omnia Logicæ præcepta; non enim genus esset, aut differentia, non essentia, aut passio,non subiectum,aut prædicatum, non definitio, aut definitum. Nec juvat recursus Nominalium ad conceptus, & nomina; ut enim in Logicis est ostensum, non prædicantur nomina, & conceptus, sed res sub nominibus, & conceptibus. quare quæ dicuntur de genere,& differentia.cadunt non in nomina, sed in res per nomina significatas, non in conceptus, sed in obiecta per conceptus expressa.

Quamquam ut verum fatear, nostrum cum Nominalibus super hac re dissidium de voce est

totum.

totum. Negant enim ipsi distinctionem rationis in re, & solùm concedunt distinctionem realem in conceptibus: quam proinde Gregorius appellat distinctionem non rationis, sed rationum, seu cognitionum. Nos verò admittimus distinctionem rationis coincidere penitus cum distinctione reali conceptuum, qui tamen extrinsecè rem ipsam denominantur ut cognitam, ità & multiplicem. Itaque volumus, hominem sub conceptu animalis distingui à se ipso sub conceptu rationalis, non per ullam distinctionem in homine, sed per solam distinctionem unius conceptus ab alio: quemadmodum diximus in Logicis, omnia individua sub cognitione confusa unificari, ac denominari universale sine ulla unitate in re, sed per solam unitatem cognitionis. Hoc autem totum, ut ibi etiam notavimus, discrepantiam non habet, nisi puram de vocabulo.

Dices. in ista sententia non negatur, quòd animal, & rationale sint duæ formalitates. sed non sunt duæ per duas cognitiones. ergo. prob. min. pluralitas cognitionum non potest plurificare, ac distinguere, nisi constituat. atqui animal, & rationale cum sint termini primæ intentionis, significant rem, ut est in se, non verò ut constitutam, ac denominatam per cognitionem. ergo non possunt animal, & rationale distingui per cognitiones, sicuti possunt per cognitiones distingui genus, & differentia, qui sunt termini intentionis secundæ, adeoque involvunt constitutivè cognitiones.

Resp. facilè, recolendo ex Summulis, quod nomina primæ intentionis supponunt non personaliter, sed simpliciter, dum illis additur terminus intentionis secundæ. Sic dum dico, *animal est genus*, animal, quod est terminus primæ, stat pro rebus non ut in se, sed ut in anima. Jam verò, ut nomen *genus* est secun-

dæ intentionis, quia significat multa, ut denominata, & constituta per cognitionem unam: ita & in re præsenti nomen *distinctum* est intentionis secundæ, quia significat unum, ut denominatum, & constitutum per cognitiones multas. Dico igitur, quòd animal, & rationale sunt termini primæ intentionis, & sonant distinctas eiusdem rei formalitates: sed dum ita sonant, non personaliter, sed simpliciter supponunt, & stant pro re non ut in se, sed ut in anima, adeòque pro re, ut denominata per cognitiones.

Solet prætereà ista distinctio appellari non solùm rationis, sed etiam formalis distinctio. appellatur rationis, quia tota est à ratione, h. e. ab intellectu cognoscente obiectum imperfectè, ac veluti per partes. appellatur formalis, quia est per cognitiones, quæ sunt formæ extrinsecè denominantes obiectum.

Rursus eiusmodi distinctio duplex est, alia propria, & præcisionis: alia impropria, & non explicationis. prima habetur inter ea, quæ subsṫant conceptibus. quorum unus in altero non includitur, nec est alterius explicativus. Sic distinguitur animal à rationali in homine. seccunda habetur inter ea, quæ substant conceptibus, quorum unus in altero includitur, & unus alterum explicat. Sic distinguuntur definitio, & definitum; nam definitio est de formali conceptu definiti, & in eius conceptu involvitur; quamvis definitio clariùs explicet illam ipsam rationem, quam obscuriùs involvit definitum. Distinctio. rationis propria facit propriè dictas formalitates; unde animalitas est alia omninò formalitas à rationalitate: quod non præstat distinctio rationis impropria; quia definitio non est alia formalitas à definito.

Ad eiusmodi distinctiones secernendas duæ regulæ traduntur, 1. est, quando per unum

con-

conceptum quantumvis penetratum, & excussum intellectus nō certificatur de alio, nec è converso, tunc habetur distinctio rationis propria. Sic invicem comparantur animal, & rationale; utcumque enim consideres animal, & principium sentiendi, nunquam in eo rationale, & principium discurrendi apparebit; atque idem est in rationali relatè ad animal. non sic accidit in definitione, ac definito; ex eo enim, quòd intimè penetres, & evolvas conceptum hominis, apparebit demum, quod illi competat animal rationale, & è converso.

2. Si facta hypothesi, quód, quæ distinguuntur ratione, distinguantur etiam re, sequitur per locum intrinsecum, immediatè, & servando hypothesim, rem esse, & non esse talem, distinctio rationis est impropria. Si verò id non sequitur ità, sed solam destruendo hypothesim realis distinctionis, distinctio rationis est propria. Res erit manifesta in exemplo. Si supponas hominem distingui realiter ab animali rationali, per locum intrinsecum immediatè sequitur hominem non esse hominem; quia hoc est esse hominem, esse animal rationale, at si supponas animal realiter distingui à rationali, non sequitur illicò animal esse, & non esse animal; maneret enim adhuc per locum intrinsecum sentiendi principium, quod est esse animal; adeoque maneret animal. Sequitur quidem absolutè, quod animal realiter distinctum à rationali, cum quo de facto realiter identificatum, sit, & non sit animal; sed non sequitur per locum intrinsecum, & ex propria formali ratione animalis, quæ id unum ostendit, quòd sit principium sentiendi, non verò discurrendi.

CAPUT VIII.

De Distinctione Modali.

Distinctio Modalis suprà realem, ut dixi, non addit nisi connexionem non mutuam rei, & modi, nam res cum sit entitas absoluta stare potest sine modo; at modus cum sit entitas affixa rei, cuius est modus, stare non potest sine re. Huic distinctioni duo Philosophorum genera refragantur. 1. Nominales, qui eo ipso, quod modum à re distinguimus, putant inferri, eum esse à re mutuò separabilem: & hinc arguunt contrà nos ad distincti modi impossibilitatem. 2. Recentiores, qui modum à re distinguentes, adhuc censent illum à re, cuius est modus, posse separari. Itaque duo in præsenti sunt mihi breviter probanda. 1. contra primos, distinctionem modi stare posse cum inseparabilitate eiusdem à subiecto. 2. contrà secundos distinctionem modi stare non posse cum eiusdem separabilitate à subiecto.

§. I.

Ostenditur contra Nominales, modum posse esse distinctum, & inseparabilem à re.

Argumentum, quo probant Nominales modi separabilitatem, desumitur ex ipsa distinctione, ex qua universim contendunt fieri, ut, si stet inter distincta separatio, contradictio non sequatur. Separatio enim facit, ut sit unum, dum non est aliud, quare si supponitur unum, & aliud, esse, & non esse non cadunt suprà idem, ut videtur per se patere. Rursus ubi est capacitas unius contradictionis, est capacitas omnis; quia omnia contradictoria

æquè

æquè repugnant. si ergo modus distinguitur à re, habet prædicatum modus, quod non habet res. ergo poterit esse, dum non est res. si enim non potest, aut est ex incapacitate prædicati, aut ex incapacitate contradictionis, hoc secundum non rectè dicitur; quia distinctio est capacitas, ut dictum est, omnis contradictionis. Nec primum; quia verè modus capax est essendi. Quòd si dicas, essendi quidem, sed non essendi sine subiecto; urgeat, hanc secundam non esse incapacitatem contradictorii, sed contradictionis, ad quam proindè non rectè recurritur, ubi distinctio supponitur.

Hoc ipso argumento usus ego sum cap.3. §.2. adversus Formalistas, quos inde censeo efficaciter impugnari: inseparabilitas enim inter formalitates non potest nasci ex capite identitatis: quæ si patitur distinctionem, patitur contradictionem, & si unam, omnem: quod totum efficacissimè proposita ratione evincitur. & quamvis aliundè probarentur inseparabiles formalitates: id non tollit propriè dictam inter eas realem distinctionem; quia realissima est illa distinctio, quæ quantum est de se, patitur extremorum separationem, quamvis illa aliundè habeant, ut separari non possint. Præter hæc non potest ulla haberi inter formalitates, si distinctæ eæ sunt, inseparabilitas; quia ista nasci non potest ex additione, & connexione essentiali; quæ enim additio, quæ connexio animalis cum rationali? nec potest nasci ex identitate reali; tum quia hæc realis identitas est, quam Scotistis negamus, supposita obiectiva distinctione inter formalitates. tum quia realis identitas est ipsa formalis distinctio. quare si hæc distinctio separationi non obstat, neque illa obstabit identitas.

Nunc autem contendo, posse universim inter distincta esse inseparabilitatem, quatenus licet cum hac non pugnet distinctio, potest

tamen quandoque pugnare connexio. Quod autem connexio ex sua ratione formali cum distinctione non pugnet, constat primò, quia distinctionem non tollit, sed supponit, est enim relatio, quæ ex genere suo versatur inter distincta.

Constat 2. in duplici manifestissimo exemplo. nam Personæ SS. Trinitatis sunt realiter inter se distinctæ, & sunt tamen essentialiter mutuò connexę, & inseparabiles. Præterea quælibet creatura est realiter distincta à Deo; sed quamvis Deus stare possit sine creatura, non tamen creatura sine Deo, datur ergo inter distincta connexio, & inseparabilitas tum mutua, tum non mutua.

Respondet, nihil prorsus his confici. quia in primo exemplo est in utroque extremo incapacitas non essendi; ex qua nascitur inseparabilitas; quia ad hanc requiritur, ut de uno esse, de altero possit verificari non esse. atqui nulla ex divinis Personis potest non esse. in secundo exemplo, quia creatura potest non esse, Deus potest esse sine creatura: sed quia Deus non potest non esse, non potest creatura esse, non existente Deo: semper ergo recurritur ad incapacitatem prædicati.

Sed si ista responsio, & doctrina Nominalium valet, tollitur inter distincta omnis connexio: quod est contra communem reliquorum sensum; estque falsum etiam in datis exemplis, in quibus incapacitas prædicati est una, non unica ratio inseparabilitatis seu mutuæ; seu non mutuæ. Et quidem Filius est à Patre inseparabilis non solùm, quia est unius cum Patre Naturæ, non solùm quia uterque habet essendi necessitatem, verùm etiam quia Pater est Pater, & Filius est Filius; impossibile enim est intelligere Patrem in actu secundo generantem, & Filium in actu secundo genitum, quin intelligas inter eos essentialem con-

connexionem, & inseparabilitatem. quare si aliæ rationes præscindantur, per sua ipsa notionalia, per quæ invicem distinguuntur, invicem connectuntur. Stat ergo cum distinctione connexio orta non solùm ex incapacitate extremi ad non essendum, sed ex intrinseca unius rei natura aliam essentialiter aut exigentis, aut supponentis.

Idem est manifestum in connexione non mutua creaturæ cum Deo; si enim alia non esset huius connexionis ratio, nisi ea, quod in Deo sit necessitas essendi, perinde creatura connecteretur cùm Deo, sive Deus esset; sive non esset creaturæ necessaria causa. ut constat. Atqui certissimum est, ex eo etiam creaturam cum Deo connecti, quia Deus est præcisa eius causa, à qua non pendere non potest. Conf. quia juxtà Nominales nulla est re ipsa connexio creaturæ cum Deo; connexio enim, quam ponunt ipsi, non est nisi necessitas essendi, quod est prædicatum Dei, non creaturæ: connexio autem essentialis est transcendentalis habitudo unius ad aliud, quæ si nulla est in prædicatis creaturæ, evidens est, quod creatura nihil habet, per quod Deum essentialiter supponat. Unde fieret ulteriùs, perperam ab existentia creaturæ inferri existentiam Dei; cum non rectè consequens deducatur ab antecedente non connexo. Maneat igitur, inseparabilitatem seu mutuam, seu non mutuam distinctorum fundari posse in eorundem intrinsecis prædicatis, quibus se mutuò, vel non mutuò essentialiter exigunt.

Hinc autem nullo negotio ostenditur inseparabilitas modi à re; cum enim modus sit rei actualissimum, & ultimum exercitium absolutum, ut mox ostendam, consequens est, ut ex suis intrinsecis essentialiter petat rei suæ existentiam, quam ultimò determinet, & actuet. si enim modus esset, & res non esset,

modus actuaret, & non actuaret; actuaret, quia ipsum actuare est modi essentia: non actuaret ex defectu rei, quæ, dum non est, actuari non potest. Præterea in physicis probavi, omnem modum se ipso inesse subiecto suo, quod proinde si non esset, modus existens inesset ipsi, & non inesset.

Ex his facile solvitur argumentum Nominalium initio propositum, quamvis enim pro modi à re inseparabilitate videamur recurrere ad contradictionis incapacitatem, quæ nulla est inter distincta, revera recurrimus ad incapacitatem prædicati, ex modi enim separatione à re per consequentiam saltem mediatam infertur in modo ipso contradictio, quod actuet scilicet, & non actuet, insit, & non insit. Sic quamvis, spectata solùm distinctione inter creaturam, & Deum, non sequatur immediate contradictio in creatura per hoc, quod ipsa sit, non existente Deo, sequitur tamen mediatè; quatenus esset, & non esset essentialiter abalietas. Ità prorsus sequitur mediatè contradictio in modo, qui est essentialis inaleitas; quamvis ob distinctionem immediatè contradictio non sequatur: quod unum probatur Nominalium argumento.

§. II.

Ostenditur contra Recentiores, modum non posse non esse inseparabilem à re.

ESsentia modi ex eodem nobis capite innotescit, ex quo innotescit eius existentia. quia enim realis est, & physica in rebus indifferentia ad multas denominationes, ad quas non possunt per res alias sufficienter determinari, consequens est, ut detur distinctum determinativum, cuius unicum officium sit, in ista, aut illa linea determinare. Sic

quia

quia dari possunt materia, & forma non unitæ, ignis, & ignis, quin ignis procedat efficienter ab igne, concludimus unionem & actionem dari distinctas à subiecto, & forma, à causa, & effectu. quoniam verò dantur istæ præcise, ut determinent, nullum aliud in his prædicatum agnoscimus, quam esse actuales determinationes, illa in genere copulandi, hæc in linea efficiendi. quod si aliud his prædicatum additur, & frustrà, & gratis additur.

Huiusmodi puras determinationes modos appellamus. Hinc modus rectè definitur, *Ens actu, & ultimò in suo genere determinans condistinctam à se realiter indifferentiam*. Dicitur *ens*; quia modalitas cum sit communis substantiæ, & accidenti, est consequenter entis immediata determinatio. Reliquæ particulæ continent modi à re differentiam, quæ est scilicet, ut sit ultima determinatio; quod enim non ultimò determinat, res est. sic albedo est actus albi, & anima actus hominis; sed quia primus, non ultimus actus, cum aliquam habeant indifferentiam ulterius determinabilem, non sunt modi, sed res. Rursus debet modus distinctam à se adæquatè indifferentiam determinare, ut modus sit, duæ enim unitates se invicem determinant ad esse binarium: duo alba se invicem determinant ad esse similia saltem fundamentaliter; nec modi proinde sunt, quamvis ultimò determinent; quia se per se determinant, adeoque non determinant indifferentiam contradistinctam.

His non obstantibus, fuere innominati Recentiores apud Arriagam disput. 5. Phys. sect. 4. qui determinationem modi non absolutam, sed conditionatam statuunt, ex suppositione nimirum, quòd eius subiectum adæquatum sit. hinc unionem talis naturæ ponunt, ut ex essentia sua habeat copulare materiam,

& formam existentes (ex quo processum in infinitum extinguunt) sed ex essentia sua non habeat illas supponere existentes. quare ex subjecti defectu poterit in rerum natura dari unio, quæ actu non uniat, si scilicet existat sola sine extremis. Sed isti sic de unione, aliisque, quos modos dicimus, philosophantes, modos eos revera esse negabant: contra quos in præsenti principaliter non disputo, cum satis maneant reiecti ex iis, quibus in physicis adversus Arriagam probavi ubicationem, & durationem non res esse, sed modos.

Fuere igitur apud nos, qui modi naturam sustinentes, adhuc eos à re separabiles voluerunt, putantes satis esse ad modi à re distinctionem illam ipsam determinationem conditionatam.

Sed reiiciuntur 1. aut enim concedunt modo rationem ultimæ determinationis, aut negant. Si negant, modum à re non distinguunt; determinare enim non ultimò realibus etiam formis convenit, ut dictum est. Si concedunt, jam illa determinatio non potest esse conditionata, sed absoluta. quod ostenditur facilè; quia non potest esse ultima ea determinatio, quæ patitur indifferentiam ab alio ulteriùs determinabilem, ut patet: atqui si modus v. g. unio est determinatio conditionata, indifferens est ad actu unire, & non unire; & ad hoc est determinabilis per existentiam subiecti. ergo non est ultima determinatio in linea uniendi, si est solùm conditionata, non absoluta determinatio.

Conf. constitutivum rei à modo rei differt, ut est certum; quia constituit rem etiam res. atqui determinare per sui positionem, ex suppositione aliorum omnium ad rei constitutionem requisitorum, est ratio propria constitutivi. ergo est ratio communis rei, & modo.

Ne-

Neque est, quod recurrant ad alias notiones, quas modi proprias faciant, v. g. quod modus sit ille, qui his numero extremis sit addictus: vel, qui in denominando habeat rationem minoris indifferentiæ. Nam primò arbitrariè recedunt à communiter recepta notione modi, ad quam devenimus ex ipsa ratione, modi existentiam ostendente, 2. nec satis traditæ notiones modum à re distinguunt. Nam cognitio experimentalis, qua cognosco *me esse*, *me vivere*, est ità mihi uni addicta, ut non possit eadem aliud subjectum denominare: neque verò ex hoc uno habet, ut modus sit. Rursus si consideres eandem cognitionem, eiusque actionem productivam, neutram reperies altera minùs indifferentem, juxtà sententiam adversariorum. datæ igitur modi notiones ad rem non sunt.

Reiiciuntur 2. Unio in hac sententia non est unio, hoc est exercitium uniendi; neque actio est actio, hoc est exercitium agendi: & sic de reliquis. assumptum probo 1. impossibile est esse exercitium uniendi, quin aliqua uniantur; & impossibile est esse exercitium agendi, quin aliquid efficiatur. at potest esse unio, & actio, quin aliqua uniantur, & aliquid fiat, ergo unio non est exercitium uniendi, nec actio agendi. 2. qui relationem similitudinis formam mediam negant, & realem autumant, probant contra Nominales eam non consistere in solo fundamento, quia potest dari fundamentum, quod non actu referatur: ex quo inferunt, terminum ipsum constituere fundamentum in ratione habitudinis. atqui entitas illa, quam unionem appellant, æquè potest dari, & non unire. ergo in ratione uniendi constituitur per extrema; adeoque non illa entitas erit unio, sed complexum ex ipsa, & extremis.

At si in denominatione unionis recurrendum sit ad extrema illam constituentia, primò

redit, quòd non minùs unio sit actus extremorum, quàm extrema unionis: ut in complexo similium non minùs album A est actus albi B, quàm è contrario. Secundò nulla forma ponitur distincta ad denominandum concretum, quæ sumpta in abstracto non sit per se talis, qualc denominat subiectum in concreto. sic albedo, quæ est forma distincta, & denominat album, in abstracto sumpta per se est albedo; atque idem patet inducendo in aliis formis accidentalibus distinctis. similiter ergo eum statuatur unio distincta forma uniti, debet ipsa per se esse unio, & non per unitum.

Tertiò hinc aperitur via, ut negentur distincti modi, ubi distinctos adversarii ipsi concedunt. poterit enim pariter dici, accidentia omnia, & formas materiales per se uniri subiectis suis, non verò per distinctam unionem; quamvis enim & materia stet fine singulis materialibus formis, & accidentia fine subiecto in Eucharistia; potest tamen quis protervire, dicendo, quòd non potest esse in rerum natura forma materialis, & materia, accidentia, & subiectum, quin uniantur; quòd habeant determinationem ad uniri conditionatam ex suppositione, quòd utraque sint; adeòque per se uniuntur, si sunt. Quod si determinationes eiusmodi conditionatas non præsumimus in his entibus absolutis; quid tu novam unionis entitatem superaddas, quæ sit & ipsa absoluta cum determinatione solùm conditionata?

Quartò. Si quis de subiectis, & formis realibus id assereret, protervire diceretur non immeritò; quia poneret in iis prædicatum addictionis conditionatæ, cuius nullum vestigiū in iis entitatibus appareret. Atqui hoc idem militat in unionem, quæ sit unio solùm conditionata; sumo enim eiusmodi entitatem, & inquiro, in quo fundetur eius addictio essentialis ad copulanda extrema, si ea sunt? non

in

in hoc, quod sit unio; nam illa ex probatis non est unio, cum potius unio sit complexum ex illa, & extremis. nec est assignabile aliud prædicatum anterius, in quo addictio illa fundetur. ergo talis addictio gratis in illa entitate statuitur, perinde ut gratis statuitur in entitate formæ realis.

Quintò demum unio sic posita est specie, imò genere distincta ab extremis, & tamen est inexplicabile, in quo distinguatur. Nam hoc quod est determinare ad denominationem uniti, eodem modo competit ipsi, ut extremis; adeoque eiusmodi non est prædicatum differentiale unionis. quod si recurras ad addictionem; aut vis hoc esse primum prædicatum ejusmodi entitatis; & perperam facis; quia nihil distinguitur ab alio præcisè per addictionem illi; cum res quælibet sit sibi addictissima. & præterea addictio ex terminis est prædicatum secundum, quia semper, ac audis addictionem, naturaliter inquiris, cuius sit addictio, & cui. aut vis esse prædicatum secundum; & frustra eris, si velis dare primum, in quo fundetur, si non aliud in ea est, quam prædicatum unionis conditionatæ.

Reiiciuntur 3. aliquis modus est absoluta determinatio sui modificati. ergo omnis. consequ. prob. quia improbabiliter omninò limitatur determinatio propria modi, ut in aliquibus sit absoluta, in aliquibus conditionata; cum enim omnes modi statuantur ad modificandum, & determinandum, atque id sit unicum eorum munus, quid est, quod alii aliter modificent, cum possint omnes æquè modificare? antec. prob. 1. in modo creationis, qui est actuale exercitium omnipotentiæ se determinantis ad ponendum hunc potius effectum, quam alium. talis enim modus non potest esse conditionata determi-

natio

natio omnipotentiæ; cum omnis entitas contingens supponat essentialiter absolutè ens necessarium, à quo sit: neque verò statui potest utiliter in creatione illa conditio; quod causam determinet, si est; non determinet, si non est; non enim potest causa non esse. Rursus nec potest esse creatio conditionata solùm determinatio effectus; si enim stare posset creatio sine effectu, Deus ad effectum ponendum determinaretur non per creationem, sed per effectum, adeoque creatio superflueret. Adde, quod creatio est, per quam Deus completur in ratione volentis efficaciter effectum, ut suppono: non potest autem stare voluntas Dei efficax sine effectu. 2. ex hoc etiam constat idem dicendum de actione eductiva, qua Deus completur in ratione volentis efficaciter effectum simul cum creata causa producere: quo posito, impossibile est intelligi existentiam eductionis separatam ab existentia causæ, & effectus.

Postremò reiiciuntur; quia cum sint possibiles modi, qui sint absoluta, & non conditionata rei modificatio; ex alia parte meliùs salvetur natura modi per determinationem absolutam; atque ita de modo sentiant quotquot modum à re distinguunt (est enim inauditum in Scholis, quod sit actio sine effectu, unio sine extremis, relatio sine termino saltem adæquato, &c.) imo idipsum sonet nomen ipsis impositum, quo exercitium semper aliquod vel agendi, vel uniendi, vel simile declarant; non est ab hac sententia recedendum sine solido fundamento, quale adversarii nullum omninò afferunt; quod enim dicunt, non esse denegandum divinæ potestati, ut possit modum à re sejungere, nihil habet solidi, cui abundè per modi naturam ex communi sensu expositam uno

ver-

›o non satisfiat. Quare si petant, cur non it miraculosè modus separari à re? respon-, quia modus est actuale exercitium ulti-n in sua linea. si instent; unde habes, d sit in modo eiusmodi prædicatum? res-deo; quia modus ponitur ad determinan-n, seu ad supplendum, quod deest extre-realibus indifferentibus non deest autem ;, nisi exercitium declaratum, non ergo opus alio exercitio perfectiore.

LIBER SECUNDUS METAPHYSICÆ.

De Substantia creata.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura substantiæ, & subsistentiæ.

Substantia, ut in Logicis notatum est, si sumatur non latè pro rei cuiusque essentia (quo pacto accidens etiam substantiam suam habet) sed strictè, ut constituit proprium, primumque prædicamentum, dupliciter stat, vel pro re quacumque ab accidente distincta; atque ita materia, forma, & unio substantiæ sunt: vel pro re prima, completa, & totalis, qualis est Petrus, & Gabriel; atque ita partes substantiales substantiæ non sunt. Duo igitur in præsenti explicanda; primum est, quod sit illud prædicatum, in quo omnia substantialia conveniunt inter se, & ab accidentibus secernuntur, secundum quodnam sit illud, in quo completa substantia secernitur ab incompleta: quod est scilicet subsistentia, de qua proinde in præsenti latè, & ex professo.

CAPUT I.

Traditur conceptus substantiæ ab accidente secretivus.

QUæ pro conceptu eiusmodi assignando fusè disputant Recentiores, longum esset, & otiosum non repellere solùm, sed etiam referre. Satis mihi erit rem ipsam paucis attingere. Noto igitur primò in hac quæstione aliquid esse de re, aliquid de voce. ad rem pertinet assignare differentiam inter materiam, formam materialem, & unionem ex una parte, & quantitatem, ac qualitates ex altera . ad vocem spectat, utrum propter eam differentiam illæ dicendæ sint substantiæ, hæ accidentia.

Noto 2. inter primum subiectum, & quantitatem, ac qualitates facilè assignari differentiam de re; nam quantitas, & qualitates non per se, sed in alio inexistunt: materia verò per se stat, & non in alio. huius autem differentiæ ratione benè possunt quantitas, & qualitates accidentia dici: materia vero substantia. ex quo etiam capite dici substantiæ possunt Deus, & Angeli.

Noto 3. inter formas, quas dicimus substantiales, equi v. g. lapidis, &c. & quantitatem, & qualitates hoc esse de re discrimen ; quod illæ sint prima radix aliorum omnium, quæ sunt in re, cætera verò vel eam sequuntur, vel ad eam ut dispositiones ordinantur. quare quantitas, & qualitates vel præparant subiectum ad formam, vel eius introductionem, ut propriæ passiones, naturaliter consequuntur . Forma igitur est, in qua eæ radicantur, ac proinde propter formam unicè intenduntur. Hoc discrimen est ab omnibus admissum, quoquot formam admittunt. hinc vulgò formam substantia-

tialem probant ex eo, quod materia per se est indifferens; neque exigens has potius operationes, quàm illas, has potius, quàm illas virtutes, & proprieates; adeoque dari debet aliquod aliud principium radicale determinatum, in quo operationes, ac facultates cuiusque rei proprie fundentur. Rursus licet quantitas materiam sequatur, præcedatque formam; eam tamen nec per se stat, sed in materia, nec propter se intenditur, sed propter formam, ad quam disponit, paratq; subiectum, ut sit aptum materialis actionis susceptivum. Fixum ergo sit, formam substantialem ex communi sensu in eo ab accidentali differre, quod illa sit prima radix, & fundamentum omnium, quæ sunt in re, primòque intenta à natura; hæc verò ex illa manet, in eaque ut primo exigitivo radicetur.

His positis, dico, substantiam esse primam rem, primò, & per se existentem, atque intentam à natura, primamque radicem cæterorum, quæ sunt in ipsa. In hac definitione includitur primò Deus, & quidem specialem in hoc dicens perfectionem; est enim in omni genere primus, & in quo omne aliud, ut in suo principio radicatur. Includuntur & Angeli, qui proculdubio per se existunt, & intenduntur, atque in iis radicantur Angelicæ operationes. Includuntur præterea materia, & forma, tanquam partes constitutivæ, & indistinctæ à toto, quod constituunt, quodque ultimò intenditur, & primò fundat facultates, & operationes. Includitur demum ex eodem capite unio, quæ est & ipsa primæ rei constitutiva tanquam ultima actualitas; ad cuius proinde, & positionem, & conservationem reliqua etiam ordinantur. imò in quibusdam compositis accidentia nonnisi ad eius conservationem sunt destinata; ut videre est in homine, in quo ex accidentium defectu nec materia,

nec

: anima, sed unio sola corrumpitur.
Deinde ab hac notione excluditur quantitas, alitas, actio, duratio, ubicatio, &c. hæc im omnia primam rem non constituunt, nec : se primò existunt, sed in alio, & propter id à se adæquatè distinctum. quantitas enim qualitates radicantur in alio, tanquam eo, od disponunt, vel ad quod disponunt. actio em licet sit id, sine quo res non est, non tan est id, ex quo res est, cum pertineat re-ctivè ad causam efficientem extrinsecam : od est intelligendum de actione, quæ sit pu-actio; si enim simul sit unio, qualem in ysicis eductionem probavi, substantialis est ransitivè, quia substantiam constituit. mum duratio, & ubicatio supponunt rem isteatem, & plenè in suo esse constitu-n; prius est enim est rem esse, quam hic, l nunc esse.

CAPUT II.

Notio subsistentiæ declaratur.

Ubsistentia est nomen significans rationem aliquam obiectivam à natura completa di-nctam, & separabilem. quod quidem nobis n innotescit, nisi per Fidem in Mysterio carnationis, in quo certum est assumptam sse à Verbo divino naturam completam hu-anam, non verò humanam subsistentiam t ergò ea ratio quid sit, & quem præstet na-ræ completæ formalem effectum, declaretur, ueleanda est multarum vocum significatio, æ familiares sunt in hac materia.

Voces potissimùm istæ sunt, Hypostasis, bsistentia, Suppositalitas, Personalitas, ppositum, Persona, Natura. Hypostasis ud Græcos idem valet, ac substantia apud atinos. Unde plurimi ex Patribus pro eodem

ha-

habentes hypostasim, & usiam, seu naturam; nolebant in Trinitate tres hypostases admittere, ne admitterent tres naturas. Theologi verò nostri communiter hypostasim pro personalitate, seu persona accipiunt. quare & in Deo tres hypostases concedunt; & unionem Humanitatis ad Verbum, quæ scilicet facta est ad Verbi Personam, Hypostaticam appellant. Subsistentia porrò nomen est commune Suppositalitati, & Personalitati, quæ sunt abstracta suppositi, & Personæ. differunt autem suppositum, & Persona; quia hæc non dicitur, nisi de naturis rationalibus subsistentibus; cum suppositum latius pateat, & dicatur etiam de irrationalibus. Satis ergo erit videre, in quo suppositum à Natura distinguatur, ut hinc appareat, quid sit subsistentia, seu suppositalitas, quæ est suppositi forma.

Ergo suppositum definitur *Natura completa individua substantia*. Sumitur hæc definitio ex Boetio communiter recepto, qui Personam definit, *Rationalis Natura individuam substantiam*: & ex Richardo Victorino, apud quem Persona est *Natura rationis capax, incommunicabilis existentia*. pro eodem enim sumuntur *individuum*, & *incommunicabile*. Quoties ergo natura completa individua est, suppositum est. est autem individua, non cum est singularis (sic enim Verbum assumens singularem humanitatem, Personam etiam assumpsisset humanam) sed cum est ita in se indivisa, & apta stare per se, ut simul sit ab alio quocumque divisa, & actu stet per se; individuum enim definitur, indivisum in se, & divisum à quolibet alio: quamquam aliter hæc notio sumenda, ut individuum stat pro singulari, aliter, ut stat pro supposito: ut stat pro singulari, divisio sonat negationem identitatis: ut stat pro supposito, sonat divisio negationem conjunctionis. Itaque omnia ista con-

gendo, ita meliùs declaratur suppositum:
: *substantiale habens completam naturam in'
ifam in se, & divisam à quolibet alio ente
fantiali.*
latura porrò completa definitur ab eodem
tio:, *Unumquodque informans specifica dif-
ntia*; h. e. ens substantiale unumquodque
stituens, ac distinguens, reponeasque in
specie. Sic Humanitas est natura comple-
iominis, equinitas equi &c. differt ergo
ura à supposito; quia hoc præter naturæ
nplementum, & aptitudinem ad per se
ndum, dicit actualem divisionem, qui est
e actus per se standi, à quo præscindit
suo conceptu natura, atque hæc est illa
ura, quæ in entibus corporeis est princi-
m motus, & quietis sensibilis: in entibus
ritualibus est principium motus, & quietis
telligibilis:
Ex his infero, quod cum subsistentia sit illa
ma; qua natura completa reponitur in esse
positi, propria eius notio, & formalis ra-
est, ut sit incommunicabilitas, & incom-
inicatio naturæ, quæ est eiusdem naturæ
ualis totalitas; eiusque proinde effectus for-
lis est, ut naturam reddat completam, &
alem in actu, adeoque in se, & per se exi-
ntem.
Prob. 1. ex notione jam tradita suppositi.
e enim est proprius conceptus, formalisque
ectus subsistentiæ, per quem suppositum
nstituitur, & distinguitur à natura. sicuti
conceptus, & effectus proprius albedinis,
r quem album est album, distinctum à non
o, at suppositum à natura distinguitur, quia
turæ superaddit divisionem ab alio, per
am divisionem natura ipsa totalizatur, &
ppositatur. ergo in eiusmodi divisione repo-
nda est propria ratio subsistentiæ.
Probatur 2. authoritate D. Thomæ 1.p.q.75.
art.1.

art. 2. ubi quærit, *Utrum anima humana sit aliquid subsistens:* in responsione autem ad 1. distinguit sic: *Hoc aliquid* (sic etiam solet appellari individuum completum; seu suppositum) *potest accipi dupliciter. Uno modo pro quocumque subsistente. Alio modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei. Primo modo excludit inhærentiam accidentis, & formæ materialis. Secundo modo excludit imperfectionem partis.* Hoc idem repetit ad 2. ubi, *Per se*, inquit, *existens quandoque potest dici aliquid, si non sit inhærens, ut accidens, vel ut forma materialis, etiamsi sit pars. Sed propriè, & per se subsistens dicitur, quod neque est prædicto modo inhærens, neque est pars.* Ex his manifestè habeo ex mente D. Thomæ, suppositum, quod est rigorosè subsistens, constitui formaliter per hoc, quod excludat rationem partis: per quod habet, ut sit actu completum, & totum; & per consequens subsistentia est totalitas ipsa naturæ completæ, consistens in eiusdem completione, & incommunicatione.

Prob. 3. suppositum dicitur illud, cui ultimò tribuuntur operationes rei: quo spectat commune dictum, *actiones sunt suppositorum*, atqui per hoc præcisè, quod natura completa intelligatur incommunicabilis, & incommunicata, intelligitur id, cui ultimò tribuuntur suæ operationes; nam ex una parte operationes sunt ipsius naturæ, à qua emanant, ut à principio intrinseco: ex altera si natura alterius non est, à quo per physicam unionem habeatur, & cui ulterius operationes tribuantur, jam constat, quod ipsa sit ultimum; cui operationes tribuuntur. ergo eo ipso est suppositum; adeòque suppositum formaliter in illa incommunicabilitate, & incommunicatione consistit.

Confirm. & explicatur id totum exemplo lineæ,

, quæ dicitur, & est totalis per hoc unum, d cum alia linea non continuetur; cum qua ɔntinuaretur, non esset totalis, sed partia· ineà, . itaque lineæ totalitas habetur forma- r per non excursum ad aliam lineam, cum intrinsecè uniatur, & tertiam lineam to· m constituat. Ita prorsus de subsistentia losophandum; natura enim completa eo ·, quod divisa est, totum aliquod actu est; m rationem amittit, dum alteri conjungi· , evaditque alterius pars. Hoc autem est ıram esse suppositum, esse actu totum.

. Demum id confirmat authoritas Concilio. ı, & Patrum, qui ex eo, quod natura hu. ıa Christi intrinsecè unitur personæ Verbi, ı qua unam substantiam, seu personam con. ıit, arguunt in Christo non esse personam ɔanam, ut habetur in 5. Synodo Generali at. 8. can. 5. Vnde sic arguo. Illa est pro· ı ratio, & munus subsistentiæ, quod tolli· immediatè, & præcisè per unionem cum substantia; aliter non rectè ex hac unione ıeretur ablatio subsistentiæ. atqui per ɔnem cum Verbo tollitur immediatè totali- naturæ, quæ sic unita evadit intrinsecè tialis, nec sui ampliùs juris, sed totius, ɔuod transit. ergo in eiusmodi totalitate propria ratio subsistentiæ. Maiorem cum probatione, quam negant adversarii, vide firmatam à Card. de Lugo de Incarn. disp. ect.6.

CA-

CAPUT III.

In positivo, an in negativo subsistentia consistat.

§. I.

Constituitur formalis ratio subsistentiæ simul in positivo indistincto à natura, & negativo consequente, ac separabili.

HAnc equidem puto ipsissimam Scoti mentem, ubi subsistentiam in duplici negatione constituit, alteram communicabilitatis, alteram communicationis; duo enim ex dictis requiruntur ad naturam in esse suppositi constituendam, alterum, ut sit completa in esse naturæ, alterum, ut sit totalis, seu non partialis intrinsecè: primum ipse appellat negationem aptitudinalis communicationis; quod enim est in se completum, non est aptum ex sua natura communicari alteri, sed solùm ex obedientia. & ex huius negationis defectu anima separata non obtinet rationem rigorosi suppositi; quia quantumcumque actu incommunicata, est tamen per suam naturam materiæ, & composito naturali communicabilis. ex hoc etiam à fortiori materia, & formæ materiales quantumvis miraculosè separentur, & se solis existant, suppositi propriam rationem non habent. Alterum appellat negationem actualis communicationis; quia; ut est capite superiori declaratum, & amplius declarabitur, totalitas naturæ in actu secundo per solam communicationis negationem completur.

Ego verò primam illam negationem aptitudinalis communicationis quantumvis negativè explicatam, censeo non esse re ipsa negatio·

em, sed aliquid positivum indistinctum à
plemento naturæ in esse naturæ, quod &
uat Scotus ipse quodlib. 19. art. 3. lit. Y.
Mastrium in Met. disp. 11. quæst. 3. art. 2.
.58. quod prob. 1. quia nulla negatio es-
alis est distincta à positivo, cui inest, ut
ysicis probavi, atqui negatio aptitudinalis
nunicationis est naturæ completæ essen-
. ergo est ab eius positivo indistincta.
prob. quia natura omnis completa per
quod est completa, est apta per se stare
, dum alteri incumbit; adeòq; aptitudi-
incommunicatio est ab ea inamissibilis,
sequenter essentialis. 2. aptitudo ad com-
cari est formalissimè defectus, cum im-
t incompletionem, & perfectibilitatem
alem, ergo negatio talis aptitudinis est
aliter quid positivum; si enim defectus
tivum quid est, constat, quod eius nega-
t quid positivum. 3. negatio ista aptitudi-
d communicari non est distincta ab ipsa
letione naturæ; per illud enim propor-
liter natura hanc aptitudinem negat, per
hanc aptitudinem habet semi natura. at
natura per suam ipsam incompletionem
, ut exigat completivum. ergo per suam
letionem habet natura, ut completivum
at. Atqui completio naturæ est ipsum na-
ositivum, cum sit bonitas ipsa absoluta,
tegritas naturæ, cui nihil deest magnitu-
debitæ, ergo negatio ista aptitudinis est
va.

que esto suppositum de materiali ipsa na-
de formali verò positiva eiusdem comple-
& negatio communicationis consequens.
fit, ut ad tollendam rationem suppositi
it opus positivum ad quod substantiale ab
lere, sed satis est addere novam substan.
, in cuius physicum jus per unionem
at, atque adeò negationem illam, in

qua ultimò subsistit, amittat. Exemplum ad id explicandum satis idoneum habes in denominatione privativa cæci v. g. quæ scilicet de formali non carentiam solam visus, sed etiam positivam aptitudinem ad videndum importat: & tamen ea denominatio tollitur per solam acquisitionem visus; adeoque per amissionem non aptitudinis, sed carentiæ. Hinc etiam habes, aptitudinem naturæ ad per se standum non se habere de materiali, sed de formali ad denominationem subsistentis: illud enim se habet merè de materiali ad denominationem, quo variato, non variatur denominatio. talis est paries in denominatione albi. at si illa aptitudo non intelligatur, subsistens non intelligitur. ex quo etiam capite aptitudo subiecti venit de formali in denominatione privativa: cuius argumentum est, quod utraque aptitudo consignificatur, & connotatur explicitè in denominationibus tum privati, tum subsistentis.

Jam verò, quod præter positivam ipsam completionem naturæ, & negationem communicationis consequentem non requiratur aliud positivum substantiale sive reale, sivè modale, per quod natura constituatur in esse suppositi, probo 1. ex dictis cap. superiori. quia præciso quolibet alio, sufficienter intelligitur suppositum per hoc, quod intelligitur natura completa incommunicata; siquidem eo ipso intelligitur naturæ completæ individua, hoc est indivisa in se, & à quolibet alio divisa substantia. ergo aliud positivum superfluit.

Probo 2. si aliud positivum substantiale requireretur ad suppositum, completa natura non esset completa substantia. quod est certum, etiam fatentibus adversariis, imò ex terminis; si enim subsistentia sit modus, aut res substantialis à natura separabilis, patet, quod

sine

ea non est natura in linea substantiæ om-
) completa ; quia non est substantialiter
ectum, cui deest debita substantialis per-
o. Atqui hoc esse falsum, sic ostendo. Na-
completa per hoc est, & dicitur completa
se naturæ, quia est completa omninò in
ne primi principii operationum eius, in
est. Rursus, quod est sic completum quo-
operari, est indivisim completum quoad
liciter esse, & nullo alio indigens, nisi
onibus, & facultatibus consequentibus.
: neque materia, neque forma materialis
lis possunt existere; quia se solis non pos-
operari. anima verò rationalis, quæ ha-
perationem intelligendi à corpore inde-
entem, potest existere à corpore separata.
ie hæc est doctrina, quam Aristoteles in-
turus animæ immortalitatem supponit, ut
bitatam 1. de Anima t. 13. his verbis: *Si*
r est aliqua anima operatio, aut passio pro.
continget utique ipsam separari: si verò
i est propria ipsius, non utique erit separabi-
Ex quo sic arguo: quod alio non indiget
perandum, alio non indiget ad existen-
. atqui natura completa in esse naturæ il-
peraddito positivo ad operandum non in-
, neque in ratione comprincipii: ali-
lud pertineret formaliter ad rationem na-
: nec in ratione conditionis; ut infra ex
sso ostendam. ergo illo non indiget ad
ndum. non ergo illud est naturæ substan-
complementum; quia pugnat, suo natu-
omplemento non indigere naturam. Re-
gitur, ut natura completa in esse naturæ
divisim completa in toto esse positivo sub-
iæ.

obo idipsum 3. quia non est assignabilis
us ullus formalis positivus, quem addat
æ completæ subsistentia. ergo effectus for-
subsistentiæ suprà completionem naturæ

tialem probant ex eo, quod materia per se est indifferens; neque exigens has potius operationes, quàm illas, has potius, quàm illas virtutes, & proprietates; adeoque dari debet aliquod aliud principium radicale determinatum, in quo operationes, ac facultates cuiusque rei proprie fundentur. Rursus licet quantitas materiam sequatur, præcedatque formam; eam tamen nec per se stat, sed in materia, nec propter se intenditur, sed propter formam, ad quam disponit, paratq; subiectum, ut sit aptum materialis actionis susceptivum. Fixum ergo sit, formam substantialem ex communi sensu in eo ab accidentali differre, quod illa sit prima radix, & fundamentum omnium, quæ sunt in re, primòque intenta à natura; hæc verò ex illa manet, in eaque ut primo exigitivo radicetur.

His positis, dico, substantiam esse primam rem, primò, & per se existentem, atque intentam à natura, primamque radicem cæterorum, quæ sunt in ipsa. In hac definitione includitur primò Deus, & quidem specialem in hoc dicens perfectionem; est enim in omni genere primus, & in quo omne aliud, ut in suo principio radicatur. Includuntur & Angeli, qui proculdubio per se existunt, & intenduntur, atque in iis radicantur Angelicæ operationes. Includuntur præterea materia, & forma, tanquam partes constitutivæ, & indistinctæ à toto, quod constituunt, quodque ultimò intenditur, & primò fundat facultates, & operationes. Includitur demum ex eodem capite unio, quæ est & ipsa primæ rei constitutiva tanquam ultima actualitas; ad cuius proinde, & positionem, & conservationem reliqua etiam ordinantur. imò in quibusdam compositis accidentia nonnisi ad eius conservationem sunt destinata; ut videre est in homine, in quo ex accidentium defectu nec materia,

nec

e anima, sed unio sola corrumpitur.
Deinde ab hac notione excluditur quantitas, qualitas, actio, duratio, ubicatio, &c. hæc enim omnia primam rem non constituunt, nec per se primò existunt, sed in alio, & propter aliud à se adæquatè distinctum. quantitas enim & qualitates radicantur in alio, tanquam eo, quod disponunt, vel ad quod disponunt. actio autem licet sit id, sine quo res non est, non tamen est id, ex quo res est, cum pertineat relativè ad causam efficientem extrinsecam: quod est intelligendum de actione, quæ sit pura actio; si enim simul sit unio, qualem in physicis eductionem probavi, substantialis est intransitivè, quia substantiam constituit. demum duratio, & ubicatio supponunt rem existentem, & plenè in suo esse constitutam; prius est enim est rem esse, quam hic, vel nunc esse.

CAPUT II.

Notio subsistentiæ declaratur.

SUbsistentia est nomen significans rationem aliquam obiectivam à natura completa distinctam, & separabilem. quod quidem nobis non innotescit, nisi per Fidem in Mysterio Incarnationis, in quo certum est assumptam fuisse à Verbo divino naturam completam humanam, non verò humanam subsistentiam. Ut ergò ea ratio quid sit, & quem præstet naturæ completæ formalem effectum, declaretur, enucleanda est multarum vocum significatio, quæ familiares sunt in hac materia.
Voces potissimùm istæ sunt, Hypostasis, Subsistentia, Suppositalitas, Personalitas, Suppositum, Persona, Natura. Hypostasis apud Græcos idem valet, ac substantia apud Latinos. Unde plurimi ex Patribus pro eodem ha-

ngendo, ita meliùs declaratur ſuppoſitum: os *ſubſtantiale habens completam naturam in viſam in ſe, & diviſam à quolibet alio ente bſtantiali*.

Natura porrò completa definitur ab eodem oetio, *Unumquodque informans ſpecifica differentia*; h. e. ens ſubſtantiale unumquodque onſtituens, ac diſtinguens, reponeaſque in ua ſpecie. Sic Humanitas eſt natura completa hominis, equinitas equi &c. differt ergo natura à ſuppoſito; quia hoc præter naturæ complementum, & aptitudinem ad per ſe ſtandum, dicit actualem diviſionem, qui eſt ipſe actus per ſe ſtandi, à quo præſcindit in ſuo conceptu natura. atque hæc eſt illa natura, quæ in entibus corporeis eſt principium motus, & quietis ſenſibilis: in entibus ſpiritualibus eſt principium motus, & quietis intelligibilis.

Ex his infero, quod cum ſubſiſtentia ſit illa forma, qua natura completa reponitur in eſſe ſuppoſiti, propria eius notio, & formalis ratio eſt, ut ſit incommunicabilitas, & incommunicatio naturæ, quæ eſt eiuſdem naturæ actualis totalitas; eiuſque proinde effectus formalis eſt, ut naturam reddat completam, & totalem in actu, adeoque in ſe, & per ſe exiſtentem.

Prob. 1. ex notione jam tradita ſuppoſiti. ille enim eſt proprius conceptus, formaliſque effectus ſubſiſtentiæ, per quem ſuppoſitum conſtituitur, & diſtinguitur à natura. ſicuti eſt conceptus, & effectus proprius albedinis, per quem album eſt album, diſtinctum à non albo, at ſuppoſitum à natura diſtinguitur, quia naturæ ſuperaddit diviſionem ab alio, per quam diviſionem natura ipſa totalizatur, & ſuppoſitatur. ergo in eiuſmodi diviſione reponenda eſt propria ratio ſubſiſtentiæ.

Probatur 2. authoritate D. Thomæ 1.p.q.75. art. 2.

neæ, quæ dicitur, & est totalis per hoc unum, quod cum alia linea non continuetur; cum qua si continuaretur, non esset totalis, sed partialis linea, itaque lineæ totalitas habetur formaliter per non excursum ad aliam lineam, cum qua intrinsecè uniatur, & tertiam lineam totalem constituat. Ita prorsus de subsistentia philosophandum; natura enim completa eo ipso, quod divisa est, totum aliquod actu est; quam rationem amittit, dum alteri conjungitur, evaditque alterius pars. Hoc autem est naturam esse suppositum, esse actu totum.

4. Demum id confirmat authoritas Conciliorum, & Patrum, qui ex eo, quod natura humana Christi intrinsecè unitur personæ Verbi, cum qua unam substantiam, seu personam constituit, arguunt in Christo non esse personam humanam, ut habetur in 5. Synodo Generali collat. 8. can. 5. Vnde sic arguo. Illa est propria ratio, & munus subsistentiæ, quod tollitur immediatè, & præcisè per unionem cum alia substantia; aliter non rectè ex hac unione argueretur ablatio subsistentiæ. atqui per unionem cum Verbo tollitur immediatè totalitas naturæ, quæ sic unita evadit intrinsecè partialis, nec sui ampliùs juris, sed totius, in quod transit. ergo in eiusmodi totalitate stat propria ratio subsistentiæ. Maiorem cum eius probatione, quam negant adversarii, vide confirmatam à Card. de Lugo de Incarn. disp. 12. sect. 6.

CAPUT III.

In positivo, an in negativo subsistentia consistat.

§. I.

Constituitur formalis ratio subsistentiæ simul in positivo indistincto à natura, & negativo consequente, ac separabili.

HAnc equidem puto ipsissimam Scoti mentem, ubi subsistentiam in duplici negatione constituit, alteram communicabilitatis, alteram communicationis; duo enim ex dictis requiruntur ad naturam in esse suppositi constituendam, alterum, ut sit completa in esse naturæ, alterum, ut sit totalis, seu non partialis intrinsecè: primum ipse appellat negationem aptitudinalis communicationis; quod enim est in se completum, non est aptum ex sua natura communicari alteri, sed solùm ex obedientia. & ex huius negationis defectu anima separata non obtinet rationem rigorosi suppositi; quia quantumcumque actu incommunicata, est tamen per suam naturam materiæ, & composito naturali communicabilis. ex hoc etiam à fortiori materia, & formæ materiales quantumvis miraculosè separentur, & se solis existant, suppositi propriam rationem non habent. Alterum appellat negationem actualis communicationis; quia; ut est capite superiori declaratum, & amplius declarabitur, totalitas naturæ in actu secundo per solam communicationis negationem completur.

Ego verò primam illam negationem aptitudinalis communicationis quantumvis negativè explicatam, censeo non esse re ipsa nega-

tio

tionem, sed aliquid positivum indistinctum à complemento naturæ in esse naturæ, quod & insinuat Scotus ipse quodlib. 19. art. 3. lit. Y. apud Mastrium in Met. disp. 11. quæst. 3. art. 2. num. 58. quod prob. 1. quia nulla negatio essentialis est distincta à positivo, cui inest, ut in physicis probavi. atqui negatio aptitudinalis communicationis est naturæ completæ essentialis. ergo est ab eius positivo indistincta. min. prob. quia natura omnis completa per hoc, quod est completa, est apta per se stare etiam, dum alteri incumbit; adeòq; aptitudinalis incommunicatio est ab ea inamissibilis, & consequenter essentialis. 2. aptitudo ad communicari est formalissimè defectus, cum importet incompletionem, & perfectibilitatem naturalem, ergo negatio talis aptitudinis est formaliter quid positivum; si enim defectus negativum quid est, constat, quod eius negatio est quid positivum. 3. negatio ista aptitudinis ad communicari non est distincta ab ipsa completione naturæ; per illud enim proportionaliter natura hanc aptitudinem negat, per quod hanc aptitudinem habet seminatura. at seminatura per suam ipsam incompletionem habet, ut exigat completivum. ergo per suam completionem habet natura, ut completivum respuat. Atqui completio naturæ est ipsum naturæ positivum, cum sit bonitas ipsa absoluta, seu integritas naturæ, cui nihil deest magnitudinis debitæ. ergo negatio ista aptitudinis est positiva.

Itaque esto suppositum de materiali ipsa natura, de formali verò positiva eiusdem completio, & negatio communicationis consequens. ex quo fit, ut ad tollendam rationem suppositi non sit opus positivum aliquod substantiale ab ea tollere, sed satis est addere novam substantiam, in cuius physicum jus per unionem transeat, atque adeò negationem illam, in

qua ultimò subsistit, amittat. Exemplum ad id explicandum satis idoneum habes in denominatione privativa cæci v. g. quæ scilicet de formali non carentiam solam visus, sed etiam positivam aptitudinem ad videndum importat: & tamen ea denominatio tollitur per solam acquisitionem visus; adeoque per amissionem non aptitudinis, sed carentiæ. Hinc etiam habes, aptitudinem naturæ ad per se standum non se habere de materiali, sed de formali ad denominationem subsistentis: illud enim se habet merè de materiali ad denominationem, quo variato, non variatur denominatio, talis est paries in denominatione albi. at si illa aptitudo non intelligatur, subsistens non intelligitur. ex quo etiam capite aptitudo subiecti venit de formali in denominatione privativa: cuius argumentum est, quod utraque aptitudo consignificatur, & connotatur explicitè in denominationibus tum privati, tum subsistentis.

Jam verò, quod præter positivam ipsam completionem naturæ, & negationem communicationis consequentem non requiratur aliud positivum substantiale sive reale, sivè modale, per quod natura constituatur in esse suppositi, probo 1. ex dictis cap. superiori. quia præciso quolibet alio, sufficienter intelligitur suppositum per hoc, quod intelligitur natura completa incommunicata; siquidem eo ipso intelligitur naturæ completæ individua, hoc est indivisa in se, & à quolibet alio divisa substantia. ergo aliud positivum superfluit.

Probo 2. si aliud positivum substantiale requireretur ad suppositum, completa natura non esset completa substantia. quod est certum, etiam fatentibus adversariis, imò ex terminis; si enim subsistentia sit modus, aut res substantialis à natura separabilis, patet, quod sine

sine ea non est natura in linea substantiæ omninò completa; quia non est substantialiter perfectum, cui deest debita substantialis perfectio. Atqui hoc esse falsum, sic ostendo. Natura completa per hoc est, & dicitur completa in esse naturæ, quia est completa omninò in ratione primi principii operationum eius, in quo est. Rursus, quod est sic completum quoad operari, est indivisim completum quoad simpliciter esse, & nullo alio indigens, nisi passionibus, & facultatibus consequentibus. Hinc neque materia, neque forma materialis se solis possunt existere, quia se solis non possunt operari. anima verò rationalis, quæ habet operationem intelligendi à corpore independentem, potest existere à corpore separata. Atque hæc est doctrina, quam Aristoteles inquisiturus animæ immortalitatem supponit, ut indubitatam 1. de Anima t. 13. his verbis: *Si igitur est aliqua animæ operatio, aut passio propria, continget utique ipsam separari: si verò nulla est propria ipsius, non utique erit separabilis*. Ex quo sic arguo: quod alio non indiget ad operandum, alio non indiget ad existendum. atqui natura completa in esse naturæ illo superaddito positivo ad operandum non indiget, neque in ratione comprincipii: aliter illud pertineret formaliter ad rationem naturæ: nec in ratione conditionis; ut infra ex professo ostendam. ergo illo non indiget ad existendum. non ergo illud est naturæ substantiale complementum; quia pugnat, suo naturali complemento non indigere naturam. Restat igitur, ut natura completa in esse naturæ sit indivisim completa in toto esse positivo substantiæ.

Probo idipsum 3. quia non est assignabilis effectus ullus formalis positivus, quem addat naturæ completæ subsistentia. ergo effectus formalis subsistentiæ suprà completionem naturæ

non est, nisi negativus. frustrà autem, & impossibiliter ponitur forma positiva ad præstandum effectum merè negativum.

Dices 1. cum Arriaga subsistentiam esse ultimum complementum naturæ in esse substantiali. Sed contra 1. quia natura jam probata est per se substantialiter completa, ac perfecta. Contra 2. vel completur per illud positivum natura in ordine ad operandum, vel in ordine ad per se standum, seu subsistendum. primum est falsum; quia natura completa est completum principium operativum. ergo quoad hoc non indiget complemento. secundum si dicatur, committitur circulus in explicatione subsistentiæ. Conf. complere aliud in ratione substantiæ est illi dare rationem aliquam substantiæ, quam per se non habet. at rogo, naturæ, quæ certè substantia est, qualis ratio substantiæ desit, quam debeat accipere à subsistentia? Ratio, inquies, substantiæ subsistentis. quid aliud est hoc, quàm dicere, subsistentiam esse, quæ reddit naturam subsistentem? Hoc autem est revera nihil dicere; quia non explicatur, quid desit naturæ secundùm se, propter quod, nisi adveniat subsistentia illa positiva, maneat substantialiter incompleta.

Dices 2. cum Card. de Lugo, effectum formalem subsistentiæ esse, ut naturam reddat in se sistentem, & non in alio. Et quia videbat, hunc effectum formalem esse negativum, qui abundè præstatur per solam negationem communicationis; quemadmodum in physicis communius jam dicimus, lineam terminari, & in se sistere per solam negationem excursus ad aliam lineam; idcircò addit effectū subsistentiæ primarium esse, ut naturam perficiat in ordine ad se sustentandam, ac veluti fulciendam; in hoc enim accidens à substantia differt, quod illud alieno, hæc proprio fulcro innititur.

Sed

Sed contra est 1, quia vel eiusmodi sustentatio naturæ per subsistentiam est propriè dictà causalitas: & hoc non; natura enim completa habet omnes suas causas, per quas sufficienter existit, in priori ad eiusmodi positivum. vel est causalitas, seu dependentia impropriè dicta, qualis est in materia ad formam, & in essentia ad proprietates: atque hæc non est, nisi indigentia orta ex imperfectione, & complebilitate. quare perindè est dicere fulcimentum, ac complementum: quod est ire in sententiam Arriagæ reiectam.

2. Quod per se stat, non alteri innititur, sed sibi. si ergo natura per se stat, non subsistentiæ distinctæ, sed sibi innititur; si enim illi, jam non per se, sed per illam staret. Nec juvat dicere cum Lugone, quòd licèt *Subsistentia sit aliquid superadditum; est tamen proprium ipsius naturæ substantialis, & per quod ipsa natura se ipsam sustentat*. Etenim hinc fit, quòd natura stet per suum, non verò per se: nisi dicas, quòd subsistentia in sustentanda natura sit instrumentum naturæ; quod est inauditum; nulla enim virtus operatur, ut instrumentum effectus; aliter dum accidens producit substantiam, calor v.g. ignem, posset agere, ut instrumentum ignis producti, adeoque posset ignis per suum calorem dare sibi esse.

3. Natura ipsa juxtà hunc authorem sustentat materialiter subsistentiam suam. ergo non indiget illa, ut se sustentet: conseq. prob. si enim causa deberet sibi dare esse per effectum, qui ab ipsa accipiat esse, jam posset ipsa immediatè dare sibi esse; quia reverà esse, quod acciperet ab effectu, acciperet à se: plus est autem dare esse sibi, & alteri, quàm sibi tantùm. eodem modo discurre de sustentatione naturæ per subsistentiam à se sustentatam; quæ deberet sustentare naturam, in quantum præcisè sustentatur à natura; aliter naturam ipsam se su-

 sten-

stentantem non denominaret; si eam sustentaret, in quantum sustentatur ab alio.

Dices 3. cum Henao in Empyreol. l. 2. exerc. 8. sect. 9. num. 87. effectum formalem substantiæ positivum esse terminare intrinsecè substantiam, in quantum substantia est. & hoc ipsum non est aliud, quàm sic afficere substantiam, ut illam quà talem reddat alio non indigentem.

Sed contrà est; quia contrà hunc authorem redeunt, quæ ipse meditatus est contrà Arriagam. Neque enim fingi potest, quòd subsistentia reddat substantiam non indigentem, nisi substantia ante subsistentiam sit indigens, quà substantia est. rursus non potest esse sic indigens, nisi imperfecta sit, & incompleta in tali linea. tum redit contrà ipsum ipsius interrogatio num. 77. *Rogo à te, quid desit substantia secundùm se, ob quod, nisi adveniat subsistentia, sit incompleta in esse substantia*; Rursus opponit Arriagæ, non benè explicari subsistentiam per complementum, & perfectionem naturæ; quia natura divina non completur, nec perficitur per subsistentias relativas; at sanè neque per illas redditur non indiga, quæ in priori ad illas indiga esse non potest; non enim illas ex indigentia, sed ex perfectionis abundantia, & summa fœcunditate sibi addit. non ergo rectè effectus distinctæ subsistentiæ ponitur non indigentia.

Accipio deinde ab hoc authore, quod dat, Patres scilicet multos, qui substantiæ perseitatem per alterius non indigentiam exponunt. Admitto prætereà hunc effectum formalem positivum esse: sed nego esse distinctum ab ipso complemento substantiali naturæ in esse naturæ, à quo scilicet, ut habet natura, quod sit principium operandi completum, ità & habet, quod sit esse completum: cum operativitas universim consequatur esse, adeò-

que

que completa operativitas completum esse.

Postremò omnes isti modi dicendi reiiciuntur; quia recedunt à communiter recepta notione suPpositi, quæ cum nihil explicet positivum à natura distinctum, & separabile, nihil est, quod usque adeò laboretur in huius effectu formali inquirendo; qui nusquam est, nisi in imaginatione adversariorum.

§. II.

Solvuntur Argumenta Metaphysica.

ARgumenta, quæ contra præcedentem doctrinam obiici possunt, alia sunt Metaphysica, quæque præscindunt à revelatis, alia sunt Theologica, quæque in revelatis nituntur: Prioris tantùm generis argumenta proponam, & diluam in præsenti.

Obiic. 1. esse subsistens præsefert in suo conceptu perfectionem substantialem, qua potest carere natura; ergo ratio subsistentiæ reponenda est in positivo separabili. antec. prob. quia esse subsistens est esse substantiam totalem, ens per se perfectum, & completum in linea substantiæ. Conf. si suppositum constituitur per negationem unionis ad aliam substantiam, quid ni possibile erit compositum constitutum per materiam, & negationem unionis ad formam?

2. Natura est singularis, & hæc per positivum. ergo per positivum est suppositum, seu subsistens.

3. Modus essendi substantiæ perfectior est modo essendi accidentis. atqui modus essendi accidentis positivus est, nimirum inhærentia; ergo positivus erit modus essendi substantiæ nimirum subsistentia; aliter negatio perfectior esset positivo, & non ens ente: quod repugnat.

4. Suppositum, quod est substantia prima est magis substantia, quàm natura, quæ est sub-

stantia secunda, ut ait Phil. *in prædicam.* at qui nihil potest esse magis tale per id, quod non est tale. ergo suppositalitas addit aliquid intransitivè substantiale suprà naturam.

5. Suppositum est unum per se, ut constat. at si constitueretur per negationem, non esset unum per se, sed per accidens; quia unum per se constitui non potest ex ente, & non ente.

6. Ego non constituor ego per negationem; aliter me esse me perinde se haberet, ut me esse cecum. atqui ego constituor ego per subsistentiam. ergo subsistentia non est negatio.

7. Non est commodè assignabilis terminus eiusmodi negationis. communicatio enim, quæ negatur, aut est cum aliena persona: & hoc non; quia cum illa etiam per negativum constituatur, unio realis fieri posset cum non ente. aut cum aliena natura: & neque hoc; quia in Christi Humanitate amissa est subsistentia per unionem non cum natura, sed cum personalitate Verbi. Neque dicas, constitui subsistentiam per negationem communicationis cum divina Persona, quæ positiva est; nam videtur absurdum, me constitui me per negationem unionis hypostaticæ.

8. Natura humana potest divinitùs uniri suppositaliter Angelicæ. ergo subsistentia naturæ non est negatio. conf. prob. quia si negatio esset subsistentia, utraque, & neutra subsisteret. utraque quidem; quia non est maior ratio, cur una potiùs, quàm alia: neutra verò, quia utraque careret negatione communicationis, quæ per nos est subsistentia.

9. Omnis negatio fundatur in aliquo positivo. Si ergo subsistentia sit negatio, erit positivum, in quo fundetur. hoc autem non est ipsa natura; aliter non posset amitti negatio, nisi amittendo naturam; neque enim potest

test non manere, manente eius fundamento.

Ad 1. resp. ex dictis, subsistentiam importare de formali non solùm negationem, sed etiam complementum ipsius naturæ, quo scilicet præciso, res licet incommunicata, non est tamen in rigore subsistens. importat ergo formaliter subsistentia perfectionem substantialem positivam simul cum incommunicatione: sed illa perfectio separabilis à natura non est. Nego igitur antec. cuius probatio nulla est; quia ipsum esse substantiam totalem, ens per se, &c. dicit de materiali naturam, & de formali eius complementum, ut affectum consequenti negatione, quare ut amittatur, non est opus amittere perfectionem: satis est amittere negationem.

Confirmatio est impertinens, cum deducat ad impossibile disparatum. materia cum negatione unionis non est composita, sed simplex; quia neque componit cum alio, neque componitur ex alio. Natura cum negatione unionis eo ipso per se stat, adeòque subsistit, & est suppositum; quia hoc est suppositum, natura completa individua.

Ad 2. nego conf. singularitas est inseparabilis, & indistincta à natura, adeòque est necessaria naturæ: nulla autem mera negatio esse potest necessaria. Suppositalitas est à natura separabilis, adeòque potest in mera negatione consistere.

Ad 3. Modus essendi, quo substantia differt ab accidente, est perseitas excludens inhæsionem: quæ sanè exclusio cum essentialis sit substantiæ, non distinguitur à substantiæ positivo. At modus essendi in se per subsistentiam non ità competit substantiæ, ut modus contrariè oppositus competat accidenti; accidens enim incapax est unionis hypostaticæ substantialis, quamvis hæc imitetur unionem accidentis cum subiecto. Rursus hic ipse modus sub-

sistendi, qui non in solo negativo, sed in positivo, & negativo indivisibiliter consistit, longè plus perfectionis involvit, quàm modus inhærendi proprius accidentis. Sic perfectius est esse cæcum in homine, quàm ipsum esse positivum lapidis; quia illud importat aptitudinem ad videndum, & vivendum, quæ est perfectio vitæ in actu primo longè maior perfectione lapidis.

Ad 4. dum substantiam in primam, & secundam divisit Philos. non suppositum à natura, sed singulare ab universali distinxit; & singulare dixit magis substantiam non physicè, sed logicè; quia singulare subiicitur, & non prædicatur. In hoc eodem sensu suppositum est magis substantia, quàm natura; quia suppositum est, in quod ultimò resolvuntur omnes prædicationes sive essentiales, sive denominativæ, quæ de natura fiunt. Cæterum si sermo sit de substantia physicè accepta, nego suppositum esse magis substantiã, quàm naturã; cum enim sit substantia præcisè ratione naturæ, quamadmodum homo est rationalis præcisè ratione animæ; patet, quod ut homo non potest esse magis rationalis, quàm anima, nec potest suppositum esse magis substantia, quàm natura. Adde, quod suppositum potest dici magis sbustantia, quàm natura sumpta, ut præscindens à completa, & incompleta, quæ venit de materiali, & cui superadditur logicè complementum, & physicè negatio, tanquam forma una constituens suppositum.

Ad 5. suppositum est per se unum, si stet pro materiali importato in recto, nimirum pro natura. Cæterum si sumatur formaliter, & reduplicativè nec est per se unum, nec est unum, quia non fit unum ex ente, & non ente.

Ad 6. nego maiorem, quæ assumitur sine probatione, cum sit tamen ipsissima propositio hic controversa.

Ad

Ad 7. dici potest probabiliter, suppositum creatum constitui per negationem unionis cum alia natura, seu substantia absoluta. Ratio est; quia nihil potest constitui terminatum per hoc, quod excludat unionem cum termino, cum potiùs unio cum termino faciat terminatum, at subsistentia, in quocumque demum sita sit, terminus est naturæ substantialis: ergo negatio unionis cum subsistentia etiam aliena non constituit naturam terminatam, ac subsistentem. Conf. paritate lineæ, quæ terminatur per non excursum ad aliam lineam, non verò ad punctum, aut negationem alterius lineæ terminativam. quin etiam si plura illi puncta seu propria, seu aliena adderentur, non idcircò evaderet excurrens simpliciter; quia excursus, ad terminum non est excursus, sed terminatio. Ad id, quod in argumento adducitur in oppositum, amitti scilicet à Christi Humanitate subsistentiam propriam per solam unionem cum subsistentia, non cum natura Verbi, respondeo, falsum esse; suppono enim unionem Hypostaticam factam esse immediatè ad totam Verbi Personam, ut indivisibiliter & personalitatem, & naturam importantem.

Ad 8. Res est dubia, utrum creatum suppositum possit assumere alienam naturam, imò pars negativa est communior, quam aliqui probant ex eo; quia unio suppositalis est inter habens, & habitum. atqui ipso, quod duo entia creata uniuntur, unum non habet aliud; cum enim habere sit proprium perfectioris, & in his totum ex utroque conflatum sit singulis suis partibus perfectius, totum erit habens partes, non verò una pars habens aliam. Sed obstat huic argumento paritas accidentis, quod unitur substantiæ, ut habitum, quamvis unum complexum perfectius simul cum substantia componat. Et quamvis accidens sit al-

terius prædicamenti à substantia, cum qua proinde unum simpliciter non potest facere; sicque de sua natura substantiæ totum; adhuc stat, quod possit Deus inter duas substantias tale vinculum stabilire, ratione cuius & unum sint, & una transeat in jus alterius. Alii aliter procedunt. Quidquid autem de hoc sit; patet argumentum esse nullum, negato antecedente: & nullum, etiam concesso; quia in tantum ea unio fieri potest, in quantum natura humana transiret in jus Angeli physicum. Angelum autem persona esset; quia hæc non dicit negationem communicationis, nisi qua ipsum fiat alterius, non verò alterum sui. Posset etiam dici, quod Angelus retineret rationem suppositi, quia unio intrinsecè recepta in sola Humanitate, extrinsecè tantùm terminaretur ad Angelum, quod multi volunt de Hypostatica unione Christum constituente. Ex hoc autem fieret, ut Angelus intrinsecè non pars, sed totum esset, ac proinde suppositum.

Ad 9. dico, negationem comunicationis fundari in ipso positivo complemento naturæ, non quidem ut in essentiali, sed ut in naturali exigitivo. sic impenetrationem corporis actualem fundamus in positivo quantitatis; quamvis possit miraculosè manere illud positivum, etiam dum actu cum alio corpore est penetratum.

§. III.

Solvuntur Argumenta Theologica.

ARguunt 1. ex Mysterio Trinitatis, in quo Personalitates non in negativo, sed in positivo consistunt. ex quo deducunt etiam in positivo debere consistere personalitatem creatam. tum quia personalitas creata participat divinam: negatio autem non est participa-

tio positivi, tum quia licet ex triplici personalitate unius Dei non valeat arguere ad triplicem unius hominis, valet tamen à positiva personalitate Dei ad positivam hominis: sicuti licet non valeat arguere ab unico actu Dei, qui simul est intellectio, & volitio, ad unicum pariter actum hominis, valet tamen à positivo illius ad positivam in homine probandam intellectionem, & volitionem.

Resp. subsistentiam ex universalissima sua notione involvere communicationis negationem etiam in Deo; in quo tamen, quia hæc negatio est inamissibilis, & essentialis, consistit in positivo: eadem, quia est in homine amissibilis, & contingens, consistit in mera negatione superaddita, & per hoc subsistentia creata est participatio divinæ, quia utraque involvit positivum complementum naturæ, in quo consequens negatio fundatur, in Deo tamen necessariò, in creatura contingenter; atque idcircò hæc dicitur participare, non assequi illam; quia cadit ab eius perfectione, ratione cuius essentialiter respuit transitum in jus alterius. Nec magis urget paritas de actu intelligendi, & volendi: ut enim isti in Deo sunt substantia, in homine accidentia, quia Deo necessarii, homini contingentes, ita & subsistentia ex eodem capite in Deo est quid positivum, in homine quid negativum, ut dictum est, utrobique autem illi actus sunt positivi, quia sunt positivi de suo conceptu.

Arguunt deinde ex Mysterio Incarnationis multipliciter. 1. quia Patres communiter dicunt Verbum in Christo supplere personalitatem creatam; eamque consumpsisse. non ergo ea personalitas negatio est; aliter nihil suppleret, nihil consumpsisset.

2. In nostra sententia redditur ridiculus, & nugatorius labor Conciliorum, & Patrum contra Nestorium desudantium in eo, ut ostendant

dant Naturam à Verbo assumptam non retinere rationem proprii suppositi; cuius declarationis is esset sensus, quod Humanitas Verbo communicata non est Verbo incommunicata: hæc autem veritas non est tanta, tamque abstrusa, ut ad eam declarandam opus sit convocatione Concilii: nullus enim hæreticus est ita stupidus, qui, si subsistere in se sit non uniri, non illicò videat, Naturam Verbo unitam in se non subsistere.

3. Inde fieret, ut natura Verbo unita sit tam completa positivè substantia, quam est completa persona mea: quod est absurdum. hinc enim præterea sequeretur, ex Verbo, & humanitate non componi unum per se, sed per accidens, quod solum potest resultare ex duobus in actu ultimo substantiali completis. Conf. hæc enim est unica ratio, cur ex duplici natura completa, hominis v. g. & equi unum per se in ratione naturæ componi non possit, quia sunt scilicet completæ naturæ, atqui humanitas non solum est completa natura, sed etiam est completa substantia. ergo nec poterit cum Verbo constituere unum per se in ratione substantiæ.

4. Tam Humanitas unitur Divinitati in Christó, quàm Divinitas Humanitati, ergo si per hoc præcisè, quod Humanitas unitur, amittit rationem propriæ personæ, hanc eandem amittet Divinitas: quod est hæreticum.

5. Hinc fiet, ut Christus non sit univocè nobiscum homo; quia personalitas, quæ constituit Christum hominem est positiva: quæ nos, negativa. positivi autem, & negativi non est ratio communis univoca.

6. Ut constituimus personam per negationem communicationis cum alia persona; ita posset quis constituere naturam in esse completæ naturæ per negationem communicationis cum alia natura. Ex quo esset, ut natura humana in

in Christo per unionem cum persona Verbi amitteret rationem propriæ personæ, & per unionem cum natura Verbi amitteret rationem propriæ completæ naturæ; adeoque cum Verbo non unam tantùm personam, sed unam etiam naturam constitueret: quæ est hæresis Eutychiana.

Conf. Humanitas unita Verbo non est, juxta nos natura totalis, sed partialis, & idcirco suppositum non est, sed natura partialis non est alia simpliciter natura ab ea, cui unitur: quia enim anima est natura partialis, facit unam naturam cum corpore, ergo humanitas constituet cum Divinitate unam naturam.

Ad 1. resp. Verbum non supplere naturalem subsistentiam quoad proprium illius munus, imò præstare oppositum; nam propria subsistentia reddit naturam sistentem in se; divina reddit naturam excurrentem ad aliud. propria facit naturam intrinsecè totalem: divina facit naturam intrinsecè partialem. Dicitur ergo eam supplere Verbum quoad generalem effectum subsistendi, reddendo illam incommunicabilem, & incommunicatam alteri substantiæ ab ea, cui de facto communicatur. Neque propterea dicitur nihil supplere, sed potius supplere *nihil* seu negationem, in cuius vicem divina personalitas ingreditur. Consumptio autem personalitatis propriæ in assumpta natura non est aliud, quam quod Verbum eam assumendo prohibuit, ne ea in se sisteret, & sui juris esset.

Ad 2. Hoc illud est, quod tanti faciunt adversùs sententiam Scoti Recentiores; sed perperam, & ex una historiæ ignorantia. putant enim Nestorium concessisse physicam unionem humanitatis cum Verbo; qua data, non erat fortasse necessarius labor Patrum, & Ephesini ad illum convincendum. Dixi *fortassè*, quia poterat Nestorius esse in sententia de positivo:

ac propterea speciali decreto Concilii habere opus. Sed re ipsa Nestorius unionem physicam Verbi cum Humanitate negavit, & solùm concessit moralem, seu effectivam audiatur Cyrillus Alex. Nestorii præcipuus impugnator epist. 1. ad Successum: *Simulat quidem* (Nestorius) *se unum Christum & Filium, & Dominum confiteri: verùm tamen & ipse in duos unum, individuumque partitur, hominem dicens Deo Verbo æquivoca nuncupatione, & honoris æqualitate, ac dignitate conjunctum*. Et Epist. 2. ad eumdem ait, quod Nestorius *Deum sejunctum constituit, & hominem seorsim similiter ponit, quem etiam Deo conjunctum secundùm affectionem; & secundùm æqualitatem honoris, & authoritatis affirmat*. Quod ipsum habet in lib. *de Incarnatione Unigeniti*, præsertim cap. 16. ubi multis probat contra Nestorium non modo Deum habitasse in homine, quod unum Nestorius admittebat, sed etiam factum esse hominem.

Ad 3. Humanitati Christi nihil deest de positiva perfectione substantiæ mex: neque enim persona ipsa non est per debitæ defectum, sed per novæ indebitæ substantiæ accessum. Non est autem opus incompletione orta ex defectu perfectionis positivæ ad faciendum unum per se cum Verbo; quia illud non est unum in ratione actus, & potentiæ quale unum constituit materia cum forma, sed in ratione habentis, & habiti: quod est unum meritò à Patribus ineffabile nuncupatum, & ad quod in natura non requiritur naturalis incompletio, sed satis est obedientialis capacitas, ut à Verbo, & habeatur, & perficiatur. Sic duo circuli, quorum alter sit altero maior, perfecti quidem sunt circuli, nec possunt proinde unum circulum integrare, ut possunt duo semicirculi; potest tamen minor includi in maiori & cum eo unum efficere in ratione continentis,

& contenti. Sic licet ignis, & ferrum sint duæ perfectæ naturæ, possunt tamen, retenta tota sua perfectione, & igne in poros ferri insinuato, ita conjungi, ut ferrum sit habens ignem, & actio ignis ferro tribuatur. Simile exemplum in carbone affert Cyrillus l.cit.c.8.

Quod autem ad hoc nulla requiratur in natura ablatio propriæ, ac debitæ perfectionis positivæ, sed satis sit obedientialis capacitas, & perfectibilitas, constat; quia sic intelligitur, quo pacto natura veniat in compositionem cum Verbo, ut perfectibilis, adeòque aliquatenus, ut potentia. Neque ad eiusmodi perfectibilitatem opus est intelligere defectum perfectionis naturalis, ut videre est in ipsa natura perfectibili ulterius in linea supernaturali accidentali; ad quod non est opus, ut illi desit perfectio aliqua accidentalis naturalis. Universim verò perfectibilitas in linea supernaturali, cum sit perfectibilitas sine indigentia, aut exigentia termini perfectivi; nihil est, cur requirat perfectibilitatem à termino naturali, quo sit privanda, ut intelligatur perfectibilis à supernaturali; nam sic contra commune Theologorum dictum gratia, ut perficeret, deberet destruere naturam, eiusvè naturalem perfectionem.

Ad conf. disparitas est; quia natura completa v.g. humanitas in ratione naturæ, h.e. principii operationis, & motus respuit essentialiter ulterius complementum etiam obedientiale, ac supernaturale ex ratione, quæ extendi ad aliam lineam non potest. natura enim in ratione naturæ aut est complebilis naturaliter, aut incomplebilis essentialiter. ergo non potest fingi natura completa naturaliter, & complebilis obedientialiter. antec. prob. aut datur tertia possibilis operatio, in ordine ad quam duæ naturæ se compleant, aut non datur. si secundum, non possunt se complere in linea

natu-

naturæ, ut patet: si primum, sunt simpliciter incompletæ naturæ, se seque mutuo naturaliter exigunt; qua enim alia ratione anima est incompleta natura, & corpus exigit, nisi quia habet operationem sibi cum corpore communem?

Ad 4. duplex est respondendi via. 1. quod subsistentia non est negatio cuiuscumque unionis, sed unionis, qua natura transeat in jus alterius, non qua aliud transferat in jus suum: & quia Verbum unitur humanitati, faciendo illam Verbi, non è contrario, Verbum retinet subsistentiam suam, & suam humanitas amittit. 2. quod subsistentia est negatio unionis intrinsecè, qua unitum evadat intrinsecè, adeoque simpliciter pars. hoc pacto unitur Humanitas Verbo, per unionem scilicet in se receptam, & ideò in se non subsistit. at Verbo eadem unio, physica licet, intrinseca tamen non est; adeoque Verbum in intrinsecis suis remanet totum, & suppositum, ut ante unionem.

Ad 5. univocatio non est spectanda, nisi penes formale significatum vocis. sic omnia alba univocè dicuntur, quamvis materiale sit aliud in nive, & cycno. formale autem significatum hominis est humanitas, quæ eadem est in Christo, & in nobis.

Ad 6. principio non constituo personam per negationem communicationis cum alia persona, sed natura, ut dixi §. 2. ad 7. itaque ubi natura suam negationem distinctam amittit, non definit esse natura, sed persona. Deinde complebilitas ulterior, quam excludit natura, fit sit in esse naturæ, est naturæ impossibilis, ut dictum est in resp. ad 3.

Confirmatio demum tota est in æquivoco: aliud est, quod natura per unionem evadat intrinsecè partialis, quia evadit pars suppositi: aliud, quod evadat partialis natura, seu pars

natu-

naturæ. primum est verum, non secundum; quia Humanitas in Christo est partialis, cum sit pars Christi, sed non est tamen Humanitas, aut natura partialis, cum pars naturæ non sit. Similiter anima in homine est partialis, sed non est anima partialis; quia cum corpore constituit humanitatem, sed non animam.

CAPUT IV.

Nonnulla quæsita ad naturam subsistentiæ pertinentia resolvuntur.

QVæres 1. utrum subsistentia sit negatio, an privatio. Resp. si ad privationem constituendam satis est mera capacitas sine positiva ulla exigentia, & inclinatione ad terminum subsistentia erit privatio; quia natura completa ita non est unita, ut sit capax non naturaliter, sed obedientialiter uniri. Sin autem requiritur ad privationem naturalis aptitudo ad terminum, subsistentia erit negatio. Res ergo est tota de voce, in qua non est immorandum.

Quæres 2. an possit existere natura sine omni subsistentia. Resp. naturam completam non posse, incompletam, & accidens posse. prima pars est evidens ex dictis. natura enim completa aut alteri communicatur, aut non. Si non; per se, & in se sistit; adeoque subsistit propria subsistentia. Si sic: subsistit per aliud, & in alio, per subsistentiam nimirum totius, aut habentis. secunda pars etiam constat; cum enim subsistere imitetur ex dictis denominationem privativam, inter subsistens per se, & per aliud erit dare medium per exclusionem utriusque, ut inter cæcum, & videntem. Sic forma materialis, & accidens separatum divinitus à subjecto, nec subsistunt in se, quia carent aptitudine ad per se standum, nec in alio, quia nec toti, nec subiecto incumbunt. Anima verò

se

separata accedit ad suppositum propter aptitudinem ad standum se sola, sed suppositum in toto rigore non est propter aptitudinem ad componendum cum materia hominem.

Quæres 3. an possit una natura subsistere pluribus subsistentiis. Resp. creatam non posse, increatam posse. De creata est certum ex dictis; eiusdem enim indivisibilis termini non est multiplex, sed una negatio. at negatio, quæ est subsistentiæ creatæ naturæ, est negatio omnis communicationis intrinsecæ indivisibiliter venientis; & idcircò per quamcumque communicationem tollitur. ergo impossibilis est in natura creata multiplex subsistentia. De increata item est certum ex Fide docente divinam naturam triplici personalitate subsistere. ratio disparitatis est; quia hæc subsistit per positivas subsistentias, quæ multiplicabiles sunt. Atque hinc fit, quod si natura creata subsisteret per formam distinctam positivam, possent in ea multiplicari subsistentiæ. Sic in linea terminata per negationem non est possibilis terminus multiplex, qui tamen possibilis est; si sit terminata positivè per punctum.

Quæres 4. utrum persona creata sit assumibilis. Resp. negativè, estque evidens ex dictis; cum enim persona sit natura incommunicata, si eadem esset assumpta, esset simul communicata. Hæc tamen ratio probat tantùm, non potuisse assumi à Verbo naturam sua personalitate subsistentem, non verò subsistentem personalitate vel Patris, vel Spiritus Sancti. Disparitas est; quia subsistentiæ munus est excludere unionem cum alia non subsistentia, sed substantia, seu natura, ut dixi §. 2. ad 7. jam verò natura humana communicata Patri, si deinde communicaretur Filio, communicaretur quidem alteri Personæ, sed non alteri substantiæ, seu naturæ.

Quæ-

Quæres 5. quibus conveniat ratio propria subsistendi. Resp. convenire omnibus substantiis, quæ naturaliter habent se junctæ modum, & rationem totius. hinc pars divisa quantitatis propriam habet subsistentiam, quam amittit coniuncta cum alia parte, sed non omninò rigorosam propter aptitudinem ad coniungi, & integrare aliam quantitatem quamquam alii rigorosam eam velint; aliter, inquiunt, nullum vivens esset propriè subsistens propter capacitatem accipiendi novas per nutritionem partes integrales, itaque probabilius putant solam aptitudinem ad componendum essentialiter violare rigorosam subsistentiam: Hinc Lugo cum aliis putat subsistentiam non excludere unionem integralem, sed dumtaxat essentialem. De anima rationali jam est dictum: Partes verò actuales propria subsistentia non subsistunt, quia sunt actu communicatæ. Atque hinc ulteriùs constat, in toto non esse pro partium multiplicitate multiplicem subsistentiam, sed unicam, & indivisibilem toti ipsi indivisibiliter sumpto convenientem.

Quæres 6 an subsistentia sit secundum naturam prior omni operatione naturæ. Resp. hic quæri, utrum natura constituatur principium proximum operandi per subsistentiam, dupliciter autem posset sic constitui per subsistentiam, vel tanquam per virtutem operativam, vel tanquam per meram conditionem præviam ad operandum.

Dico 1. subsistentia non complet naturam in ratione principii, ut virtus illam juvans. Conclusio est evidens ex dictis; nulla enim negatio potest esse vis effectiva. Imò idipsum dici debet, quamvis subsistentia sit entitas positiva. 1. quia aliter natura compleretur per subsistentiam etiam in esse naturæ, h. e. principii motus; adeoque in Christo non esset integra natura

tura humana. 2. nihil est in effectu, seu operatione, per quod exigat præter naturæ causalitatem influxum etiam subsistentiæ: ut patet consideranti operationes præsertim vitales, quæ habent sufficientissimam causam in potentia, & obiecto. 3. subsistentia non sequitur quamcumque naturam, sed completam, ut dictum est. priùs ergo est naturam esse completam, deinde subsistere. aut ergo natura in priori completa est tota vis operativa; atque ita vim eiusmodi illi subsistentia non addit. aut non; atque ita tam debet subsistentia sequi completam, quàm incompletam naturam; cur enim illam potiùs, quàm hanc, si sequi potest tam completum, quàm incompletum operandi principium?

Dico 2. subsistentia non complet vim operativam naturæ, ut conditio prævia ad operandum. Probo id primum de subsistentia reposita in negativo. nulla negatio esse potest agendi necessaria conditio, nisi sit negatio impedimenti tollentis, aut retardantis actionem; ut certum videtur; in quo enim alio sensu, aut ex qua alia ratione potest ad agendum negatio prærequiri? Atqui negatio communicationis non est negatio impedimenti; aliter Humanitas unita Verbo esset impedita, ne operetur. ergo subsistentia, quæ est eiusmodi negatio, non est operandi conditio. Probo idipsum de subsistentia positiva. 1. quia posset Deus omni eiusmodi subsistentia spoliare naturam. tunc autem natura adhuc esset operativa; inopinabile enim est, quod humanitas spoliata illa positiva forma, si colorem haberet applicatum, illum tamen apertis oculis non videret. 2. quia conditio agendi ea dicitur, quæ speciale munus circa actionem exercet; quod si non exerceret, actio non esset. atqui explicabile non est munus eiusmodi in subsistentia; quæ sanè applicatio non est agentis ad passum. 3.

natu-

natura ad operandum, aut exigit determinatè subsistentiam creatam; atque ita cum hanc non habeat Humanitas in Christo, aut operari in eo non poterit, aut necessariò operabitur, ex defectu alicuius per se requisiti, operationes alterius generis, & ordinis. aut exigit vagè suam, vel alienam subsistentiam; & hoc dici non potest; secus naturaliter esset sub aliena, ut materia, quæ vagè exigit hanc, vel illam formam, naturaliter est sub qualibet forma.

Nec juvat opponere celebre illud dictum, *Actiones sunt suppositorum*: quod tribuitur Philosopho, qui tamen 1. Met. ut notat Scotus in 4. d. 12. qu. 3. *ad 2. principale*, non id habet, sed aliud, *Actiones sunt singularium*. Et quamvis Joannes Theologus illo sit usus in Florentino sess. 18. ad probandum Personam esse producentem in divinis, Concilium tamen, quod eius conclusionem probavit, non idcircò dicendum est probasse etiam rationem: quemadmodum 7. Synodus probavit conclusionem, non rationem eius, qui Angelos depingi posse suadebat ex eo, quod essent corporei.

Sed demus principium illud verum esse, ut verum re ipsa est, nihil commodi ex eo percipere jure possunt adversarii. Sensus enim ipsius est, quod operationes, quæ elicitivè sunt à sola natura, denominativè sunt ipsius suppositi. Rationem tradit Scotus loc. cit. quia natura significatur per modum partis, suppositum verò per modum totius. Universim verò quidquid est partis, tribuitur toti, cuius scilicet est pars, sic quamvis anima sit adæquatum principium intelligendi, & nullum genus prioritatis supponatur materia relatè ad intellectionem exhibere, adhuc non anima, sed homo, cuius est anima, denominatur intelligens. Aliud aptissimum exemplum affert Cardinalis de Lugo. Actio spirativa in divinis tribuitur Filio,

Filio, illumque denominat ſpirantem ; & illa tamen Filium non ſupponit; cum enim eam Filius accipiat à Patre, prius ea conſequenter in Patre, quam in Filio intelligitur. non ergo univerſim eſt opus, ut actio, quæ denominat ſuppoſitum, illud qua tale in priori ſupponat.

QUÆSTIO SECUNDA

De Subſtantia Materiali, ejuſque proprietatibus, Quantitate, & Qualitate.

PRima diviſio ſubſtantiæ eſt in materialem, & immaterialem. poſt ſubſtantiam ergo in communi, de prima eius ſpecie, de corpore agam. Et quia corporis propria paſſio eſt quantitas, hæc etiam declaranda hic erit, ut inde corporis natura melius teneatur. Qualitas verò licet corporis propria non ſit in quarto modo, cum conveniat etiam ſpiritibus; eſt tamen propria in ſecundo. aptum igitur puto, hic etiam de eius natura brevem tractationem attexere; ut ita, quæ de prædicamentis ſuperſunt, abſolvantur.

CAPUT I.

Quiſnam ſit proprius, & primus materialis ſubſtantiæ conceptus.

§. I.

Statuitur conceptus corporis in partium integritate extenſiva.

MIſſis, quæ de hac re diſputant Recentiores, alii aliorum placita impugnantes, equidem cenſeo rationem entis materialis

rialis consistere in partium integralium multiplicitate, quæ sint aptæ natæ extendi, ac poni circumscriptivè in spatio. Ita Vasquez tom. 2. in 1. par. disp. 188. cap. 7. num. 30. Hurtadus, Aversa, Granadus, Albertinus, Mæratius, aliique.

Ratio, qua moveor, est; quia hoc vulgò concipimus, dum nomen corporis audimus, aliquod nimirum ens molem habens quantitativam, & extensam in spatio per partes extrà partes: quod esse dicitur in loco circumscriptivè, per totum toti, & partes partibus loci correspondens: Sicuti è contrario, audito nomine spiritus, concipimus ens quoddam partibus omninò carens, nec potens commensurari extenso, nisi solùm indivisibiliter, per totum scilicet toti, & per totum singulis loci partibus. Hinc communiter dicunt, ubicationem definitivam esse propriam entis spiritualis, circumscriptivam entis corporei, & materialis

Asseritur hoc à Philosopho 1. Cœl. t. 2. ubi definiturus corpus naturale, quod est genus ad corruptibile, & incorruptibile, ponit definitionem Continui, dicens, *Continuum est, quod est divisibile in semper divisibilia*, & quia divisibilitas omnis est triplex secundùm longum, latum, & profundum, *Corpus*, inquit, *est, quod omniquaque divisibile est*. Neque aptè quidam dicunt, non definiri ibi corpus substantiale, sed accidentale, & quantitativum; nam hoc est Philosopho iniuriosum; quid enim ineptius, quàm velle tradere definitionem corporis, quod est genus ad Cælum, & de eo prædicatur in quid, tum divertere ad notionem quanti, quod de eo prædicatur solùm denominativè? Adde, quod Continuum, seu Quantum sumptum, ut divisibile, non est denominatio accidentalis, sed essentialis corpori, ut sequenti capite probabo. Postremò etiam dato, quòd hic Philos. solùm definiat quantum,

manifestum est, quod non aliter corpus, quàm in ordine ad quantitatem, est definibile, ex hoc autem ipso mox idem conficiam intentum.

Accedit Augustinus Epist. 28. ad Hieron. ubi statuit animam incorpoream esse. Sed ne de verbo controversia sit, dicit 1. quòsi si corpus sit quæcumque substantia, vel essentia, anima corpus est. dicit 2. quod si incorporeum sit, quod summè est incommutabile, & ubique totum, anima corpus est. dicit 3. quod *Si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ità sistitur, vel movetur, ut maiore sui parte maiorem locum occupet, & breviore breviorem, minusque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima.* Itaque Augustinus censet, non aliter animam spiritum, non verò corpus esse, quàm corpus accipiendo pro eodem, ac extensum. atqui certum jam est, quòd anima non sit corpus, sed spiritus. ergo corpus idem sonat, ac extensum, non quidem actu, sed aptitudine. Idem habet Claudianus Mamercus, quem Sidonius Apollinaris inter Christianos Philosophos ingeniosissimum appellavit. is l. 1. *de statu Animæ*, postquam initio præmisit omnia se velle pro Sanctorum opinione seniorum definire, cap. 18. sic ait : *Hoc illi porrò contendunt, qui animam partibilem putant; quamquam indissociabili consequentia, si corporea foret, partibilis foret; quia & partibile, quod corporeum, & corporeum omne, quod partibile.*

Prætereà nihil tritius, quam corpus definire per ordinem ad quantitatem, cuius est ex sua ratione exigitivum. quare Suar. disp. 36. Met. sect. 1. num. 1. fatetur, corpoream substantiam nec concipi, nec explicari posse, nisi per molem, & extensionem, quam experimur. *Et quia*, inquit, *hæc extensio à quantitate provenit, ideò substantiam corpoream ut sic per ordinem ad quantum definimus. dicentes, esse illam* *sub-*

substantiam, quæ est capax trinæ dimensionis: Ex hoc, qui verè à Suario dicitur communis sensus, ità discurro. Quæcumque sit ratio propria quantitatis, de qua infrà, semper ex ea fit, rationem corporeæ substantiæ præscindere à partium extensarum, aut extendibilium multiplicitate, ac divisibilitate non posse. Si enim, ut plerique ex antiquioribus volunt, quantitas sit ipsa formalis ratio partificans, ac dividens entitativè substantiam, patet, quod substantia exigens quantitatem non sit, nisi substantia partibilis. Si verò quantitas, ut fert communior jam, & melior opinio, sit sola impenetrabilitas, manifestum videtur, quòd hæc ipsa se. qui non potest, nisi partium substantialem multiplicitatem, quas ut habeat substantia extensas in spatio, exigit quantitatem illas extreizantem cum impossibilitate naturali penetrationis.

Neque dicas, quantitatem non requiri universim, ut partes substantiæ sint impenetrabiles cum possit requiri ad hoc, ut una substantia totalis sit impenetrabilis cum alia. Nam contra, est 1. ad hoc enim satis esset unum accidens omninò indivisibile, ut patet, adeòq; si per hoc unum & quantitas haberetur, & corpus; non solùm possibile esset corpus, sed etiam quantitas indivisibilis; quod est certè contrà communem sensum; nam in illo corpore esset extensio quantitativa, & tamen esset in loco definitivè.

Contra est 2. & probo impenetrabilitatem non posse per se competere, nisi habenti partes; nam per accidens competit etiam carenti partibus, ut patet in rationalibus animis, qui dum suo quisque corpori sunt affixi, penetrari invicem non possunt. Et 1. quidem, quod est indivisibile, non valet mole, sed virtute. quare tantundem operatur sive in magno, sive in parvo loco constituatur, ut videre est in anima nostra, & in Angelis. ergo quod non habet par-

tes extendibiles in ſpatio, non poteſt aliud à ſpatio ſuo expellere; quia in tantum expelleret, in quantum illud impediret locum ſibi debitum. ſed nullus certus locus tali enti eſt debitus eo ipſo, quod indiviſibile eſt, & potens proinde operari etiam in loco punctuali, ſi is hic poſſibilis eſſet. Cæterum nullum ens poteſt dicere repugnantiam cum eo, quod perfectionem ſibi nullatenus debitam tollit.

Præterea impenetrabilitatis capacitas eſt una ratio partium. ergo omne impenetrabile eſt partibile. antec. prob. aliter non eſt ratio, cur de facto non dicatur anima quantificari: imò nec eſt ratio, cur non diceretur quantificari ſimpliciter Angelus, ſi in eo miraculosè quantitas poneretur: in quo caſu juxtà communem loquendi modum non diceretur quantus, ſed habens quantitatem. Sed quæſo te, quid illi deeſt ad quanti denominationem, ſi eſſe quantum eſt eſſe impenetrabile, & verè Angelus habens quantitatem, impenetrabilis eſt cum alio quantitatem habente? Profectò ſi impenetrabilitas ſimpliciter ſtat cum entis indiviſibilitate; adeò, que indiviſibilitas non eſt incapacitas impenetrabilitatis, Angelus de facto capax erit non ſolùm quantitatis, ſed eius etiam formalis effectus.

Deinde ſi id non eſt verum, unde præſumimus de facto Angelos, & animam rationalem impenetrabiles non eſſe certè non aliunde, niſi quia ex loco eodem non ſe pellunt, niſi ubicata circumſcriptivè, quorum eſt replere locum mole ſua, & ab eo proinde aliam molem extrudere.

Ad hæc quamvis alii ſint ſenſus poſſibiles, qui ſe poſſint extendere ad ſpirituale, & indiviſibile, tamen omnes negant eiuſmodi extenſionem naturalem in ſenſibus, qui de facto dantur. atqui ſi eſſet poſſibilis entitas impenetrabilis, & ſimul indiviſibilis, ad eam poſſet ſe no-

ſter

ster tactus extendere; quia illa ex sua impenetrabilitate esse impedimentum nostri motus: adeòque ut talis deprehenderetur à tactu in eam impingente.

§. III.

Satisfit contrariis Argumentis.

QUæ in contrarium obiiciuntur, hæc sunt. 1. non repugnat ens spirituale compositum ex partibus integrantibus; quæ enim in hoc repugnantia? ergo partes integrantes non sunt ratio corporis à spiritu discriminativa.

2. Res spirituales capaces sunt compositionis intensivæ, ut omnes fermè concedunt in spiritualibus accidentibus: ergo sunt etiam capaces compositionis extensivæ; adeòque commune est enti materiali, & spirituali habere partes integrantes. conf. prob. 1. simplicitati entis spiritualis non minùs repugnare videtur compositio integralis extensiva, quam intensiva. ergo si in eo admittitur ista, non est, cur illa negetur. 2. eædem partes, quæ faciunt intensionem, natæ sunt facere extensionem, ut dixi in physicis. ergo ubi est possibilis compositio intensiva, est etiam possibilis extensiva.

3. Dantur multa entia spiritualia composita integraliter ex partibus facientibus extrà. Nam 1. ubi Angelicum est spirituale, ut omnes fatentur, & tamen habet partes commensuratas spatio divisibili, adeòque extensas. 2. Motus Angeli supra spatium divisibile divisibilis est, & proinde extensus juxtà spatium, quod pertransit, & cui commensuratur. 3 duratio Angeli spritualis est, & divisibilis in infinitū. & quamvis eius divisibilitas sit non permanens, sed successiva, non est ratio, cur ista continuitas enti spirituali non repugnet, illa repugnet.

Hoc idem probant de unione, & ubicatione animæ rationalis, & unio quidem animæ cum corpore spiritualis est, & tamen constat partibus integrantibus; si enim indivisibilis ea esset, dum in nutritione anima novis materiæ partibus unitur, deberet destrui tota prior unio cum corpore; adeoque in priori natura ad nutritionem non esset homo, qui involvit animam unitam corpori. Ubicatio autem eiusdem animæ ex eodem capite debet statui divisibilis; quia dum est anima novæ materiæ, in quam debet agere, approximata, non debet posse amittere totam priorem ubicationem, & novam acquirere, per quam novæ materiæ fiat præsens, & intima; cum enim debeat esse approximata in priori, & approximatio per ubicationem constituatur, debet consequenter in priori esse ubicata; adeoque retenta priori, debet unam partem ubicationis acquirere; & per consequens ubicatio spiritualis habet partes.

4. Visio ocularis est composita integraliter. ergo etiam intellectualis. prob. cons. ideò ocularis est composita, quia sæpè attingit objectum compositum ità, ut partem eius viciniorem clariùs, remotiorem obscuriùs exprimat: non potest autem eadem visio esse duplicis objecti, quorum alterum clarius, alterum obscuriùs attingat. atqui hoc idem valet in cognitione intellectuali eiusdem obiecti consequente ocularem. ergo.

5. D. Thomas cum suis opinatur animas perfectorum animalium esse materiales, & indivisibiles. ergo non est assumendum, ut communiter concessum, materiale de suo conceptu esse integraliter partibile.

6. Satis distinguitur ex communi etiam conceptu materiale à spirituali per hoc unum, quòd illud sit impenetrabile, hoc penetrabile. ergo non est opus ista distinguere per partibilitatem.

Ad 1. resp. illum arguendi modum esse omninò ineptum, quia similiter impugnatur quævis alia corporis notio. Sit enim ratio corporis quæcumque, potest inquiri, cur repugnet spiritus, cui competat ratio illa. Dicendum ergo, quod si corpus est moles divisibilis, ut repugnat spiritum esse corpus, sic repugnat spiritum esse molem divisibilem. Præterea quæstione sequenti ostendam ex professo repugnare substantiam immaterialem divisibilem, præsertim si ea sit intellectiva.

Ad 2. si nomine rei spiritualis veniat substantia, nego antec. si accidens, transmitto; & nego conseq. ad 1. prob. dico, conceptum entis corporei esse, ut sit moles: ad hanc verò sola extensio per se facit, non intensio; & per consequens illa, non hæc enti spirituali repugnat. Ad 2. illud est verum de partibus intensivis materialibus, non spiritualibus.

Ad 3. negatur assumptum. Nam primò ubi Angelicum spirituale est, adeòque sine partibus extensis, commensuratur autem spatio, perinde ut Angelum commensurat, definitivè scilicet, non circumscriptivè. Deinde motus, & duratio Angeli habent partes successivas, non permanentes. Corpus autem ex probatis non est, quod habet partes extra secundùm successionem, sed secundùm spatium. Unio deinde animæ rationalis cum corpore in physicis asserta est materialis, non spiritualis, ac recepta in corpore, non in anima; idque ex mente Philosophi, qui motum ab actione, & passione indistinctum statuit in mobili. Ubicatio demum animæ (si tamen anima per suam, & non per materiæ ubicationem locatur.) spiritualis est, & impartibilis. argumentum verò, quo ea partibilis suadetur, facilè solvitur ex dictis 4. phys. ubi probavi, universim non requiri ad actionem, nisi negativam approximationem inter agens, & passum.

Ad 4. negatur consequ. & causalis antecedentis, quæ in probationem adducitur. Nam 1. juxtà communem sententiam, quæ judicium statuit unam qualitatem simplicem, in ista propositione, Petrus est homo, idem Petrus in apparentia subiectiva clarè, in prædicativa confusè cognoscitur. quantò magis poterit una indivisibilis cognitio unius obiecti esse clara, confusa alterius. 2. Visio Dei intuitiva, quæ in Deo creaturam comprehendit, relatè ad creaturam est cognitio clarissima; relatè ad Deum, quem sanè non comprehendit, clarissima non est, adeòque aliquid obscuritatis admiscet. 3. etiam dato, quod ex alia, & alia claritate inferatur alia, & alia intellectio, qua consequentia hinc deducit Arriaga, cuius est argumentum, quod una cum alia facit extensionem? In oculo id verum est; quia alia pars obiecti aliam partem organi ferit, in eaque se pingit: at in intellectu pars, & pars non est.

Ad 5. primùm censeo Divum Thomam brutorum animas indivisibiles, qualis est hominis anima, nusquam posuisse. & sensum, in quo de iis loquutus est, alium omninò esse ab eo, quem multi putant: ut dixi in physicis; ubi Thomistas ex hoc etiam refutavi, quòd non rectè salvāt brutalis animæ materialitatem, si eam indivisibilem faciunt; cum non supersit ad hanc salvandam, nisi dependentia à corpore: universim autem nihil sit in eodem genere cum alio per hoc unum, quod pendeat ab illo.

Ad 6. argumentum est priùs occupantis; sic enim pariter arguam. satis distinguitur materiale à spirituali, quia illud est partibile, hoc impartibile. ergo non est opus ista distinguere per impenetrabilitatem. Et quidem si esset substantia partibilis, & penetrabilis, non video, quo jure spiritus illa potiùs, quàm corpus sit appellanda: tantò magis, quod non desunt authores, qui impenetrabilitatem statuunt com-

munem

munem etiam spiritibus: ità Richardus, Jo: de Bassolis, Bonav. & ipse D. Thomas 1. p. q. 52. art. 3. apud Suar. l. 4. de Ang. c. 9.

CAPUT II.

An substantia materialis à quantitate distincta realiter sit.

UT videatur, an corpus sit à quantitate distinctum, necesse est videre, quid sit quantitas; multi enim conceptus quantitatis circumferuntur, quos quidem non nego esse quantitatis, sed puto esse quantitatis à substantia materiali indistinctæ; nam ipsum corpus non raro sub nomine quantitatis, molis, trinæ dimensionis usurpatur. itaque non disputabo, utrum hæc, vel illa sit notio quantitatis, sed utrum quantitas sub hac, vel illa notione à corporea substantia distinguatur.

Sed priùs reiicienda est cum communi sensu illa notio, qua statuitur quantitas in ratione mensuræ: quod cum Alberto pauci Thomistæ asserere visi sunt. etenim vel intelligunt actualem, vel aptitudinalem mensuram. non actualem, quæ est scilicet opus animæ assumentis unam certam quantitatem v. g. palmum, vel ulnam ad reliquas mensurandas; & per consequens est ratio, quæ accidit quantitati. non aptitudinalem; tum quia est alia ratio hancantecedens, nimirum extensio; priùs enim est quantum esse extensum, quàm mensurabile, cum sit mensurabile, quia extensum, non è contrario. tum quia quantum est genus ad finitum & infinitum. infinitum autem non est mensurabile. ergo quantum ex genere non est idem, ac mensurabile.

Alii deinde dicunt, quantitatem consistere in formali ratione partium. quare putant, substantiam materialem secundùm se non

habere partes in actu, sed eas accipere formaliter per quantitatem. Ità Capreolus, Vasquez, & alii citantes pro se D. Thomam. Alii dicunt, quantitatem esse ipsam extensionem actualem partium substantiæ materialis in spatio. Alii, aptitudinem ad extensionem. Alii demum impenetrabilitatem, h. e. non aptitudinem solùm, sed exigentiam extensionis, qua partes substantiæ occupent suum quæque distinctum spatium, & quidem ità ut talis exigentia sit à quovis naturali agente insuperabilis.

Dico 1. si nomine quantitatis veniat ratio partium entitativarum substantiæ materialis, quantitas nec est, nec potest esse accidens realiter à substantia materiali distinctum.

Prob. 1. distinctio, quæ est inter partem materiæ existentem in pede, & partem existentem in manu, per nullum accidens distinctum haberi potest. quodlibet enim distinguitur ab omni eo, quod non est ipsum, non per aliud, sed per se ipsum; aliter ab illo etiam alio deberet distingui per aliud; adeòque in infinitum: aut si ab illo distinguitur per se, per se etiam ab aliis. Conf. dum dicitur substantia secundùm se non habere partes, sed eas accipere formaliter per quantitatem, vel sit sensus, quòd accipit per quantitatem partes ipsius quantitatis accidentales, vel quod accipit per quantitatem partes insuper suas substantiales. primum est verum, sed non ad rem; tum quia similiter accipit per quodvis aliud materiale accidens partes eius accidentales; tum quia hoc pacto substantia maneret semper integraliter ipsa indivisibilis; nec distingueretur corpus meum à tuo, sed mea solùm à tua quantitate. Secundum non est intelligibile. 1. quia nihil potest accipere distinctionem per distinctum, ut dictum est. 2. quia ante quantitatem substantia haberet partes indistinctas, adeòque identifica-

tas,

tas, quæ per quantitatem amitterent identitatem, & acquirerent distinctionem: quod est absurdissimum, cum amitti identitas non possit, nisi amittendo entitatem. 3. quia quantitas non potest dare substantiæ formaliter, nisi partes, quas habet. Sed non habet partes, nisi solùm entitativè accidentales. ergo substantia per illam non haberet partes, nisi entitativè accidentales.

Prob. 2. materia hæc, & illa verificant contradictoria in priori ad quantitatem; adeoque distinctæ in priori ad quantitatem; adeoque distinctio partium materiæ non est per quantitatem. conseq. est manifesta ex alibi dictis, quòd distinctio formaliter non sit, nisi contradictio, seu contradictoria verificata. antec. prob. evidens est, quòd nulla causa est potens causare per suum effectum, sed supponitur potens in priori ad ipsum: materia autem est quantitatis causa materialis. ergo est potens quantitatem causare, & non formaliter per quantitatem. Nunc sumo materias A, & B. certè materia A est potens causare quantitatẽ, dum non est materia B, & non est potens eam causare dũ non est materia A h.e. ipsa. Sed ista sunt prædicata contradictoria, quæ verificantur de materiis in priori ad quantitatem. Alia huiusmodi argumenta possent etiam confici: sed plura res non meretur.

Dico 2. Si nomine quantitatis veniat actualis extensio partium integralium, quantitas est accidens distinctum à substantia, non tamen absolutum, sed modale; adeoque impropriè, & contrà communem sensum Philosophorum extensio ipsa quantitas nuncupatur. Ratio primæ partis est; tum quia ad extensionem hanc, vel illam substantia est indifferens. Sed non est indifferens, ut sit hæc, vel illa substantia. ergo substantia non est extensio. tum quia substantia potest separari à sua extensione: quòd si extensio esset ipsa substantia, substantia pos-

set separari à se ipsa. Secunda pars etiam patet; quantitas enim communiter censetur accidens non modale, sed absolutum, & ab extensione separabile; aliter Christi Corpus in Eucharistia quantitate careret, dum caret extensione: quod negant passim Theologi.

Dico 3. Si nomine quantitatis veniat aptitudinalis quæcumque extensio, ut hæc sonat non solùm capacitatem, sed etiam exigentiam, non est quantitas accidens à substantia materiali distinctum. Prob. substantia materialis secundùm se, & in priori ad quodvis accidens habet partes, non intendibiles, ut est certum, sed extendibiles, & aptas facere extrà in spatio. Rursus facere extrà est perfectio corporis, quod propterea nonnisi violenter extensionem amittit, ergo quantum est de se, exigit, ut extendatur in spatio; est enim manifestum, quòd omnis natura exigit perfectionem suam, ad quam est naturaliter apta.

Dico 4. Si nomine quantitatis veniat formalis, & proxima impenetrabilitas partium extensarum, potest quantitas esse accidens absolutum à corporea substantia realiter distinctum. Prob. illa possunt esse realiter distincta, quæ ità sunt separata per suos formales conceptus, ut in illis non appareat ratio identitatis realis: quin etiam si supponantur realiter distincta, non sequitur esse, & non esse cadens suprà idem. Sic autem esse substantiam, & impenetrabilitatem, constat tum ex consideratione istorum conceptuum secundùm se: tum etiam, quia sicuti potentia proxima motiva gravium, & levium, potentia proxima calefactiva, frigefactiva, & similes non sunt de suo conceptu substantia: ità nec est substantia de suo conceptu vis proxima, & immediata resistendi penetrationi, eamque impediendi. Et quidem in substantiæ partibus integrantibus, quæ quidem exigunt per se extensionem,

nem, non videtur imbibitus hic conceptus, ut se ipsis etiam debeant excludere possibilitatem naturalis penetrationis.

Dico demum 5. Probabilius est, quantitatem esse accidens absolutum à substantia, & qualitatibus distinctum. Est communissima in Scholis contra paucos Nominales. Sed tamen difficilem habet probationem. quare Suar. disp.40. Met. sect.2. rectè dixit, vix posse Nominales in hac parte satis convinci falsitatis.

Prob. tamen conclusio. impenetrabilitas proxima distinguitur realiter à substantia, & qualitatibus. at quantitas hìc non est aliud, quàm proxima impenetrabilitas. ergo distinguitur à substantia, & qualitatibus. prob. 1. pars maioris. tum quia in Eucharistia manet impenetrabilitas, non manente substantia: qua ratione multa accidentia à subiecto substantiali distincta meritò arguimus. tum quia impenetrabilitas ista non potest tribui formæ, ut est certum in homine, in quo forma spiritualis, de sua natura nec corporea, nec quanta, non potest impenetrabilitatem afferre; nec materię quam Philos. negat secundum se esse quantam in actu. 1. quia materia est in se incorruptibilis, & radix corruptionis in aliis: impenetrabilitas autem datur rei, ut munimen ab actione contrarii: atque à corruptione. non ergo est probabile totam impenetrabilitatem à materia provenire. 2. quia dato, quod proveniret, ut est communior sensus, jam ex hoc ipso dici debet, quod impenetrabilitas non sit natura, sed passio materiæ; cum enim constet, nullam esse substantiam creatam, quæ se ab intrinseco per distinctas proprietates, & accidentia non perficiat: nec sit alia proprietas, per quam se possit accidentaliter perficere materia qua talis, consequens est, ut probabilius dicamus per impenetrabilitatem perfici materiam accidentaliter; adeoque impenetrabilitatem

non

non oriri immediatè, & formaliter ab essentia materiæ.

Prob. 2. pars eiusdem maioris, quod scilicet impenetrabilitas distinguatur à qualitatibus. Nihil enim potest fieri impenetrabile per id, quod est de sua natura penetrabile. at qualitates penetrabiles per se sunt, & quidem non solùm cum substantia, cui natæ sunt inhærere, non solùm cum qualitatibus, & accidentibus diversæ rationis (quod est illis commune cum quantitate) sed etiam cum qualitatibus eiusdem rationis, cum quibus scilicet natæ sunt facere intensionem, adeoque poni penetrativè in eadem parte subiecti. Neque dicas, qualitates esse quidem penetrabiles, si sumantur ut præcisæ ab unione extensiva, & ubicatione, sed esse impenetrabiles, si sumantur ut extensæ, vel ut ubicatæ. Nam contra est; sic enim tota ratio repugnantiæ cum penetratione esset extensio, vel ubicatio; quo enim præciso, nulla superest repugnantia, illud est tota ratio repugnantiæ. Sed neutra est ratio huiusmodi repugnantiæ. non enim extensio; tum quia extensio est purus modus, sed impenetrabilitas est de suo conceptu accidens absolutum. tum quia, ut supra etiam dictum est, Christi Corpus sub speciebus admittendo extensionem, amitteret impenetrabilitatem naturalem. tum demum quia pura extensio si per se formaliter repugnaret penetrationi, perfectior extensio, quæque est extensio per æquivalentiam, magis penetrationi repugnaret; adeoque Angelus virtualiter extensus impenetrabilis esset. Sed neque est ratio impenetrabilitatis ubicatio; tum quia similiter ubicatio Angelica impenetrabilitatem afferret. tum quia ubicatio etiam est modus, non res. tum quia ubicatio impenetrabilitatem si affert, non aliam certè ab ea, quam habet. Sed ubicationis impenetrabilitas, quæ est non naturalis, sed essentialis cum alia

ubi-

ubicatione, non est ea, quæ propriè, & per se enti materiali convenit, sed alia, quæ nascitur ab immobilitate: ut mox dicam, tum demum, quia impenetrabilitas quantitatis habet pro termino aliam eiusdem rationis; nam quantitas non est, nisi cum quantitate impenetrabilis. cæterum cum substantia, & qualitatibus penetrabilis est. Ubicatio contra est penetrabilis cum alia non ejusdem, sed diversæ rationis sunt natæ correspondere eidem spatio imaginario. ergo si corpora haberent à solis ubicationibus quantitatem, impenetrabilia non essent, eo ipso, quod sunt ubicationum eiusdem rationis capacia.

Dices 1. Penetrabilitas, quæ reperitur in Angelis, & in materia, ac forma invicem comparatis, non est accidens superadditum. ergo neque est accidens superadditum impenetrabilitas.

Resp. negando consequ. disparitas est; quia impenetrabilitas licèt explicetur per negationem, est tamen revera vis positiva agenti penetrativo resistens; quæ vis jam est probata distincta: hinc habeo, quod penetrabilitas non est, nisi talis virtutis carentia; adeoque non debet esse specia le accidens. Sic quia potentia motiva deorsum est qualitas, non sequitur, quod qui ea carent, per positivam debeant qualitatem carere.

Dices 2. Impenetrabilitas convenit aliis à quantitate; nam ubicationes Neapolitana, & Romana sunt per se invicem impenetrabiles.

Resp. optimè Arriaga, ubicationes non esse impenetrabiles, sed immobiles. quod si velis illas impenetrabiles appellare, certè omninò aliter est impenetrabilis quantitas, quæ scilicet non ex affixione ad locum, sed quia replens mole sua unum spatium, aliam quantitatem impedit, quo minus eodem ingrediatur, impenetrabilis esse dicitur.

CA-

CAPUT III.

De Speciebus Quantitatis.

HActenus de natura, & distinctione quantitatis permanentis; de successiva enim alibi satis. Quantitas porrò eiusmodi primò dividitur in Continuam, & Discretam. continua est, quæ habet partes coniunctas, discreta, quæ divisas. Continuæ tres sunt species, linea, superficies, & corpus; quæ juxta aliàs dicta non sunt tres res, sed tres acceptiones ejusdem quantitatis secundùm aliam, & aliam dimensionem. Discretæ quantitatis species sunt omnes species numerorum, nimirum binarius, ternarius, &c.

De Numero autem, seu Quantitate discreta, pro qua una præsens caput apposui, multa dicuntur à Thomistis, quæ sunt paucis examinanda.

Dicunt 1. numerum esse veram, & propriam speciem quantitatis: in quo dicto, nisi fallor, duo includuntur, aut sequuntur saltem ex ipso, juxta Thomistarum principia. primum est, numerum esse completè realem. alterum est, esse speciale accidens à continua quantitate essentialiter distinctum.

Dicunt 2. numerum esse ens verè prædicamentale, adeoque unum non per accidens, sed per se. Quod si urgeas primò, numerum componi ex pluribus entibus completis, quod officit rationi unius per se; respondent; partes numeri posse considerari, ut sunt quantitates continuæ: atque ita esse completas: & ut sunt natæ augere numerum per suam cuiusque unitatem aliis unitatibus junctam; atque ita incompletas esse. Si urgeas 2. non posse facere unum multa discreta, quæque nullo pacto invicem copulantur; respondent non posse esse

unum

unum unitate compositionis, sed posse esse unum unitate ordinis. Itaque unitatem hanc numeri realem explicant per realem ordinem partium numeri, quæ disponuntur sub ultima unitate, à qua speciem numerus habet; & proinde appellatur ternarius à tertia unitate, quinarius à quinta, &c. Si urgeas 3. unitates realiter nec esse primas; nec ultimas, adeoque nec esse ordinatas; respondent non esse tales determinatè, sed indeterminatè. itaque numerus accipit speciem ab unitate ultima sumpta, non ut unitas est, sed ultima est.

Hæc sanè omnia habent apud me rationem Mysterii. illud verò, antequam ad rem venio, dissimulare non possum, quod Thomistæ, qui usque adeo sunt vehementes in excludenda existentia propria, quidam verò ex ipsis etiam essentia materiæ, propterea quod ratio unius per se violetur, si aliquid per se existentiatum, aut essentiatum veniat in rei compositionem, ut subiectum; in re præsenti rationem unius per se numero tribuunt, quamvis unitates præcedentes, quæ ad ultimam comparantur ut materia ad formam, per se sine dubio existant, & in sua quidditate sint plenè constitutæ, & hic recurrunt ad doctrinam ibi rejectam, quod potest res in una ratione completa esse incompleta in alia; ex quo fit, ut materia quamvis completa in sua essentia materiæ, & in ea etiam existens possit esse incompleta in linea totius; quod mordicus à Thomistis negatur.

Dico igitur 1. Quantitas discreta non est speciale accidens à continua quantitate distinctum. Prob. 1. qui dividit, per hoc præcisè dividit, quia tollit unionem inter partes quantitatis, non verò quia aliquid de novo ponit. ergo per hoc præcisè quantitas est discreta, quia amisit partium unionem, non quia novum accidens acquisivit. 2. Hoc novum accidens in singulis unitatibus non est certè numerus,

sed

sed unitas. atqui unitas quantitatis à quantitate distincta non est, primò, quia ut quælibet entitas est per se una, ita & per se est una quantitas. secundò, quia id probat ratio D. Thomæ, qua concludit contra Avicennam ens per se esse unum, non verò per unitatem realiter à se distinctam 1.p.q.11.art.1. ad 1. quia scilicet si res foret una per aliud à se, cum illud etiam unum sit, debet esse unum per aliud, adeoque in infinitum. Tertiò, quia si nomine unitatis veniat subsistentia,& terminatio quantitatis, satis huius distinctio, tanquam positivæ formæ, manet rejecta tum in physicis,ubi exclusa sunt puncta terminativa, tum hìc, ubi improbata est positiva subsistentia.

Dico 2. Quamvis quantitas discreta sit talis, præciso opere mentis, non est tamen formaliter numerus, nisi per opus mentis.

Prob. 1. pars. quantitatem esse discretam est esse divisam, seu carere continuitate. at sicuti, præciso opere mentis, quantitas habet continuitatem, ita & eo præciso, continuitate privatur. ergo est discreta, præciso mentis opere.

Altera pars, quæ à Thomistis negatur, prob. 1. authoritate, & ratione Philosophi 4. phys. t.c.131. *Dicamus*, inquit, *quod cum numerans non fuerit, numerare non erit. ergo manifestum est, quod numerus etiam non erit. Numerus enim est aut numeratum, aut illud, per quod numeratur.* Q. d. numerus est aut numerus, aut numerans. Numerans est anima per intellectum: numerata est multitudo ipsa realis. Sed esse numeratum in multitudinem est denominatio extrinseca à numerante, sicut esse cognitum est denominatio extrinseca à cognoscente. Sicut ergo cognitio denominat obiectum cognitum, & potentiam cognoscentem, ita numeratio denominat multitudinem numeratam, & intellectum numerantem. Numeratio au-

tem

tem actus animæ mensurantis est, ut ibidem testatur Philosophus. ergo numerus non est, nisi per actum animæ. Hoc idem habet Averroes tum ibi, dicens, quod *numerus in anima non est omnibus modis, sed esse ejus extra mentem est in potentia propter subjectum proprium, & esse eius in anima est in actu*. tum in 1. suæ Met. c 9. ubi ait, quod *Numerus est aggregatio unitatum, & mensuratio*: & paulò ante dicit, quod *Res aliæ uniuntur per sua extrema tantùm; & sunt contigua ipsa; aliæ verò conceptu tantum; & hoc modo continuum patitur numerum*. Idem ait D. Thomas in 1. d. 19. qu. 5. art. 1. o. ubi asserit, quod tempus *habet fundamentum in motu, scilicet prius, & posterius ipsius motus, sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis*. Quod autem dicit de tempore, in quantum numerus est motus, idem dicendum de omni numero.

Prob. 2. assumendo, quæ de numero dicunt Thomistæ, nimirum, & quod numerus sit unus; & quod sit unus unitate ordinis, in quo unitates ita disponuntur, ut una sit prima, alia secunda, &c. demum, quod numerus sit hic potiùs, quam ille, debet claudi per ultimam unitatem, per quam formaliter in tali specie constituitur. Sed hæc omnia multitudini conveniunt per actum animæ. ergo per actum animæ multitudo constituitur in esse numeri. prob. min. & quidem unitas multorum non est, nec potest esse in multis, nisi illa multa realiter sint aut eadem, aut unita; unum enim realiter facit aut unitas simpliciter, seu identitas, aut unitas secundum quid, sive unio. atqui inter discretas quantitates nec identitas est, neque unio: ergo non sunt realiter unum. restat igitur ut sint unum per opus animæ colligentis, & mensurantis. Rursus ordo inter unitates realis non est; quod ostendo ex dictis

adver-

adversariorum concedentium unitates ipsas materialiter sumptas indifferentes planè esse ad rationem primę, vel ultimę. ergo quod determinat unitates, iis; tribuit rationem primæ, vel ultimę hoc est, quod formaliter se habet ad rationem numeri. at determinatio non est, nisi ab acceptione intellectus. ergo acceptio est forma numeri. Et quidem ut unitas tertia constituat, & det speciem ternario, non satis est, si sit tertia, sed debet esse ultima; si enim accedat quarta, non est amplius ternarius, sed quaternarius. Atqui iste non accessus si sit mere realis, ternarius non habetur, cum aliæ sint in re præter tres unitates. debet igitur iste non accessus esse merè intellectualis, cum scilicet mens numerans à prima unitate procedit ad tertiam; in ea, que sistit, & ternarium constituit.

Dico 3. Ratio continui, discreti, & numeri non dicuntur de quantitate essentialiter, sed denominativè; adeòque non sunt rigorosæ species quantitatis. Constat ex dictis; nam quantitas denominatur continua per uniones accidentales, discreta per negationes ejusmodi unionum numerus per actum animæ; adeòque sunt denominationes habitæ per formas, quæ accidunt omninò quantitati. Et de numero quidem expressè Philosophus loc. cit. t. 130. ait, quod sit accidens numerati; arguit enim, quod tempus est accidens motus, quia est numerus motus.

Dico 4. Numerus potest dici per se unum, quatenus est unum definibile: ad quod scilicet, ut ex dictis in Logica patet, non alio est opus, quam ut possit una cognitione confusa attingi, quæ deinde explicetur per cognitiones communem, & propriam: & sic est in binario, cujus notio explicatur per rationem communem numeri, & propriam binarii. Cæterum per se unum realiter, & in rigore non est, imò nec unum.

Dices.

Dices: quod non est per se unum, nec realiter unum, non potest esse obiectum scientiæ, & multò minùs scientiæ realis, at numerus est obiectum Arithmeticæ, quæ est scientia realis. ergo & est per se unus, & realiter unus.

Resp. ad per se unitatem obiecti satis esse, si sit unum definibile: quam unitatem numero competere iam est dictum. ad hoc verò ut sit scientiæ realis, non rationalis obiectum, satis est, si consideretur secundùm passiones, quæ sub cognitione, non à cognitione illi proveniunt. Sic universale est obiectum scientiarum. sic est numerus obiectum Arithmeticæ.

Dices iterum, videri paradoxum, quòd à parte rei non detur binarius, aut ternarius hominum. Resp. videri etiam paradoxum, quod homo, & equus non constituant binarium animalium à parte rei, & tamen hoc aiunt Thomistæ, qui numerum realem non statuunt, nisi inter individua eiusdem speciei. Responsio directa satis constat ex dictis; probatum enim est authoritate, & ratione. binarium, ternarium, &c. quamvis in re sint materialiter, non tamen formaliter.

CAPUT IV.

De essentia, & speciebus Qualitatis.

ARistoteles in prædicamentis cap. *De quali* qualitatem sic notificat: *Qualitatem dico, qua quales quidam dicuntur*. Hanc notionem vulgò reprobant utpotè non definitionem, sed circulum; sicuti enim quærenti, quid est qualitas, respondetur esse id, quo res est qualis: ità quærenti, quid sit esse quale, non aliter responderi potest, quam esse id, quod habet qualitatem, sicuti album dicitur, quod habet albedinem. atque ità qualitas per quale, & quale per qualitatem circulariter expli-

can-

cantur. Adde, quod qui ignorat qualitatem, ignorat pariter quale, adeoque dum qualitas explicatur per quale, ignotum explicatur per æquè ignotum.

Occurrit huic difficultati Sotus ex Boetio, quod hæc definitio non est quidditativa, & propria; generalissima enim, ut sunt prædicamenta, eiusmodi definitiones non habent: sed est descriptio quædam, quæ datur per notiora quoad nos. Et quia, ut ait Commentator 1. physic. comm. 3. notius est nobis compositum, quam forma, ut album, quod videmus per se subsistere, quàm albedo, cuius distinctionem ab albo non experimur; & sapiens, cuius opera conspicimus, quam sapientia, cujus existentiam solo intellectu attingimus; ideò rectè hìc describitur qualitas per quale, tanquam per notius nobis: & infra quale per qualitatem, tanquam per notius secundùm naturam.

Quidquid sit de hac doctrina, traditam à Philosopho qualitatis notionem censeo optimam esse, nec aliam posse aut magis claram, aut magis propriam afferri, si rectè intelligatur, & explicetur. pro quo notandum, quod interrogatio per quale est illa, cui reponitur rei differentia. itaque perinde est quærere, qualis est res, ac quærere prædicatum, per quod res una differat ab alia. Porrò differentia rei alia est essentialis, & prima; alia est accidentalis, & secunda. prima dicitur prædicari in quale quid, seu in quale essentiale. secunda dicitur prædicari in quale accidentale. illa dicitur differentia Logica, hæc physica.

Sensus ergo definitionis à Philosopho allatæ est, quod qualitas est, quam reponimus interroganti, qualis est res. Et quia supponit, tanquam per se cuique notum, quod interrogatio per quale petit differentiam, sicuti interrogatio per quid petit genus, aut speciem; non

ex-

explicat ulterius, quid velit talis interrogatio; sed per eam notificat ipsam qualitatem; h. e. abstractum per concretum cuique per se notum. Quod si in hac ipsa notione non servantur omnes definitionis leges, sed aliqualis circulus committitur, nil mirum; quia, ut sæpe dixi, hoc est proprium primarum notionum, ut in sui definitionem ipsæ adducantur, & per se explicentur. Ex his apparet, quod huiusmodi notio est qualitatis, ut abstrahentis ab essentiali, & accidentali, quare ut contrahatur ad qualitatem distincti à substantia prædicamenti, definienda est qualitas; *Physica, & secunda differentia natura.*

Hinc est, cur dici vulgò consueverit, qualitatem sequi formam, ut quantitas sequitur materiam. quia videlicet differentia substantialis corporis à corpore est per formam; actus enim est, qui distinguit. propterea accidentia, quæ habent vim secernendi unum ab alio, dicuntur sequi formam, quæ est principium distinctivum. Non tamen rectè definitur Qualitas accidens, quod sequitur formam; tum quia dantur qualitates etiam in non habentibus formam partis; tum quia non quidquid sequitur formam, est qualitas; possunt enim esse vel actiones, vel alii modi, quorum munus non est distinguere, & propterea res non dicitur ab iis simpliciter qualis, sed qualiter, seu aliqualiter se habens.

Quatuor deinde species qualitatis traditæ ab Aristotele sunt, in prima sunt habitus, & dispositio: in secunda naturalis potentia, & impotentia: in tertia passio, & passibilis qualitas: in quarta forma, & figura: de quibus satis in Logicis. In his solùm superest notandum, quod nomen qualitatis haberi potest, etiam ubi nullum accidens positivum, & absolutum habetur; forma enim, & figura, quæ consurgunt ex varia terminatione partium quantitatis,

tis, satis improbabiliter dicerentur in speciali accidente consistere propter id unum, quod ab Aristotele inter species qualitatis numerentur.

CAPUT V.

De Contrarietate, & Intensione Qualitatum.

Circa qualitatum contrarietatem illud dubitatur, utrum ea ab ipsa qualitatum natura, an verò à mera subjecti incapacitate oriatur, & rursus quanta sit eiusmodi oppositio. Circa intensionem illud superest, ut videatur, utrum ea sit propria qualitatis.

Quoad primum compertissimum est apud omnes, aliquas qualitates esse inter se ratione sui oppositas, & non ob virtutem subiecti limitatam assensus enim, & dissensus, amor, & odium efficax circa idem incompossibiles sunt etiam in Deo, qui est subiectum, seu quasi subiectum infinitæ capacitatis, quæstio igitur de calore, & frigore, & similibus, in quibus nasci oppositionem ex ipsa qualitatum natura cum communissimo fere omnium sensu opinor contra paucos Rec.

Ratio est 1. à priori; contraria enim sunt, quæ sub eodem genere maximè distant. distantia autem sub genere non est, nisi per differentias oppositas dividentes ipsum genus. ergo calor, & frigus, & aliæ quævis contrariæ qualitates sibi mutuo contrariantur essentialiter, & ex natura sua, & non præcisè propter graduum intensionem, & subiecti incapacitatem. 2. à posteriori subiectum calidum qua tale habet speciale cum frigore repugnantiam potiùs, quam cum alia disparata qualitate, ut docet experientia; prævalente enim agente frigido, non alia qualitas, sed calor expellitur. At si tota qualitatum eiusmodi pugna à mera subiecti limitatione procederet non po-

teatis

tentis in se plures gradus qualitatis recipere, nihil esset, cur gradus caloris potiùs; quàm alterius qualitatis ad frigoris introductionem expellerentur.

Dices. Si oppositio esset ex natura qualitatum, non solùm se à subiecto extruderent qualitates in gradu intenso, verùm etiam remisso; quilibet enim gradus utpotè homogeneus cum reliquis, adeoque participans naturam, & rationem totius, habet consequenter eandem cum contraria qualitate oppositionem, hoc autem est falsum; qualitates enim contrariæ in gradibus remissis sese mutuò in eodem subiecto compatiuntur; ergo contrarietas non est ex natura, sed ex intensione qualitatum, adeoque ex mera limitatione subiecti.

Resp. quemlibet gradum cuilibet contrariæ qualitatis opponi in actu primo, in quo formaliter consistit contrarietas qualitatum, quæ natæ sunt se ab eodem subiecto invicem pellere proportionaliter, ut duæ quantitates ab eodem loco. Sed ut hanc aptitudinem sequatur actualis expulsio, requiritur tanquam conditio, ut sit expleta gradualis latitudo contrariæ qualitatis in subiecto; tunc enim quilibet vel minimus gradus qualitatis ab agente introductus expellit actu de contraria qualitate, quantum de sua inducitur. Simile quid contingit in activitate qualitatis, quæ quidem essentialiter est operativa, sed non est essentialiter operans; ad hoc enim requirit, ut passum careat eo gradu intensionis, quem ipsa debet introducere.

Deinde contrarietas ista qualitatum naturalium tanta est, quæ naturaliter superari non potest, potest tamen divinitùs. Ratio primi est ab experientia, quæ est alterum à ratione instrumentum, quo omnia dogmata inveniuntur, ut rectè aiebat Galenus. Nunquam enim experimur idem subiectum summè calidum; &

& summè frigidum, sed quantum acquirit de una, tantum amittit eo ipso de opposita qualitate. Signum ergo est non posse qualitate eiusmodi se mutuò compati in eodem subiecto. Ratio secundi est, quia ex duplici qualitate contraria posita in eodem subiecto etiam secundùm gradus intensissimos non sequitur impossibile, quod certè non in contrarietate, sed in contradictione superata, ac de eodem verificata consistit. Deus autem potest omnia, quæ contradictionem non implicant.

1. Dices. Calor facit subiectum calidum, adeòque non frigidum. quare si idem esset frigidum, esset, & non esset, Sed contrà est; tum quia instantia probat incompossibilitatem qualitatum etiam secundùm gradus remissos, imò & probat incompossibiles qualitates etiam dispara. ta, cum in eodem sensu albedo habeat facere subiectum non dulce. tum quia calor non habet formaliter facere subiectum non frigidum, sed hoc habet negatio frigoris consequens naturaliter positionem caloris, quæque potest à Deo miraculosè impediri habet solùm calor non facere frigidum, sed similiter albedo habet non facere dulce, nec proinde non possunt simul stare albedo, & dulcedo.

Quod attinet deinde ad intensionem, communissima est omnium Peripateticorum cum Aristotele sententia, solam qualitatem intendi posse, quamvis non omnem. Hoc secundum dico propter Thomistarum, pluriumque ex Nostris sententiam statuentium intellectum, & voluntatem potentias accidentales realiter ab anima distinctas, incapacès tamen intensionis, ac remissionis. Primum prob. quia neque substantia, neque quantitas, neque alius quivis modus per se loquendo intensionem, ac remissionem suscipit. ergo sola qualitas intendibilis, ac remissibilis est. antec. prob. primò quoad substantiam. & quidem nec potest tribui

bui substantiæ completæ, nec materiæ primæ intensio; ipsa enim subiectum non respiciunt; & aliunde non possunt invicem uniri penetrativè, cum debeatur sua cuique quantitas, quæ est impenetrabilitas. Rursus, nec possunt plures formæ substantiales solo numero distinctæ naturaliter poni in eadem materia, ut in physicis probavi ex eo, quia vel superfluerent, vel repugnarent. cum enim quælibet forma suum exigat temperamentum, si duæ formæ essent in eadem materia, vel duo ibi essent temperamenta; atque ità qualitates ponerentur in eadem materia ultra naturalem mensuram: vel esset in materia unum temperamentum; & sic tantum faceret una, quantum duæ formæ substantiales, adeoque alterutra superflueret. De quantitate res etiam est manifesta, quia eius formalis effectus, qui est excludere omnem potentiam naturalem penetrativam, consistit in indivisibili, adeoque multiplicari, & intendi non potest in eadem parte subiecti. Idem dic de reliquis modis; quamquam per accidens, & ratione termini modus aliquis, actio nimirum, & passio capax quodammodò sit intensionis; sicuti enim qualitas, ità & actio productiva, & unio inhæsiva qualitatis multiplicatur in eadem parte subiecti. Hoc autem actio, & unio non habent per se, sed ratione termini: & rursum intensionem non faciunt; quia intensio est inter homogenea; actio autem, & unio unius gradus specie differt ab actione, & unione alterius.

QUÆSTIO TERTIA.

De Substantia immateriali.

CAPUT I.

De existentia Substantiæ immaterialis completæ.

Existere substantiam immaterialem incompletam satis constat ex dictis in physicis, ubi animæ nostræ spiritualis existentia & Fide, & ratione naturali probata est. quare tota lis præsens devolvitur ad substantiam immaterialem completam, quales sunt Angeli: quos quidē existere Fides satis docet: sed utrū aliqua naturalis ratio idipsum convincat, difficultas est. Proponam breviter præcipuas, quæ solent circumferri, ut examinem, quantum in singulis sit momenti ad eiusmodi veritatem suadendam, aut, quod nonnullis videtur, etiam demonstrandam.

Prima ratio ducitur ex motu Cælorum qui à propria ipsorum forma esse non potest, ut probavi in physicis: nec potest esse ab animabus separatis, quia nec ab iis antè unionem cum corpore; cum non possint naturaliter creari extrà corpus; nec post, quia antequam separarentur, Cæli jam movebantur: nec demum potest esse talis motus à Deo, quia causa prima non agit, nisi per secundas. Restat ergo, ut talis motus sit ab intelligentiis.

Sed nihil probat; quia facili negotio is motus tribui Deo potest cum Philosopho 12. Met. tunc autem causam primam dicimus agere non per se sed per secundam, cum aliundè supponimus adesse secundam, in quam commode refundi actio potest. Rursus ab actione experimentaliter nota arguimus sæpè existentiam causæ secun-

cundæ, cum illa actio speciali titulo proportionis, proprietatis, similitudinis, vel similis connexionis causam secundam exigit. at in re præsenti nihil tale apparet; quæ enim in motu Cœli ad Angelum specialis proportio, & exigentia? Postremò ut Cæli causam productricem in Angelo non quærimus, ita nec gubernatricem, ac motricem. Cum enim in motibus sistendum sit in primo Motore immobili, ad quem motus omnes resolvantur, proindè est, si in eo sistatur aut in hoc, aut in illo. Nullum ergo inconveniens est, si motus Cæli Deo immediatè adscribatur.

Altera ratio derivatur ex energumenis, Magorumque incantationibus, per quas experimur plura fieri mirabilia & suprà virtutem humanam, & præter divinam, quæ scilicet ad miracula falsa in odium, contemptumq; Deitatis patrata extendere se non potest: huiusmodi autem multa facta legimus à Magis contra Mosen, & plura facienda adversùs Ecclesiam ab Antichristo. Restat ergo, ut hæc probent substantiæ immaterialis completæ existentiam.

Sed cur ista tribui non poterunt animabus damnatis, quæ ex Dei permissione pactum cum Magis ineant, & mirabiles effectus operentur? Non potest, inquiunt, anima separata effectus eiusmodi operari ex duplici ratione. 1. quia si tales effectus corpori alligata operari non potest, multò minùs potest ab eo seiuncta; aliter corpus impediret animæ virtutem; adeòque unio cum corpore noxia esset animæ, & per consequens violenta. 2. quia per Magorum incantationes scimus dicto citiùs corpora ad spatium valdè dissitum transferri: hoc autem anima non potest; si enim ità nec movet, nec movere potest corpus, cui est physicè unita, & per consequens intimè applicata cum tota sua virtute motiva; quantò minùs movere sic potest aliud corpus, cui

tam perfectè virtutem suam non applicat ?

Verùm quamvis isthæc probabiliter dicantur, adhuc tamen efficaciter non urgent. ad 1. enim respondetur, quòd licèt corpus impediat vim animæ corporis alieni locomotivam, non ideò unio cum corpore est illi absolutè violenta; quia per unionem habet, ut possit exercere vim sensitivam (quam exercere extrà corpus non potest) & ex ea comparare sibi rerum cognitiones: qui est proprius modus intelligendi animæ rationalis; adeoquè illud detrimentum virtutis motivæ compensatur à commodo longè maiori virtutis cognoscitivæ. Ad 2. potest dici, animæ vires locomotivas per unionem cum corpore limitari, quia simul debet corpus vivificare. certum est autem, quòd qui plura simul efficit, minorem rem ad singula vim adhibet. Non ergo est ex defectu applicationis, quòd corpus coniunctum non ità celeriter movet, sed ex defectu virtutis ad alias operationes distractæ, ac proindè minoratæ. Accedit 3. quòd motum corporis coniuncti anima per se sola non efficit, sed medio organo, & operatione vitali, ad quam spiritibus est opus, ac nervis; adeòque tantum potest ipsa, quantum isti; quia universim tantum potest causa per instrumentum, quantum potest ipsum instrumentum per se. At separata impellit, movetque per se: quam vim non habere non rectè colligitur ex eo, quod illam non exercet in corpore; adeoque efficaciùs multò movere poterit separata, quàm coniuncta. Postremò quamvis concedam, unam animam non posse tanta celeritate corpus movere, non tamen ex hoc fit, non posse, si multæ simul animæ coniungantur.

Tertia ratio descendit ex necessitate morali antecedenti, quam habet Deus ad optimum: quod sanè si verùm est, non aliud superest ad Angeli existentiam concludendam, quàm ostendere, sine eo universum non esse optimum,

id autem probatur; quia optimum universum includit manifestè optimum, & nobilissimum gradum substantiæ spiritualis completæ; cum enim huiusmodi gradus sit perfectio consistens in indivisibili, & optimum universum eiusmodi omnes perfectiones includat (in iis enim, in quibus est progredi in infinitum, optimum intelligi non potest) consequens est, ut istum etiam gradum involvat.

Hæc ratio efficax esset; si necessitas Dei antecedens ad optimum efficaciter probaretur. Sed quia de hac dubitant valdè multi, magniq; authores, nec præsens locus ei sententiæ discutiendæ est aptus, ab ista equidem ratione tum propugnanda, tum impugnanda supersedeo, Unum dico, eam sistere (dato, quod sit efficax) intrà lineam solius probabilitatis.

Quarta ratio sic habet. Deus universum creavit ad sui gloriam, & manifestationem: atque hic finis, ut detur non esse essentialem, est certè connaturalis, adeòque præsumendus. At sine Angeli existentia talis manifestatio sufficienter non habetur; non enim superesset, nisi homo, cui per universi creationem se vellet Deus manifestare. Homo autem; qui non cognoscit nisi dependenter à sensibus, adeoque multum diminutè, & imperfectè, non potest universum comprehendere, adeòque non potest finem se manifestandi à Deo intentum unus explere.

Sed ruit hæc probatio ex eo, quia non distinguit inter id, quod est, aut potest esse homini debitum jure physico creationis, & id quod est, aut potest esse ipsi debitum jure morali meritorum. Concedo equidem comprehensionem huius universi non esse, nec posse esse homini debitam ex primo jure: nego tamen, non posse esse illi debitam ex secundo. Certè si hominem Deus in puræ naturæ statu condidisset, adeòque naturalem sui cognitio-

nem in præmium felicitatis obtinendæ per merita illi proposuisset, comprehensio universi ad hominem non ut in via, sed ut in termino constitutum pertineret; quatenus per illam comprehensionem Deum ipsum abstractivè cognosceret, ac modo naturaliter possibili perfectissimo possideret. Quòd autem homo de facto sit ad altiorem finem ordinatus, quàm ad naturalem universi comprehensionem, est ultra rationem naturalem, quam unam hic inquirimus.

Quinta ratio solet peti ab exigentia præsentis universi relatè ad sui comprehensionem; quia scilicet unumquodque obiectum naturaliter exigit exerere vires suas intentionales, quantum potest; aliter frustrà vires illas à natura accepisset. at quodlibet obiectum habet vires obiectivas sufficientes ad sui comprehensionem. ergo exigit istas exerere. Sed non potest exerere relatè ad intellectum humanum, qui non est universi comprehensivus. ergo exigit intellectum Angelicum.

Hæc etiam ratio videtur solvi ex modò dictis; quia licèt intellectus humanus coniunctus cum corpore non sit capax recipiendi ab universo impressionem comprehensivam; est tamen capax, ut eam recipiat separatus, ad quam scilicet se per merita naturalia disponere sufficienter ità potest, ut constitutus deindè in sua naturali felicitate per universi comprehensionem, eiusdem etiam expleat exigentiam. Sed ista solutio non videtur rectè procedere; quia sic expletivum naturalis exigentiæ statuitur dependens à merito, adeòque à libertate rationalis creaturæ: quis autem hoc dicat, nisi qui simul velit asserere, à libertate eiusdem pendere, quod ignis calefaciat, quod aqua humectet, &c.

Potest igitur meliùs responderi 1. quòd fortassè comprehensio universi debetur animæ separatæ jure etiam physico creationis. Neque

verò hinc fit deberi illi eodem jure naturalem felicitatem, quæ ſcilicet non in cognitione, ſed in amore conſiſtit, ut in Ethicis probatum eſt.

2. Si hæc reſponſio non placet, nega univerſum ſui comprehenſionem exigere, ut exigit ignis calorem. cognitio enim non eſt perfectio obiecti, ſed potentiæ cognoſcitivæ: exigentia ergo naturalis, quæ eſt ad ſui perfectionem, nulla eſt in univerſo ad cōprehenſionem, ſui. Rurſus quamvis cauſa etiam efficiens exigat producere effectum ſuum in alio, id tamen non exigit ſimpliciter, ſed ſolùm, dum eſt completa, & ſufficienter applicata. quare ſi Deus ex omnibus creaturis ſolùm ignem produxiſſet, nullum eſſet in hoc miraculum, quod ignis non comburat ex defectu materiæ; aliter miraculum de facto eſſet, ſi Sol, qui probabiliter eſt igneus nihil in Cælo reperiat, quod comburat: rurſus miraculum eſſet, quòd multa ſint in Cælo viſibilia, vel audibilia, quæ tamen, quòd ſint tam longè diſſita, nec videri à nobis poſſunt, nec audiri. Idem dic de univerſo, quod ſui comprehenſionem non exigit, niſi facta ſuppoſitione potentiæ comprehenſivæ, ſed hanc ſuppoſitionem abſolutè non exigit.

Ultima demum ratio deſumitur ex Dei neceſſitate ad optimum non antecedenti, ſed conſequenti; quamvis enim Deus non ſit antecedenter neceſſitatus ad optimum, conſtat tamen, quod ſemper facit optimum. Sicuti ergo ex eo, quod ignis ſemper apud nos comburit, arguimus, quod ubique etiam comburit, & in poſterum etiam eodem modo comburet; ità quia in iis, quæ ſcimus, Deum ſemper optimum feciſſe ſcimus, rectè concludere poſſumus, optimum feciſſe in præcipuo ſuo opere, univerſo ſcilicet condendo; quod quia optimum non eſt ſine optimo gradu ſubſtantiæ immaterialis completæ, hanc etiam condidiſſe dicendum eſt.

Hæc mihi ratio difficilior cæteris est; quia non video, quo pacto, negata antecedenti necessitate ad optimum, argui legitimè possit, factum à Deo optimum universum ex eo, quòd in reliquis fecit optimum, quandoquidem ponitur Deus antecedenter non necessitatus, adeoque omninò æquilibris, & indifferens tum ad simpliciter nullum optimum faciendum, tum ad faciendum unum optimum, & reliqua non optima, tum ad facienda reliqua optima, & unum non-optimum. ergo ex eo, quòd reliqua fecit optima, nullatenus arguitur, Mundum fecisse optimum; ex antecedenti enim omnino indifferenti non licet inferre consequens determinatum.

Dices, solam inductionem quoad reliqua satis esse ad prudens judicium, quòd Mundus conditus sit optimus, non obstante omnimoda causæ indifferentia. Sic pauper solitus à Titio obtinere eleemosynam, judicat illum deinceps etiam daturum; etiamsi non advertat, quòd actuum frequentia generet habitum determinativum ad eleemosynam. Hinc Aristoteles 1. Top. c. 12. *Quacumque*, inquit, *in omnibus, vel plurimis videntur, sumendum ut principium, &c.* innuens, satis esse ad judicandum prudenter ità esse in hoc singulari, quòd in reliquis contingere jam novimus: idque habere rationem principii apud omnes inconcussi.

Sed contrà est; quia *solitum* aut in causis liberis, aut in naturalibus, nunquam est se solo argumentum pro reliquis, quorum experientia nulla est, præcisa omni determinatione antecedenti aut inclinativa, aut determinativa causæ. Et quidem in tantùm arguimus in aliis aliquid eos facturos ex solito ab iis fieri, in quantum experimur in nobis ex actuum frequentatione inclinationem ad similiter operandum; quam ipsam inclinationem arguimus in aliis. Id autem non solùm docti, sed & indocti sciunt;

quam-

quamvis hi naturam habitus perfectè non calleant. Idem valet in causis naturalibus, si Deus nullatenus tenetur, ut gubernator naturæ, ad earum exigentias secundandas; & æquè potuit ad arbitrium decernere illas secundare seu nunquam, seu semper, seu aliquando. Redit enim idem argumentum, quod ab antecedenti omninò indifferenti non licet inferre consequens determinatum. Neque valet, quod additur, ex solito deduci necessitatem Dei non antecedentem, sed consequentem, h. e. liberum decretum ità operandi. non enim video, in quo possit legitimè niti ista deductio, si liberum Deo fuit, decernere huc usque ità operari, & in posterum aliter: neque frequentia operationis ponat in Deo inclinationem specialem ad ità operandum. Hoc unum ergo voluit Philos. in Topicis, solitum sumi quidem ut principium; sed non determinat ità sumi præcisè, quia solitum, sed quia semper in solito est aliqua antecedens ad unam partem aut fallibilis, aut infallibilis determinatio.

Ex his omnibus jam apparet, substantiæ immaterialis completæ existentiam non ità naturali ratione probari, ut convincat omnino etiam protervos, probabiliter quidem id suadent positæ rationes, aliæq; quas affert D. Thomas, saltem quia magnis authoribus placuere.

CAPUT II.

An substantia immaterialis excludat essentialiter compositionem ex partibus integrantibus extensivis.

FUit antiquorum nonnullorum opinio, substantiam immaterialem constare necessariò ex partibus intensivis, aut quasi intensivis, per quas unas intelligi potest latitudo, & gradualitas perfectionis inter eiusmodi substantias. Ità

videtur sentire Cisterciensis in 1. d.8. qu. unic 2. art. 2. concl. 1. coroll. 2. pro qua citat etiam Magistrum Hugolinum in 1. d.8. art. 1. propos. 1. Hæc tamen opinio est jam antiquata; cum reliqui omnes oppositam supponant potiùs, quàm probent; idque non solùm de substantia immateriali, verùm etiam de substantia ex genere, cujus proprietas ex Philosopho est, ut magis, & minùs non suscipiat. Hac igitur opinione, ut improbabili prætermissa, venio ad opinionem Arriagæ, quam posteà Oviedus, & alii Recentiores sequuti sunt. is disp. 1. de An. sect. 4. censet spiritualem substantiam constare posse ex partibus integrantibus extensivis. pro hac sententia citat Suarium, sed perperam; nunquam enim Suarius admisit eiusmodi compositionem in spirituali substantia: imò eam expressè negat l. 1. de Anim. cap. 13. ubi statuens eam conclusionem, *Anima hominis est indivisibilis*, dicit eam sequi evidenter ex probatis c. 9. de eiusdem spiritualitate: *Divisio enim provenit ab aliqua materialitate*. Neque ex eo, quòd admittit accidentia quædam spiritualia integraliter divisibilia, unionem scilicet animæ rationalis cum corpore, & Angelicum ubi, sequitur admisisse etiam spiritum divisibilem; tum quia hinc fit ad summum debuisse admittere ex cohærentia doctrinæ: neque verò quodcumque absurdum ex alicuius Doctoris opinione deducitur, illud dicendum fuisse Doctoris sententiam. tum quia posset Suarius disparitatem afferre; cum enim afferat omnem divisibilitatem à materialitate provenire, consequens est, ut unio illa, & ubicatio à termino materiali, cui addicuntur, possint divisibilitatem haurire. non sic substantia spiritualis, quæ nulli corporeo addicta esse potest.

§. I.

§. I.

Nullam substantiam immaterialem posse partibus extensivis componi probatur.

SUbstantia immaterialis aut est omnis intellectiva, ut contendit D. Thomas, qui rationem intellectivi in immaterialitate fundat ut proprietatem in essentia, aut aliqua est saltem possibilis non intellectiva. Neutra est capax latitudinis extensivæ: quod primùm ostendo universaliter, etiam de non intellectiva, tum specialiter de intellectiva §. seq.

Et quidem si vera sunt, quæ dixi c. 1. superioris quæstionis de conceptu substantiæ materialis in partium integritate extensiva constituto, res est peracta; quam enim est certum, spiritum non posse esse corpus, tam est certum, non posse spiritum integraliter componi. Sed ea, quæ ibi sunt dicta, per ea, quæ hic sunt dicenda, confirmari malo, quam supponi.

Sic igitur arguo 1. Impossibilis est substantia spiritualis constans ex partibus intensivis, ergo & constans ex partibus extensivis. conf. prob. aut enim partes istæ extensivæ sunt invicem penetrabiles, aut impenetrabiles. si impenetrabiles, fatentibus etiam adversariis, corporeæ sunt, & materiales; nullum enim superest in iis prædicatum, per quod à corpore distinguantur. si penetrabiles; ergo sunt de se indifferentes, ut uniantur integraliter sive per intra, sive per extra. sed partes homogeneæ (quales in tali substantia essent admittendæ; extensio enim per partes similares conficitur) indifferentes ad uniri per intra, & per extra sunt indifferentes ad intensionem, & extensionem; ut enim extensio est integritas per extra, ita intensio per intra. ergo substantia immaterialis integraliter composita,

non

non minus esset extendibilis, quàm intendibilis: aut si intendibilis naturaliter non est, nec est naturaliter penetrabilis.

Respondebis fortasse, intensionem non esse quamcumque unionem partium similarium ad intra; nam etiam partes quantitatis possunt divinitus penetrari, nec possunt tamen divinitus facere intensionem. est ergo intensio unio ad intra plurium partium formæ perficientium naturaliter idem subiectum: quod in substantia immateriali completa non haberetur.

Sed contra est 1. quia saltem anima rationalis, quæ debet in ista sententia statui possibilis constituta ex partibus integralibus, esset capax intensionis, quia dicit ordinem ad subiectum. 2. quamvis hanc doctrinam posset in disparitatem afferre Thomista, apud quem intensio non est, nisi radicatio formæ indivisibilis in subiecto: ea tamen non potest uti Arriaga, qui tenet cum communi, intensionem fieri per additionem gradus ad gradum; in hac enim sententia, calor v. g. tam facit intensionem eductus, quam creatus extra subiectum; quia sic etiam habet partes penetrative coniunctas, adeòque constituentes perfectiorem qualitatem. Paritas de partibus quantitatis penetratis miraculosè non est ad rem; quia similiter deberet illa substantia habere partes unitas per intra solùm miraculosè. at probavi substantiam illam divisibilem, si impenetrabilis non est, debere esse naturaliter aptam, ut habeat partes unitas per intra.

Respondebis iterum, talem substantiam esse compositam ex partibus heterogeneis, adeoque ineptis ad faciendam intensionem.

Sed contra est 1. quia si istæ partes sunt heterogeneæ, non numero, sed specie differunt, ut alibi probavi agens de gradibus qualitatis. at quæ differunt specie non sunt nata compo-

nere

ætereunum integrale, eum potiùs ament per se stare, ac subsistere seorsim; habent enim proprias operationes, quarum sunt completum principium, nec possunt in iis juvari à partibus dissimilaribus ad aliud operationum genus inclinantibus.

Contra est 2. si istæ partes componunt extensionem jam non finitæ sunt, sed infinitæ, ut constat ex demonstratis in physicis de compositione continui. aut ergo omnes sunt heterogeneæ, aut aliquæ homogeneæ; primum non posse dici, constat ex probatis de intensione qualitatum, ubi infinitam heterogeneitatem universim exclusi ex eo, quod sic compositum non esset scibile. Alterum si dicatur, redit de illa parte composita ex homogeneis argumentum, quod vel esset impenetrabilis, vel intendibilis.

Arguo 2. omnis substantia impenetrabilis est corporea. Sed omnis substantia integraliter extensivè composita est impenetrabilis, ergo omnis substantia sic composita est corporea. Maior est adversariorum. Min. prob: non alio ex capite substantia corporea est impenetrabilis, nisi quia extensa; neque enim est impenetrabilis formaliter per se, sed per additam quantitatem. est ergo per se impenetrabilis solùm radicaliter. at radix, seu exigentia impenetrabilitatis est una compositio integralis extensiva; quia enim substantia habet partes non natas intendi, sed extendi, exigit de sua natura localem extensionem, tamquam debitam perfectionem, seu perfectionem non indifferenter, sed determinatè respectam. Rursus, quia quantitas est accidens, quod præstat extensioni ab extrinseca violentia munimen, quantitatem etiam exigit corpus, tanquam ultimum perfectionis suæ naturalis; ac debitæ complementum. Ecce quomodo ab exigentia extensionis sequitur exigen-

tia impenetrabilitatis, adeoque omnis substantia naturaliter extendibilis est etiam naturaliter impenetrabilis.

Conf. quod est naturaliter extensum, non potest respicere quantitatem, ut accidens violentum, & naturæ suæ contrarium: neque potest illam respicere per potentiam neutram indifferenter. ergo illam respicit per potentiam naturalem, ut accidens debitum. prob. 1. pars antecedentis, quia nihil est violentum passo, quod conservat perfectionem debitam passo. at quantitas est conservativa extensionis debitæ tali substantiæ. ergo non potest esse tali substantiæ violenta. prob. altera pars. 1. quia non potest respici indifferenter, quod est conservativum naturalis perfectionis. 2. quia fieret, quod aut illa substantia indifferens esset ad esse corpus, & esse spiritum, quatenus esset indifferens ad impenetrabilitatem; & penetrabilitatem naturalem: aut re ipsa neque corpus esset, neque spiritus; nam corpus est naturaliter impenetrabile cum corpore, spiritus naturaliter est penetrabilis & cum corpore, & cum spiritu: illa verò substantia neutrum haberet.

§. II.

Probatur specialiter impossibilitas substantiæ intellectivæ integraliter compositæ.

Omnis substantia intellectiva & est intellectiva, & est libera. ex utroque capite illi repugnat compositio integralis. Ex primo sic arguo. Nihil cognoscitivum obiecti indivisibilis potest esse divisibile. Omnis substantia intellectiva est cognoscitiva obiecti indivisibilis. ergo nulla substantia intellectiva

iva potest esse divisibilis. Minorem hic sup-
)no ex infrà cap. 4. probandis. prob. major.
gnitio divisibilis obiecti individui singulis
is partibus totum obiectum repræsentaret;
;que verò meliùs singulis, quàm omnibus;
ures enim cognitiones non faciunt unam me-
orem, nisi sint in eodem subiecto. Ità dum
ures homines habent singuli eandem cogni-
onem alicujus obiecti, non meliùs dicuntur
ire, quia plures sunt. Itaque substantia illa
mposita pluribus suis partibus idem sciret,
d non idcircò meliùs, ac perfectiùs ipsa sci-
t. Nunc sic arguo. Nullum totum constare
oteſt ex partibus sibi naturaliter superfluis:
: est evidens. at substantia intellectiva com-
osita habet partes ad intelligendum omninò
iperfluas; perindè enim intelligit obiectum
idivisibile per unam, ut per multas cognitio-
es. ergo substantia intellectiva composita est
npossibilis.

Deinde impossibilis est substantia intellecti-
a una composita ex pluribus omninò adæqua-
s in ratione naturæ, & principii intellectivi:
uod si negetur, nihil erit, cur de facto duæ
nimæ rationales, & duo Angeli non possint
omponere unam animam, & unum Angelum,
:qui substantia illa componeretur ex partibus,
uarum quælibet est adæquatè intellectiva ob-
:cti indivisibilis (& à fortiori obiecti divisibi-
s, ad quod cognoscendum, utpotè imperfectius,
iinùs requiritur) neque ad intelligendum una
ɔ alia iuvatur, plusquam de facto una anima
itionalis ab alia. ergo.

Conf. nam in suppositione talis substantiæ
ompositæ posset Deus uno Angelo facere per
ivisionem multos Angelos, & è converso
x multis unum per coniunctionem; sicuti
otest ex uno igne facere multos ignes, &
num ex multis. Jam peto, cur de facto
on possit Deus ex multis Angelis facere unum

An

Angelum? Hoc non accidit ratione complectionis in intelligendo; hæc enim ratio est universalis pro omni substantia intellectiva. Neque accidit ratione indivisibilitatis, qua de facto Angeli fruuntur; nam etiam qui minima naturalia virtualiter solum indivisibilia in quantitate statuunt, censent ea esse apta ad continuativam integritatem: quod debet à fortiori asserere Arriaga, qui puncta Zenonistica in continui compositionem adsciscit. Neque accidit ratione exigentiæ instrumenti organici in certa mensura ad operationes proprias exercendas; ratione cuius non possunt duæ formæ brutorum materiales ad unum constituendum assumi; Angelus enim organo ad intelligendum non utitur. deberet ergo consequenter Arriaga hoc asserere, aut asserere, quod hoc repugnat ex ratione completionis, quam quivis Angelus habet in intelligendo.

Ex libertate autem Angeli sic arguo, Impossibile ex terminis est compositum, cuius partes in eandem operationem non conspirent, sed possint habere ex natura rei operationes omninò oppositas, & invicem repugnantes, quales sunt velle, & nolle efficaciter idem. atqui Angelus integraliter compositus huiusmodi esset. ergo repugnat. prob. min. aut enim partes Angeli heterogeneæ, aut homogeneæ forent: utroque modo possent invicem dissentire, si singulæ sunt intellectivæ, ac liberæ. nam si sunt intellectivæ inæqualiter, inæqualiter sunt etiam volitivæ. posset ergo pars una bonum aliquod individui Angelici efficaciter respuere, dum illud altera pars efficaciter quærit: una amare, quod altera odit: una peccare, dum altera meretur; adeòque una beari, dum altera damnatur: quæ sanè in idem individuum cadere nullatenus possunt. hoc idem à fortiori valet, si partes sunt homogeneæ; quò enim maior est partium æqualitas, eò minor est unius ad

alte-

Iteram subordinatio in operando, adeoque mi- ior in volendo consensus.

Unum prætendi potest huic argumento effu- ium, dicendo, quòd partes illæ quantumvis iberæ, habent tamen mutuò necessariam sym- athiam, ratione cuius quod vult una, vult eo pso alia. Sed præcluditur facile ex impossibili- ate consensus eiusmodi necessarii inter liberas ausas, quæ hoc ipso quòd liberæ sunt, habent n sua potestate suum velle, & nolle. quare ex uppositione, quòd una velit, aut potest adhuc ltera nolle; atque ità consensio nulla est inter psas necessaria, aut non potest; atque ità no- itio non est in huius pleno dominio, ac pote- tate, si ad volendum ab alia volente omninò leterminatur. Hinc communiter Theologi ex- ludunt alterius Dei existentiam; duo enim Dii se invicem in operando impedirent, alte- o positionem, altero non positionem Mundi fficaciter decernente; quæ argumentatio nul- a esset, data possibilitate necessariæ inter causas iberas sympathiæ. Ex hoc tota nostra Schola eiicit decretum comitans quorundam Scotista- um. quod si nulla potest fingi sympathia Deum nter, & creaturam, quamvis creatura sit Deo per suam naturam subordinata, multo minùs nter creaturam, & creaturam. Hinc etiam ne- no est, qui fingat, Angelum, & hominem ità nter se connexos, ut quidquid vult Angelus, dem velit homo.

Ex hoc redit argumentum suprà factum, quod tale compositum constaret ex partibus om- ninò completis, adeòque ex partibus non parti- bus; quid enim singulis iis desit ad omnimodam, & ultimam naturę integritatem, si ad intelligen- dum, & volendum, quæ sunt præcipuæ, & ultimatæ intellectualis substantiæ operationes, una per aliam non completur, nec iuvatur, imò verò ad volendum, & eligendum una per aliam retardatur? ità ergo potest ex iis parti-

bus

Angelum? Hoc non accidit ratione completionis in intelligendo; hæc enim ratio est universalis pro omni substantia intellectiva. Neque accidit ratione indivisibilitatis, qua de facto Angeli fruuntur; nam etiam qui minima naturalia virtualiter solum indivisibilia in quantitate statuunt, censent ea esse apta ad continuativam integritatem. quod debet à fortiori asserere Arriaga, qui puncta Zenonistica in continui compositionem adsciscit. Neque accidit ratione exigentiæ instrumenti organici in certa mensura ad operationes proprias exercendas: ratione cuius non possunt duæ formæ brutorum materiales ad unum constituendum assumi; Angelus enim organo ad intelligendum non utitur. deberet ergo consequenter Arriaga hoc asserere, aut asserere, quod hoc repugnat ex ratione completionis, quam quivis Angelus habet in intelligendo.

Ex libertate autem Angeli sic arguo, Impossibile ex terminis est compositum, cuius partes in eandem operationem non conspirent, sed possint habere ex natura rei operationes omninò oppositas, & invicem repugnantes, quales sunt velle, & nolle efficaciter idem, atqui Angelus integraliter compositus huiusmodi esset. ergo repugnat. prob. min. aut enim partes Angeli heterogeneæ, aut homogeneæ forent: utroque modo possent invicem dissentire, si singulæ sunt intellectivæ, ac liberæ. nam si sunt intellectivæ inæqualiter, inæqualiter sunt etiam volitivæ. posset ergo pars una bonum aliquod individui Angelici efficaciter respuere, dum illud altera pars efficaciter quærit: una amare, quod altera odit: una peccare, dum altera meretur; adeòque una beari, dum altera damnatur: quæ sanè in idem individuum cadere nullatenus possunt. hoc idem à fortiori valet, si partes sunt homogeneæ; quò enim maior est partium æqualitas, eò minor est unius ad

alte-

[i]teram subordinatio in operando, adeoque mi[n]or in volendo consensus.

Unum prætendi potest huic argumento effu[g]ium, dicendo, quòd partes illæ quantumvis [l]iberæ, habent tamen mutuò necessariam sym[p]athiam, ratione cuius quod vult una, vult eo [i]pso alia. Sed præcluditur facile ex impossibili[t]ate consensus eiusmodi necessarii inter liberas [c]ausas, quæ hoc ipso quòd liberæ sunt, habent [i]n sua potestate suum velle, & nolle. quare ex [s]uppositione, quòd una velit, aut potest adhuc [a]ltera nolle; atque ità consensio nulla est inter [i]psas necessaria, aut non potest; atque ità no[l]itio non est in huius pleno dominio, ac pote[s]tate, si ad volendum ab alia volente omninò [d]eterminatur. Hinc communiter Theologi ex[c]ludunt alterius Dei existentiam; duo enim [D]ii se invicem in operando impedirent, alte[r]o positionem, altero non positionem Mundi [e]fficaciter decernente; quæ argumentatio nul[l]a esset, data possibilitate necessariæ inter causas [l]iberas sympathiæ. Ex hoc tota nostra Schola [r]eiicit decretum comitans quorundam Scotista[r]um, quod si nulla potest fingi sympathia Deum [i]nter, & creaturam, quam vis creatura sit Deo [p]er suam naturam subordinata, multo minùs [i]nter creaturam, & creaturam. Hinc etiam ne[m]o est, qui fingat, Angelum, & hominem ità [i]nter se connexos, ut quidquid vult Angelus, idem velit homo.

Ex hoc redit argumentum suprà factum, quod tale compositum constaret ex partibus om[n]inò completis, adeòque ex partibus non parti[b]us; quid enim singulis iis desit ad omnimodam, & ultimam naturę integritatem, si ad intelligen[d]um, & volendum, quæ sunt præcipuæ, & [u]ltimatæ intellectualis substantiæ operationes, una per aliam non completur, nec juvatur, imò verò ad volendum, & eligendum una per aliam retardatur? ità ergo potest ex iis partibus,

bus unus per se Angelus resultare, ut ex multis Patribus unus Senatus, quod si potest unus per se Angelus ex iis componi, quid ni de facto multi Angeli in unum transire poterunt per physicam unionem?

§. III.

Adversariorum evasionibus occurritur:

Dices 1. cum Arriaga. nihil est, cur potentia divisibilis non possit ferri cognoscitivè ad obiectum indivisibile. Malè ergo ex intellectivitate arguimus impossibilitatem Angeli divisibilis. antec. probatur; quia potentia cognoscitiva non debet universim esse in eodem ordine perfectionis cum obiecto cognoscibili; aliter potentia creata, & finita non posset cognoscere obiectum increatum, & infinitum. propiùs autem ad rem nostram, si potest anima rationalis dicens ordinem ad corpus, ut ad compartem, cognoscere Deum, & Angelos nullum talem ordinem dicentes; cur non poterit eadem integraliter divisibilis cognoscere Deum, & Angelos integraliter indivisibiles?

Hæc instantia non enervat, ne tangit quidem vim argumenti. Proportio inter obiectum, & potentiam non debet esse universim in genere entis, sed in hac ipsa ratione potentiæ, & obiecti; quæ invicem proportionentur in ordine ad operationem. Sic autem proportionata dicuntur, dum operatio potentiam non excedit. at quamvis Deus sit infinitus, non idcircò infinita est Dei cognitio, nisi ea una, quæ totam Dei cognoscibilitatem adæquat: qualis non est cognitio creata. at verò indivisibile obiectum necessariò habet indivisibilem cognitionem, & hæc indivisibilem potentiam; aliter, ut est deductum, & cognitio, & potentia

con-

constaret ex partibus omninò superfluis; æquè enim suppositum intellectivum per omnes, ac per singulas seorsim obiectum intelligeret.

Est præterea ad hoc ipsum alia non contemnenda disparitas; quia potentia finita dum operatur, non operatur formaliter, ut finita; nihil enim operatur, nisi, ut in actu; adeoque formaliter, ut perfectum, non ut imperfectum: finitum autem quà tale est imperfectum. hinc potest proportionari quoad hoc finitum infinito; tanto magis, quia infinitum non concurrit formaliter ut infinitum ad sui expressionem inadæquatam. At potentia composita qua composita perfectior est; adeoque ut composita operatur. Cum ergo ex D. Thom. 2. cont. Gentes c. 50. *Actus terminetur ad aliquid simile agenti*, qua agens formaliter est; sequitur, quod si agens qua agens sit compositum, non possit cognoscere nisi compositum.

Ad paritatem animæ rationalis, quæ licet ordinata ad corpus, ut ad compartem, cognoscit Angelum, & Deum tali ordine carentes, resp. 1. ex dictis nullam esse; quia indivisibilitas potentiæ, & cognitionis specialiter concluditur per rationem, quæ aliis rationibus applicabilis non est. Resp. 2. ex Ferrariensi loc. cit. quod anima ut intellectiva est per se subsistens, nec indigens corpore, & organo, cui scilicet non unitur, nisi ut cum eo, & in eo vegetet, ac sentiat. nihil ergo mirum, si possit intelligere obiecta carentia tali ordine, quæ non intelligit formaliter, ut dicens talem ordinem.

Dices 2. quælibet pars Angeli non esset natura totalis. ergo non rectè ex hoc deducitur impossibilitas Angeli compositi. antec. prob. 1. quia quamvis anima nostra possit de facto operari extra corpus, non idcircò natura est omnino totalis. idem ergo dici potest de iis partibus. 2. quamvis quælibet pars ignis sit

seor-

seorum operativa, non idcircò non possunt conjungi ad unum ignem integrandum. 3. posset etiam dici, quod partes Angeli sejunctæ operativæ non sunt; ut de facto diximus de igneis atomis, quæ in minima quantitate operari non possunt, adhuc ergo separatæ manerent cum indigentia compartis, adeoque non essent completæ naturæ, ut de facto est Angelus.

Nego antec. ad 1. prob. dico animam nostram non esse totalem omninò; quia licet extra corpus possit intelligere, non tamen vegetare, aut sentire. ex his ergo operationibus, ad quas comparatur, ut natura incompleta, habet, ut à corpore separata retineat incompletionem, & corporis indigentiam. at partes Angeli integrales non se complent in ordine ad unam communem operationem, sed sua cuique respondet. Ad secundam dico, partes ignis se mutuo juvare tum ad conservandas suas in se qualitates ab actione contrarii agentis; tum ad propagandam suam speciem in substantia proportionata; & idcirco unionem non admittunt modo, sed affectant. at verò illæ Angeli partes & ut liberæ se retardant, & ut intellectivæ non se juvant; cum ad intelligendum satis sit potentia, & obiectum vel per se, vel per speciem: in divisibile autem obiectum totum fit præsens cuilibet ex iis partibus. Rursus cognitio contrarium externum non habet; nec potentia cognoscitiva potest se per generationem in effectibus substantialibus propagare; nisi hoc etiam monstrum admittat Arriaga. Ad tertiam patet ex dictis, eas partes etiam seorsim esse intellectivas, ac liberas, si ad has operationes non juvantur per coniunctionem cum aliis. Deinde si illæ partes seorsim operativæ non sunt, consequens est, ut divisæ corrumpantur; qua enim alia ratione formæ omnes materiales corruptibiles sunt, animæ verò nostra incorruptibilis, nisi quia illæ extra ma-

teriam

teriam ut non possunt operari, ita nec esse; ista verò extra corpus potest esse, quia potest operari? inciditur ergo in aliud gravius absurdum, quod substantia intellectualis non esset immortalis: quo admisso, non esset, unde per physica principia animæ nostræ immortalitatem concluderemus.

Dices 3. posset adstrui substantia immaterialis, quæ habeat de sua natura partes omnes in eodem puncto loci, & simul in toto, ut est de facto Corpus Christi Domini sub Eucharisticis speciebus. in hac hypothesi partes omnes se juvarent ad eandem operationem; nec suæ singulis, sed una omnibus operatio corresponderet. Nullum autem ex factis argumentis contra substantiam immaterialem sic constitutam militat, ergo ea est possibilis.

Sed primò hæc via ducit extra quæstionem præsentem. Nam talis substantia non esset integraliter extensive, sed intensivè composita, ut patet ex iis, quæ dicta sunt in §. 1. Deinde falsum est, quod contra hanc non militent argumenta facta, præsertim quod ducitur ex libertate. Nam sicuti implicant contradictionem duæ potentiæ liberæ ita connexæ, ut, si una amorem, altera etiam amorem licet distinctum necessariò ponat: ita, & quidem à fortiori repugnant duæ potentiæ liberæ, quæ libertatem exerceant relatè ad eandem operationem amoris. Cum enim de ratione potentiæ liberæ sit dominium, adeoque prima determinatio actus, & per consequens, ut reliqua comprincipia operentur non ut determinantia, sed ut determinata; aut omnes eæ partes hoc modo operarentur eundem amorem: quod repugnat in terminis; aut una operaretur ut determinans; alia ut determinata: & sic una esset libera, non alia. Rursus de illa libera inquiritur, utrum simplex sit, an composita. Si secundum, redit eadem quæstio interminabiliter.

ter. primum est intentum, quod scilicet omnis substantia intellectiva libera sit essentialiter incomposita.

CAPUT III.

An sit possibilis immaterialis substantia ex forma, & materia spirituali composita.

VEteres Scholastici nec pauci, nec contemnendi, quos habes apud Suar. disp. 13. Met. sect. 14. num. 5. putarunt Angelos de facto compositos esse ex forma, & materia non corporea, sed spirituali. Reliqui omnes Theologi id negant de facto; multi tamen admittunt eam Angeli compositionem possibilem. Equidem cum Suar. l. cit. concl. 2. censeo probabilius eiusmodi compositionem repugnare.

Arguo enim 1. vel materia spiritualis esset addicta uni formæ spirituali; vel ad multas, aut omnes indifferens. Neutrum potest sine repugnantia dici. primum enim reiectum abundè est tom. 2. l. 1. qu. 2. c. 5. ubi probavi universim, materiam sic addictam non partem esse, sed totum, cum in ea reperiantur prædicata omnia primò rei constitutiva, & distinctiva ab omni eo, quod non est ipsa. Alterum si dicatur, hæc tria erunt consequentia. 1. quod Angelus sit generabilis, & corruptibilis. 2. quod Angelus possit Angelum generare. 3. quod possit Angelorum series, perinde ut hominum, generatione propagari. Primum probo. quoties in toto est unum constitutivum eductum, totum ipsum non est creatum, sed genitum: ut constat in homine, qui licet componatur ex materia, & anima per solam creationem productis, quia tamen unionem essentialiter eductam involvit, non creatur, sed generatur. Atqui Angelus pariter compositus

ean.

eandem unionem eductam ut constitutivam involveret. ergo Angelus pariter ut homo esset non creatus, sed genitus. Probo secundum; unde enim Angelo repugnet vis Angeli sibi in natura similis generativa? certè talis actio nec ratione termini æqualis secundum perfectionem, nec ratione modi producendi eductivè excedit Angelicam efficaciam. Probo tertium. propagatio per generationem naturalis omninò esset in ista hypotesi; nam & materia supponitur planè indifferens, & forma naturaliter separabilis; si enim hæc inseparabilis esset, non esset creata, sed educta, cum non possit naturaliter produci per actionem subiecto non affixivam illa forma, quæ natura sua petit esse in subiecto. Rursus ut istæ partes determinentur ad unionem, indigent qualitatibus propriis, ratione quarum materia ad hanc præ illa forma disponatur: & istæ quidem dispositiones Angeli generantis vim activam non superant. ergò posset Angelus Angelos, ut homo homines per generationem propagare.

At sanè inauditum hoc est, & inopinabile; quis enim pariter vetet, animam rationalem compositam hoc pacto astruere, adeoque corruptibilem, & mortalem? Deinde hæc esset generatio viventis; & tamen nullum esset, aut esse posset principium coniunctum, per quod Angelus ab Angelo in similitudinem naturæ originem traheret.

Neque dicas, vitari eiusmodi absurda, ponendo tale Angelicum compositum naturaliter indissolubile, non ratione materiæ, sed formæ; quo pacto de composito cælesti philosophantur non pauci. quod autem hinc inferebatur, talem formam non creandam, sed educendam, potest admittit, ut non absurdum. Nam contra est. 1. quia sic non tollitur, quò minùs in prima saltem sui productione Angelus

ab Angelo generativè procedere posset: & si posset, deberet; quia hoc petit naturæ ordo, ut quod possunt secundæ causæ, non præstetur adæquatè per primam. 2. Talis forma esset absolutè perfectior anima rationali, quæ inter substantias spirituales infimum locum sortitur. at si esset educta, & naturaliter addicta subiecto, esset absolutè imperfectior. quod sic ostendo. maior perfectio illius formæ suprà animam est formaliter in linea intellectivi, adeòque & viventis; quia non potest vivere imperfectiùs, quod perfectiùs intelligit. at ratio viventis involvit indivisim principium activum, & passivum motus, ergo secundum utramque istam rationem esset excessus. At rationalis animus non alia de causa est separabilis per naturam, nisi quia est adæquatum principium vitale intelligendi. ergo forma in hac ratione excedens erit naturaliter separabilis; aut si separabilis non est, non excedit.

Arguo 2. impossibile est, ut forma componat cum materia, qua nullo pacto indiget ad operandum. Sed nulla forma purè intellectualis potest indigere materia ad intelligendum. ergo nulla eiusmodi forma potest cum materia componere. maior constat; aut enim natura esset omni ex parte completa; & hanc certum est non posse componere cum materia. aut esset natura aliquatenus incompleta; & hanc certum est indigere complemento in ratione naturæ, seu principii operativi.

Min. prob. quia non potest ea indigere ad efficiendam, vel recipiendam intellectionem: nec ad recipiendas per eam species intelligibiles: nec ad aliam excogitabilem internam, vel externam operationem. ergo nullatenus potest ea indigere. prob. 1. pars antec. & quidem non ad efficiendam; sic enim materia spiritualis esset principium activum, adeòque forma. nec ad recipiendam; nam vitalitas perfecta, qualis

esset

esset in Angelica forma supra humanam, eiusmodi indigentiam excludit.

Prob. 2. pars. 1. quia etiam hoc dato, fortasse non probaretur sufficienter, formam Angelicam indigere ea materia, ut comparte, nam compars materialis debet formalem iuvare ad recipiendas proprietates intrinsecas, ac debitas. at species nec est proprietas intellectus, sed potiùs obiecti, adeoque non manans ab intrinseco, sed proveniens ab extrinseco: nec est de sua ratione intrinseca intellectui; quia non requiritur, nisi ut coagens: agens autem de suo conceptu non debet esse forma. Deindè illud est subiectum connaturale specierum, in quod naturaliter petit agere obiectum, ut intelligatur. atqui obiectum, ut petit intelligi ab intellectu, ità & petit in ipsum agere, non in materiam, à qua intelligi non potest. Et quidem species est obiecti vicaria. ergo cum eo debet conjungi species, cum quo coniungeretur obiectum, si illud immediatè concurreret ad sui cognitionem. obiectum autem non cum materia, sed cum intellectu conjungeretur. Accedit, quod intellectus Angelicus humano longè perfectior, si per se non esset natus suas sibi species sustentare, separatus à sua materia non posset intelligere, adeòque nec esse: in quo foret longè imperfectior humano. Postremò vel intellectus ille esset incapax recipiendi naturaliter eas species ex defectu virtutis, vel ex defectu proportionis. non potest dici primum; quia nulla virtus requiritur ad sustentandũ cum sit sustentatio materialis, non efficientis causæ exercitium. nec secundum; quia species merè intelligibilis cum sit spiritualis, non potest ullam improportionem habere cum spirituali subiecto.

Prob. 3. pars; non enim potest fingi probabiliter alia operatio, ad quam talis materia opus esset, nisi motus localis. operatio enim

transiens in distinctum subiectum non est ad rem; quia ordo præcisus ad ejusmodi operationes naturam non constituit, quæ definitur per principium motus eius, in quo est. atqui materia non potest esse Angelo necessaria ad motum. 1. quia si anima separata potest localiter moveri, quid nì pariter poterit forma Angelica separata? 2. De facto arguimus animam separatam moveri, quia dum est in corpore, ipsa est, quæ movet & se corpus; adeòque potest à fortiori movere se unam. eadem planè ratio militat in Angelica forma, quæ cum sola sit principium activum in Angelo, ipsa erit motiva ab intrinseco & sui, & materiæ; & per consequens erit adhuc motiva sui, dum est à materia separata.

Dices. potest materia esse necessaria formæ non ad operandum, sed ad essendum, & tanquam complementum non virtutis, sed substantiæ. non ergo probatur sufficienter impossibilitas spiritualis materiæ, quia non potest forma ea indigere ad operandum.

Nego antec. cuius falsitas abunde ostensa est huius lib. qu. 1. c. 3. ex Phil. 1. de Anim. t. 13. Et quidem si in natura esse, & esse substantiam, & esse naturam idem omninò sunt, non potest intelligi, quod sit natura completa, & non habeat esse substantiale completum. at quod est completum principium operativum, est completa natura, quæ per tale principium definitur. Accedit, quòd ut ait D. Thom. 1. p. q. 50. art. 3. *Operatio cuiuslibet rei est secundùm modum substantiæ ejus. intelligere autem est operatio penitus immaterialis*, h. e. nulla materia indigens. ergo substantia, quæ est ejus principium, est penitùs immaterialis, h. e. cum nulla materia componens, si aliam operationem, præter intelligere, non habet.

CA-

CAPUT IV.

An omnis substantia intellectiva sit obiectivè illimitata in cognoscendo.

NOn est quæstio de illimitatione in modo, ac perfectione cognoscendi; sic enim extrà dubium est, solum intellectum divinum esse illimitatum. Lis est igitur de illimitatione circa obiecta; & quæritur, utrum quilibet intellectus sit cuiuslibet entis cognoscitivus; an verò dabilis sit intellectus ad certa entium genera, vel species limitatus, quemadmodum limitatus est sensus. In qua re Arriaga pro more liberalis in danda possibilitate iis omnibus, in quibus ipsi evidenter, imò ex terminis impossibilitas non apparet, intellectum modo dicto limitatum possibilem asseruit. Sed in oppositum est communissimus aliorum sensus, præsertim D. Thomæ, qui 2. contrà Gentes c.98. *Est*, inquit, *proprium obiectum intellectus ens intelligibile, quod quidem comprehendit omnes differentias, & species entis possibiles*: Et infrà: *Ex hoc autē, quòd substantia aliqua est intellectualis, comprehensiva est totius entis*. Scotus etiam in Repert. lib.1.dist.36. qu.1. §. *Quod ità sic*, assumit ur certum, quòd *Omnis intellectus est totius entis aliquo modo cognoscibilis*. idemque supponunt alii passim. Hanc ipsam ego sententiam verissimam puto, & pro ea

Arguo 1. omnis intellectus est ad ens sub propria, & formali entis ratione, ergo omnis intellectus est ad omne ens; adeoque impossibilis est intellectus limitatus ad certum ens. antec. prob. 1. iis omnibus rationibus, quibus in Logicis probavi, nihil posse ab intellectu attingi, quin illud formaliter, ut ens appareat. Et quidem quid potest intelligere, quid explicare, quid definire, qui, ens quid sit, ignorat,

rat, & in eo primam notionem ignorat; per quam cæteræ notificantur. Hinc D. Th. 1. 2. q. 94. art. 2. o. testatur, quod *Entis intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit*. 2. Est de ratione intellectus, ut suprà sensus imperfectionem evadentis. posse de objecto suo judicium ferre. atqui nullum est possibile judicium, entis ratione ignorata; neque enim potest hoc de illo affirmari, dicendo, *hoc est illud*, nisi à sciente, quid sit identitas, ut dictum in superioribus est: identitas autem est eadem entitas. ergo quicumque judicat, ignorare ens, entitatemque non potest. 3. Omnis intellectus aliquid scire potest, at nemo scire quidquam potest, qui primum principium suprà entis, & non entis rationes fundatum nescit. ergo omnis intellectus ens scire potest. Maneat ergo, quòd omnis intellectus tendit ad ens sub propria, & formali entis ratione.

Prob. jam consequentia primi enthymematis. Omnis potentia ferri potest ad omne id, quod participat rationem ab ipsa formaliter attactam, in quantum illam participat. Sic oculus potens cognóscere lucem, potest, quodcumque lucem natum est terminare, ac participare: & intellectus, juxtà Arriagam, limitatus, si posset cognoscere rationem hominis, posset cognoscere omne individuum humanum, in quantum eius rationis participativum. Sic & voluntas si potest ferri ad bonum suum, potest & ferri ad quodcumque obiectum, quod est bonum suum, in quantum tale. Atqui nulla est ratio sub ente, quæ etiam in quantum talis formalitatem entis non participet. ergo si omnis Intellectus ad rationem formalem entis se extendit, debet posse se extendere ad omnia, quæ sub ente continentur.

Dices, dum assumitur, intellectum tendere ad ens, vel ens accipitur pro ratione abstracta, & in suppositione simplici, atque ità

nihil conficitur; solùm enim inde fit, omnia posse ab intellectu cognosci sub entis ratione confusa, vel accipitur ens in suppositione personali distributiva; & est petitio principii.

Resp. accipi ens abstractum, & in simplici suppositione: ex quo conficitur, non solùm posse cognosci omnia confusè in ente, sed etiam distinctè in se, adeoque posse cognosci ens in suppositione personali distributiva; nam tale ens cum sit ens in sua ipsa taleitate, habet in ea rationem formalem, ad quam est potentia; adeoque inter eam taleitatem, & potentiam non potest esse improportio in ratione cognoscibilis, & cognoscitivi. quòd si in taleitate sit excessus, solùm fit, ut potentia debeat ulterius roborari per speciem meliorem, non verò quod simpliciter ad illam attingendam assurgere non possit.

Arguo 2. omnis intellectus est cognoscitivus sui. ergo omnis est cognoscitivus Dei. ergo omnis est cognoscitivus omnis entis, antec. prob. non potest intellectui deesse perfectio, quæ competit sensui. at sensus aliquo, imperfecto licet, modo in se reflectit, sensus, inquam, non externus, sed internus: quod arguimus ex appetitu elicito consequente, qui est ad bonum sui cognitum ut tale, adeoque supponit aliquam cognitionem sui. Præter hæc in omni intellectu est memoria, quia hæc ab intellectu non distinguitur, nisi quia illi superaddit conservationem specierum ab actibus relictorum; & nullus est intellectus, in quo species intelligibiles spirituales, carentesq; contrario non petant conservari. atqui omnis memoria involvit cognitionem sui; quia non solùm est de præterito, sed etiam ut à se olim cognito.

Prima conseq. prob. intellectus in hoc differt à sensu, quod hic nonnisi accidentia, intellectus substantiam ipsam penetrat. quare sensus non transcendit intuitivam meram, intellectus

ad quidditativam etiam cognitionem pertingit. intellectus ergo se cognoscens, & quidem evidenter, suam eo ipso contingentiam novit; scit enim se non semper fuisse: quod autem aliquando fuit, & aliquandò non fuit, contingens ex terminis est. novit ergo se à se non esse, sed ab alio, & rursus non ab alio contingente, sed necessario; novit ergo jam Deum sub nomine entis necessarii, & suppletivi contingentiæ suæ in essendo. rursus potest de Deo prædicata saltem negativa cognoscere, removendo scilicet omnes imperfectiones, quæ propter contingentiam sibi competere experimentaliter scit.

Altera conseq. prob. omnia enim potest cognoscere, qui Deum cognoscit; tum quia qui potest maius, debet etiam posse minus, quoties minus includitur in maiori: Deus autem est maximum obiectum cognoscibile, in se includens rerum omnium cognoscibilitatem cum infinito excessu. tum quia infinita Dei perfectio abstractivè innotescens certificat intellectum de infinita eiusdem potentia, & activitate, videt autem intellectus ille, quòd si Deus non posset, nisi se, infinitè potens non esset; quia non est infinita potentia, quæ termino tam angusto concluditur. certificatur ergo simul, esse infinitos terminos, ad quos potest Deus activitatem suam extendere. cognoscit ergo simul saltem confusè omnes terminos omnipotentiæ possibiles. eiusdem autem est potentiæ & confundere, & distinguere, ut patet generali inductione.

Arguo 3. specialiter pro intellectu separato. Eiusmodi intellectus est necessariò sui comprehensivus. ergo est simul aliorum omnium à se cognoscitivus. antec. prob. comprehensio est adæquatio potentiæ, & obiecti, adeoque est effectus naturalis potentiæ tantundem cognoscitivæ, quantum est obiectum cognoscibile.

atqui

atqui in intellectu separato tanta est vis cognoscitiva, quanta est eius cognoscibilitas; cum enim utraque fundetur in eiusdem rei indivisibilis perfectione entitativa, constat non posse esse aut alias, aut inæquales. Conf. nam ex hoc capite cognitio Dei de se ipso comprehensiva est; quia cognoscitivitas divina non potest non esse æqualis divinæ cognoscibilitati, si in eadem Dei perfectione infinita utraque radicatur. Ex hoc etiam puto, quòd intellectus noster est sui comprehensivus, non tamen conjunctus, sed separatus; coniunctus enim impeditur à sui comprehensione propterea, quòd vires cognoscitivas dividere cogitur inter intellectum & sensum.

Prob. jam consequentia; ex comprehensione enim sui primò sequitur, quòd nullus est possibilis intellectus separatus, qui sui dumtaxat cognoscitivus sit, quod ostenditur; quia eo ipso, quod adæquatur cognoscibilitas obiecti, debet non solùm cognosci obiectum, sed alia etiam, ad quæ potest obiectum vi nativa intentionaliter movere. Rursus qui comprehendit obiectum A, debet posse supercomprehendere omnia obiecta inferiora, & cognoscere omnia superiora. probo primum, quia non potest esse potentiæ improportionata cognitio æqualis illi, quæ est naturaliter debita. at supercomprehensio inferiorum est æqualis comprehensioni sui. ergo. ex hoc ipso prob. 2; quia cognitio inadæquata superiorum esse potest æqualis adæquatæ cognitioni sui. Conf. quia eiusmodi cognitiones non possunt comparari, ut disparatæ perfectiones; itàut ab una ad aliam non teneat consequentia. cum enim in illo intellectu se comprehendente sint perfectiones, secundùm quas cum aliis omnibus convenit, & perfectiones, secundùm quas differt; consequens est, ut ubicumque perfectiones communes reperit, possit ad illas pariformiter tendere. perfectio-

M 5 nes

nes autem aliorum proprias poterit saltem abstractivè, confusèque cognoscere, quatenus suum intelligens distinctivum, intelligit simul esse in aliis rationem propriam, quæ substantias illas à sua formaliter secernit.

Arguo 4. de facto intellectus noster est ad omne ens, ergo idem dicendum de alio quocumque intellectu præsertim separato. de antecedente nemo est, qui dubitet. conf. prob. 1. inquirendo ab adversariis, unde sit communis ista persuasio de nostro intellectu obiectivè illimitato? Certè id non est ab experientia; quia nemo expertus est, intelligere se omnia. quis scit ergo, an in serie possibilium sit aliquod obiectum, ad quod planè cæci scimus? quod si hoc omnes negant, quid quæso rationis habent, cur negent? aut enim id fundant in ratione intellectus: & habeo intentum; quandoquidem commune id erit omni intellectui. aut id fundant in ratione talis intellectus: & assignent, si habent, speciale prædicatum, ad quod universalis ista intellectivitas consequatur.

2. Omnes præsumunt, & est indubium, intellectum separatum habere altiorem modum intelligendi, quàm intellectus noster coniunctus, qui cogitur rerum notitias emendicare à sensibus: & idcircò ad spiritualia caligat, quæ scilicet cum dependentia à phantasmate, & ad modum corporum cogitur intelligere. Quòd si intellectus adeò imperfectus adhuc universalis est, quantò magis intellectus omnino perfectior, qualis est separatus? & si nos possumus à notis ad ignota procedere; quantò magis Angeli, quibus quæcumque sunt nota, perfectissimè sunt nota? Neque opponas, suppleri in Angelis universalitatem obiecti per maiorem perfectionem cognitionis. Contrà enim est; quia non video, quo pacto suppleri possit per quid melius capacitas nostri intellectus relatè ad totum ens; qua scilicet habet, ut possit, adiutus sal-

saltem per species sive debitas, sive indebitas, omnes rerum naturas per maiorem, meliorem, que cognitionem pervadere. Da intellectum inelevabilem ad Dei visionem: certè quantumcumque perfectissimus ille sit in naturali cognitione, ad quam unicè potest assurgere, ne comparabilis quidem est cum perfectione, quam habet de facto intellectus meus elevabilis per gratiam ad claram Dei intuitionem.

3. Ex hac ipsa perfectione elevabilitatis intellectus nostri ad visionem Dei sic arguo. Omnis intellectus elevabilis ad Deum videndum est intellectus in cognoscendo universalis. Sed omnis possibilis intellectus elevabilis est ad Deum videndum. ergo omnis possibilis intellectus est in cognoscendo universalis. Maior prob. nulli potentiæ cognoscitivæ limitatæ potest esse proportionatum medium illimitatum quà tale: Deus autem & est per suam omnipotentiam, eminenter omnia continentem, medium, in quo omnia cognosci possunt: & qua omnipotens, continensque in sua virtute omnia proponitur immediatè intuenti se. Nullus ergo intellectus potens assurgere ad ipsum intuendum, est impotens omnino ex parte sua ad obiecta in Deo contenta cognoscenda: min. autem primi syllogismi prob. 1. quia omnis intellectus est beatitudinis capax: nulla autem beatitudo nisi in Dei possessione, quæ vel est Dei cognitio, vel Dei cognitionem supponit. omnis ergo intellectus potest Deum saltem abstractivè cognoscere; at vis cognoscendi obiectum abstractivè est vis inchoata idem cognoscendi intuitivè. jam enim tale obiectum statuitur intrà sphæram intellectus, qui proinde potest ad illud meliùs, meliùsque cognoscendum extendi, si magis, magisque roboretur. Prob. eadem min. 2. quia Theologi, & Patres non aliam rationem afferunt elevabilitatis intellectus nostri, nisi quia in eo est Dei, ac Tri-

nitatis imago. satis omnium instar sint D. Th. & August. ille quidem 2.2. qu. 25. art. 3. ad 2. *Similitudo*, inquit, *vestigii non dat capacitatem vitæ æternæ, sed similitudo imaginis*. hic verò 14. de Trin. loquens de anima humana: *Eo ipso*, inquit, *imago Dei est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest*. quòd autem imago Dei, & Trinitat s sit in omni intellectu possibili, constat ex eo; quòd ratio ista imaginis reponitur in memoria, intellectu, & voluntate, quæ quidem omni intelligenti communia sunt. & quia memoria, & voluntas fundantur in intellectu, in solo intellectu rationem imaginis agnovit Augustinus 12. de Civ. c. 13. iis verbis: *Fecit ergo Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. talem quippè illi animam creavit, qua per rationem, atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus.*

LIBER TERTIUS METAPHYSICÆ.

De Subſtantia increata.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, & Eſſentia increata Subſtantia.

CAPUT I.

Utrum per ſe nota, an demonſtrabilis ſit Dei exiſtentia.

Mitto diſtinctionem propoſitionis per ſe notæ in per ſe notam quoad ſe, & quoad nos, quam in Logicis reprobavi; & inde ſumo propoſitionis eiuſmodi notionem, quod ſit ea ſcilicet, quæ ex propriis terminis cuilibet ratione utenti eſt naturaliter nota ſine indigentia notitiæ alicuius extrinſeci. Hoc ſanè pacto propoſitio *Deus eſt* non eſt per ſe nota. Ita D. Thom.1.p.q.2.ar.1. & poſt ipſum reliqui Theologi paſſim.

Prob. 1. ex hoc ipſo Doctorum conſenſu. evidentia prima, & immediata eſt obiectum, aut obiecti qualitas cadens ſub experientiam noſtrorum actuum intellectivorum, ut lux cadit ſub oculorum experientiam. quemadmodum ergo evidens eſt lucem non eſſe, ubi nullus eam oculus videt: ita eſt manifeſtum, evidentiam primam non eſſe, ubi nemo doctus, intelligens quamvis, penetransque intimè terminos,

minos, eam experitur. tantò magis, quod dum quæritur, utrum ea evidentia sit, re ipsa quæritur, utrum appareat; hoc enim est, propositionem esse per se notam, ita nobis apparere, ut ex præcisa terminorum intelligentia se, suamque veritatem intellectui manifestet. Atque hęc probatio efficacior multò videtur, quàm quæ ducitur ex eo, quod multi negarunt Dei existentiam. propositio enim per se nota negari potest à non penetrantibus terminos: quales potuerunt esse Athei. Sed fieri non potest, ut propositio per se nota ab omnibus, aut ferè omnibus negetur esse per se nota. neque enim potest dici, quod omnes, aut ferè omnes terminos non penetraverint; præsertim cum ii, qui id negant sint prima Theologiæ Scholasticæ capita.

Prob. 2. ratione, quam insinuat Scotus in 1. d.2.q.2. §. *ideo aliter*. De subiecto habente notionem compositam non potest innotescere existentia, nisi innotescat compossibilitas rationum subiectum componentium. Hoc sanè evidens est; quia non potest innotescere existentia, de quo non innotescit possibilitas; quæ in perfectionum, prædicatorumque rei convenientia, & compossibilitate consistit. Atqui Deus non habet apud nos pro hoc statu conceptum simplicem, sed compositum ex pluribus rationibus. Hoc etiam est certum; cum enim Deum non cognoscamus, nisi ex prædicatis, & perfectionibus, quas videmus in creaturis, semper sumimus rationem aliquam communem Deo, & creaturis, ut rationem entis, substantiæ, intellectivi, &c. cui addimus aliam rationem Dei à creaturis distinctivam, & hanc vel positivam relativam: ut cum ipsum dicimus primam omnium contingentium causam; vel positivam absolutam: ut cum ipsum dicimus intelligentem per suam substantiam; vel negativam; ut cum ab ipso removemus imperfectiones

nes in creaturis repertas, eumque nominamus infinitum, immensum, &c. Ex his consequens est, non posse de Deo per se existentiam innotescere, nisi per se innotescat talium perfectionum compossibilitas. Atqui eiusmodi compossibilitas non potest per se innotescere; cum enim prædicatum commune Deo, & creaturis, quod unum potest perfectè à nobis cognosci reperiatur sine prædicato Dei proprio, non potest certificare de compossibilitate sui cum tali prædicato. Rursus prædicatum Dei proprium cum valdè imperfectè nobis innotescat, & nonnisi per creaturas ipsas, in quibus non reperitur; nec poterit intellectum nostrum reddere omnino certum de sui compossibilitate cum prędicato illo communi.

Dices: illud est per se notum, quod qui negat sibi in terminis contradicit. atqui perceptis terminis, nemo potest negare Deum esse, quin sibi contradicat. ergo Deum esse est per se notum. Min. prob. nomine Dei venit ens necessariò existens: ens, quo melius fingi non potest: ipsa essentia veritatis. at primò qui negat ens, quod habet existentiæ necessitatem, existere; evidenter loquitur pugnantia; quod enim non existit, aut contingens est, aut impossibile: ex his autem utrumlibet repugnat enti necessario. Rursus existens meliùs est non existente. Si ergo ens, quo melius fingi non potest, non existit, jam non est ens, quo melius fingi non potest. Postremò qui negat existere veritatem, hoc ipsum esse verum enunciat, non existere scilicet veritatem, adeoque affirmat simul, & negat existentiam veritatis.

Nego minorem; ad cuius primam, & secundam probationem dico, contradictionem esse, si negetur existentia de iis notionibus sumptis ut possibilibus: sed eæ notiones ab Atheo non sumuntur ut possibiles; adeoque nulla est in terminis contradictio. exemplum habes in his

aliis propositionibus: *Creatura necessariò existens existit: Creatura qua melius nihil fingi potest, existit:* quas propositiones nemo astruet per se notas, non ex alia ratione, nisi quia in subiectis sumuntur prædicata incompossibilia; adeoque propositiones sunt de subiectis non supponentibus. Idem planè Atheus assumit de subiectis propositionum in argumento relatarum. Sed de hac re magis ex professo agam cap. sequ. tertia probatio nullam habet difficultatem; qui enim negat Deum sub conceptu veritatis existere, non negat omnem omninò veritatem existere, sed illam solam obiectivam veritatem, quæ si esset, prima esset, & summa veritas, omnesque alias veritates obiectivas formaliter, aut eminenter in se coadunans.

Jam verò quamvis Deum esse per se nobis innotescere non possit, potest tamen evidenter per demonstrationem sciri. Hoc tam est certum, ut sententia, quam tuetur Rabi Moyses apud D. Thom. qu. 10. de Ver. art. 12. & Petrus de Aliaco apud Suar. in Met. disp. 29. sect. 2. à D. Thoma dicatur manifestè falsa, à Theologis apud Suarium id approbantem damnetur ut erronea, & quidem præter Patres unanimiter testantes naturalem esse Dei cognitionem, Sap. 13. habetur: *A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator eorum videri.* Videri autem non dicuntur, nisi quæ perspicua sunt, & manifesta. Et ad Roman. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit, invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ratio etiam id ostendit 1. quia non potest natura deficere in necessariis. Sed si Dei evidens cognitio facilè parabilis cuique non esset, natura deficeret in maximè necessario; ad vitæ enim honestatem, ac felicitatem sine Dei cognitione pervenire non potest.

Præterea omnis creatura, quæ Dei est effectus, adeoque cum Deo essentialiter connexa, nata est & se, & Deum intellectui manifestare: imò verò ad hunc ipsum finem per suam naturam ordinatur. ex quo sic arguo: illud est demonstrabile, ad quod cognoscendum datur medium saltem à posteriori connexum, eiusque naturaliter manifestativum. Sed ad Deum cognoscendum omnia creata sunt eiusmodi media, ergo Deus, eiusque existentia demonstrabilis est.

Demonstrabilis autem Deus est à posteriori, & per effectum, non à priori, & per causam. Nam neque per causam physicam, neque per causam metaphysicam. non per physicam; quia primæ causæ nulla esse potest realis causa. non per metaphysicam. 1. quia existentia clauditur in prima Dei notione, juxta illud Exodi: *Ego sum, qui sum*. prima autem rei notio non potest per aliam priorem probari: 2. quia vel ratio divina, quæ prior methaphysicè esset existentia, intelligeretur actu, & exercitè Deo competere, vel non. Si primum, jam intelligeretur in Deo existentia ante existentiam; hoc enim est existere, habere prædicata exercitè convenientia. Si secundum; jam non potest per eam probari existentia Dei; quia impossibile est, prædicatum posterius actu competere, & exercitè subiecto ex vi prædicati prioris præscindentis ab hoc, quod actu, & exercitè competat, vel non competat. Sic quia rationalitas non certificat intellectum, quod actu homini conveniat, non potest risibilitatem probare, ut actu homini convenientem.

CA-

CAPUT II.

Reiicitur duplex ratio minùs efficax, qua Dei existentia à nonnullis probatur.

OPtimæ causæ, qualem in præsenti ago, obest sæpè non parum probatio mala, pretium erit operę, si reiiciam priùs quæ inefficaciter Deum probant, rationes: tum eas proferam, quæ verè demonstrant.

Prima ratio inefficax est, quam affert de suo Cartesius tum p. 1. princip. philos. à nu. 18. tum in Meditat. 3. quamquam post multa hinc inde obiecta, & soluta dupliciter proponit Geometrico, ut ait, more dispositam.

Primò sic. *Idem est dicere aliquid in rei alicujus natura, sive conceptu contineri, ac dicere ipsum de ea re esse verum. atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur. ergo verum est Deum existere.*

Secundò sic. *Realitas objectiva cujuslibet ex nostris ideis requirit causam, in qua eadem ipsa realitas non tantùm objectivè, sed formaliter, vel eminenter contineatur. habemus autem ideam Dei, hujusque ideæ realitas objectiva nec formaliter, nec eminenter in nobis continetur, nec in ullo alio præterquam in ipso Deo potest contineri: ergo hæc idea Dei, quæ in nobis est, requirit Deum pro causa, Deusque proinde existit.*

Sed primus modus proponendi rationem Cartesianam desumptam ab idea coincidit, aut coincidere debet, ut aliqua sit, cum ratione probante Deum esse ex notione optimi mox reiicienda. Dico igitur, hanc appellari à Cartesio demonstrationem, quia non distinguit inter definitionem quid nominis, & quid rei. *Deum esse ens necessariò existens* admittitur ab Atheo, ut definitio quid nominis: negat tamen Atheus esse rem, cui illa definitio conveniat.

niat. dum ergo dicitur in maiore *idem est dicere, &c.* sensus esse debet, ut vera sit, quod, dum est res, de cuius notione est prædicatum A; evidens est, illi actu competere prædicatum A. Ex quo id unum consequens est, quod si Deus est, necessariò est: at non concluditur absolutè Deum esse; quia potest concipi subiectum, in cuius notione involvatur existentia, & illud tamen esse chimæricum; ut videre est hoc termino, *Ens majus, & perfectius Deo*: & in hoc alio, *Creatura omnem perfectionem involvens*.

Alter modus probandi Deum minùs adhuc concludit. Realitas enim obiectiva ideæ vel stat pro entitate cognitionis, quam de Deo concipimus, vel stat pro obiecto ipso, nimirum Deo, non secundum; tum quia Deus non requirit causam, in qua contineatur; tum quia sic in minore dum assumitur realitas obiectiva ideæ divinæ, assumitur Deus, adeoque committitur fallacia petitionis principii. non primum; quia tota perfectio conceptus simplicis quam de Deo pro hoc statu formamus, cum non sit immediatè à Deo, ut ab obiecto, est à creaturis, quibus mediis Dei notionem concipimus.

Deinde peto, utrum idea, de qua loquitur Cartesius, sit merè apprehensiva, an judicativa. Si loquitur de apprehensiva, argumentum probat, nullum esse conceptum simplicem chimæricum; sit enim conceptus substantiæ supernaturalis, infiniti clausi, &c. jam de realitate obiectiva eiusmodi conceptus formari potest idem argumentum, eaque concludi possibilis. Si verò loquitur de judicativa, negabit Atheus esse realitatem obiectivam huic correspondentem; hanc enim assumere est assumere tale judicium esse verum; non potest autem id assumi ab eo, qui hoc ipsum vult demonstrare.

Quod

Quod autem addit alibi Cartesius (quodcumque clarè, & distinctè percipimus, non potest non esse ut percipimus; Deum autem clarè, & distinctè percipimus ut ens necessarium. ergo Deus verè est ens necessarium (nihil valet; maior enim est evidenter falsa, si loquatur de simplici perceptione, qua nobis innotescit etiam chimæra. Si verò loquatur de perceptione composita, vera est; quia hoc pacto nobis innotescunt principia. Sed falsa est in hoc sensu minor, sic enim hæc propositio, *Deus est*, esset propositio per se nota: quod nec vult ipse Cartesius, dum eam demonstrare contendit.

Altera ratio inefficax qua utitur P. Antonius Perez, aliique Recentiores post ipsum, ita se habet. Nullum bonum est chimæra. Sed ens carens omni defectu est bonum. ergo ens carens omni defectu non est chimæra. ergo est possibile. ergo necessariò existens. ultima hæc consequentia est evidens, quia inter cæteras perfectiones illi enti convenientes est necessitas existendi. Maior item est evidens; quis enim nisi stultus chimæram bonis annumeret? Min. etiam videtur in suis terminis nota; quia ut defectus est malus, sic bona est eius carentia.

Aliter sic proponitur argumentum, quod potest etiam probare minorem primi. Nulla res est imperfecta, quia non est chimæra. Sed omnis res est imperfecta, quia non pervenit ad carentiam omnis defectus. ergo carentia omnis defectus non est chimæra. ergo ut prius.

Conf. ex conceptu perfectionis simpliciter simplicis, quæ scilicet in sua ratione formali imperfectionem non involvit. Perfectio huiusmodi nec potest ipsa esse impossibilis, nec potest esse incompossibilis cum aliis similibus perfectionibus; utrumque enim dicit imperfectionem, quam excludit à suo conceptu perfe-

ctio

ctio simpliciter simplex. ergo possibile est ens, in quo omnes eiusmodi perfectiones sint coadunatæ.

Si hoc argumentum demonstrat existentiam Dei demonstrat pariter existentiam Trinitatis, quam tamen omnes Theologi negant demonstrabilem naturaliter. pro eo enim termino *Ens carens omni defectu*, sume hunc alium, *Trinitas carens omni defectu*; & sic argue: *Nullum bonum est chimæra: sed Trinitas carens omni defectu est bona. ergo non est chimæra; adeoque est possibilis*. Quin etiam demonstrabis existentiam Quaternitatis Personarum in Deo, assumendo hunc alium terminum, *Quaternitas carens omnī defectu*: & procedendo, ut procedit argumentum. quod si istæ demonstrationes non sunt, sed sophismata, sophisma erit, non demonstratio argumentum Perezianum.

Directa responsio facilè ostendit; in argumento esse petitionem principii, qualem probavi esse in argumento Cartesii. aut enim *ens carens omni defectu* sumitur in minore secundùm significationem, & secundùm quid vocis: atque ita vera est minor; sed nihil concluditur; quia solùm fit sensus, quod in explicito conceptu importato per eas voces nihil habetur, quod non sit bonum, præscindendo, utrum sit, necnè res, cui talis conceptus re ipsa conveniat. aut *ens carens omni defectu* sumitur secundùm suppositionem, & secundùm quid rei; atque ita falsa est per Atheum minor, utpotè de subiecto non supponente; imo involvente non quidem in actu signato, sed exercito repugnantiam.

Ad alterum modum proponendi negatur minor. & si urgeas, petendo, cur res sit imperfecta; respondet Atheus; quia deest illi perfectio reperta in altero ente creato perfectiori: & quia in his est progredi in infinitum, nullum

est

est perfectissimum, adeoque nullum imperfectum.

Ad conf. similiter respondetur ab Atheo, quod conceptus perfectionis excludentis omnem imperfectionem datur solùm in mente nostra, non autem in ulla re; quia cum res omnis ab eo supponatur contingens, & creata, omnis supponitur imperfecta; adeoque omnis perfectio supponitur re ipsa imperfecta. fit ergo transitus à significatione ad suppositionem, à quid nominis ad quid rei, ab actu signato ad exercitum, à puta perfectione sumpta præcisivè ad eandem sumptam exclusivè.

CAPUT III.

Dei existentia demonstratur à posteriori.

HÆc una jam superest via, ut Deum esse demonstretur, demonstratione non *propter quid*, sed *quia*. Et quidem hanc unam rectam esse, argumento est, quod non aliam D. Thomas, veteresque Theologi ingressi sunt.

Prima igitur, eademque evidentissima demonstratio habetur ex contingentia effectuum Creatorum; unde concluditur existentia entis non creati, nec contingentis. dantur enim in natura contingentes effectus, qui ita nunc sunt, ut antea non fuerint; ut est cuique evidens, non solum physicè in effectibus extra se, sed plusquam physicè in cognitionibus, & electionibus, quas de novo experitur in se. ergo est in natura ens ab ipsis distinctum, cuius virtute ponantur. conf. est evidens primò ab impetu naturali, quo, dum videmus effectum de novo positum, inquirimus causam ab eo contradistinctam; nec acquiescimus reponenti pro causa effectus effectum ipsum. 2, quia evidenter non cohærent aseitas, & contingentia; ut capite sequenti constabit, ubi ex aseitate

omnes

omnes divinæ perfectiones demonstrativè inferentur. Pergo, aut causa talis effectus ipsa quoque est contingens, aut necessaria. Si necessaria, habeo Deum, ens scilicet necessarium nec contingens, nec creatum. Si contingens, ipsa quoque eget causa distincta. vel ergo ibitur in infinitum, aut devenietur ad duas causas se mutuo causantes, aut dabitur causa necessaria, & incausata. at prima duo membra afferi sine contradictione non possunt. ergo ultimum est verum, & afferendum. prob. prima pars subsumptæ. processus enim infinitus in causis per se subordinatis, h.e. per se necessariis ad effectus cuiusque productionem repugnat. quia pro uno ente necessario ab Atheis excluso, tenentur admittere infinita entia necessaria subordinata. da enim, quod illæ causæ non necessariæ sint, sed contingentes, jam possunt omnes non fuisse. da iterum, quod non fuerint; jam impossibile est, quod fuerint; quia nec potuerunt esse sine causa, & ultra omnes non est per Atheum causa. Altera pars eius subsumptæ demonstrata est in physicis, ubi de impossibilitate mutuæ prioritatis in causis.

Accedit, quod etiam admisso progressu in infinitum in producentibus, & productis, vis argumenti non minuitur, sed roboratur. Sic enim arguo. quilibet effectus contingens est sibi omninò insufficiens ad essendum. ergo si in infinitum multiplicentur similes effectus, non minuitur, sed augetur insufficientia. conseq. est evidens; insufficientia enim addita insufficientię & non potest facere sufficientiam, & auget insufficientiam. sic paupertas addita paupertati, & ignorantia ignorantiæ, auget paupertatem, & ignorantiam; nec potest facere vel divitias, vel sapientiam. atqui ratione insufficientiæ, quam habent singuli effectus, indigent causa adæquatè distincta. ergo non potest

poteſt eorum indigentia, & inſufficientia ſuppleri per alios effectus ſimiliter indigentes, & inſufficientes. debet ergo dari cauſa ſibi omninò ſufficiens, & alterius non indiga ad exiſtendum.

Declaratur magis argumentis vis, detegendo fallaciam, quæ Theologis nonnullis imponit, ut putent, factam rationem demonſtrativam non eſſe. aiunt enim ex inſufficientia cuiuſvis effectus argui cauſam ab eo adæquatè diſtinctam, quę ſatis habetur in alio contingente, quod ſi ſimul ſumatur tota contingentium ſeries, ſicuti hæc non eſt unus, ſed multiplex effectus; ita eius non eſt quærenda una; ſed multiplex cauſa: quæ videtur ſufficienter haberi intra ſeriem. Verùm ſi res penitiùs inſpiciatur, conſtabit palmaris in eo fallacia, quod dum inquirimus effectus inſufficientis cauſam, quæ ſufficientiam det, ſi reponitur cauſa una intra ſeriem, reponitur ens adæquatè ſibi inſufficiens, quaſi jam ſufficiens & ſibi, & alteri ad exiſtendum; hoc enim eſt, quod contendo facto adverſus Atheos argumento, nullam prorſus eſſe in tota contingentium ſerie eſſendi ſufficientiam, niſi intelligatur extra illam ens neceſſarium, adeoque per ſe ſufficienter exiſtens. dum igitur inquiro, à quo ſit effectus A contingens, ſi per cauſam contingentem reſpondes, nihil prorſus dicis ad curioſitatem explendam, cum de ea, imò & de infinitis eadem ſit omninò inquiſitio, ſi eadem eſt omninò contingentia, & inſufficientia, adeoque multiplicis licet effectus non poteſt eſſe, niſi una cauſa ultimata, in quam omnium ſufficientia reſolvatur. Vide, quæ de hac re latius dixi tom.3 lib.1.q.1.c.4.§.2.

Præter hæc ordo, qui intercedit in ſerie contingentium, eſt effectus, qui non poteſt haberi à cauſis infinitis contingentibus incluſis in ſerie; & debet cęteroqui haberi ab aliqua cauſa

nec

nec quacumque, sed intelligente. ergo extra seriem totam contingentium datur causa, & quidem intellectiva. antec. prob. quòd enim talis ordo petat intellectum disponentem, est evidens; si enim ordo, qui reperitur in artefactis, non potest non esse ab intellectu ordinante (nam quis sibi fingat, domum, templum, horologium, & similia non ab aliquo artifice perfecta, sed casu, & temerè in pulcherrimam symmetriam incidisse?) quantò magis id est verum de operibus naturæ, in quibus ordo maior, & mirabilior! quòd si ars humana eò laudabilior est, quò magis ad naturam accedit, eamque melius imitatur; maior sanè erit in natura, quàm in arte sapientia, cuius est scilicet idea perfectior, quam ars scilicet sequi potest, assequi non potest. Jam verò, quod talis ordo à nullo intellectu incluso in serie contingentium provenire possit, ex eo apertissimè constat; quod multitudo quæcumque per accidens ordinatur, quoties nulla est una causa totam intendens, & ordinans. Sic in domo si singuli cæmentarii singulas partes ædificent, nullo totam architecto cognoscente, atque ideante, recta domus dispositio si existet, casu, & temerè existet. atqui nullus intellectus inclusus in serie successiva contingentium potest totam seriem disponere; quia non potest disponere partes, quæ fuerunt ante se, quæque erunt post se; aliter operaretur, quando non esset. ergo si serie est ordinata, & non casu ordinata, necessariò datur intellectus ordinans, extrà seriem contingentium.

Ad hanc rationem reducitur altera, quæ fundatur in altero principio, *Omne, quod movetur, ab alio movetur*: ex quo similiter colligitur, deberedari primum movens immobile: quemadmodum ex eo, quia omne, quod fit, ab alio fit, sequitur debere dari primam causam incausatam. Veritas autem huius principii

sic intellecta quòd nullum mobile potest esse causa adæquata sui motus, demonstratur ex Phil. & D. Thoma. Quod movetur ad aliquam perfectionem, non potest eam in se adæquatè præcontinere; aliter mobile ad eam non esset, cum proprium sit mobilis quà talis esse ad motum suum in potentia. Et quidem, quod adæquatè in se continet perfectionem alicuius effectus, non potest ad illum moveri; quia sic moveretur ad acquirendum, quod habet. hoc autem est impossibile; quia motus est actus entis in potentia ut in potentia, estque via ad acquirendam perfectionem, quæ deest. Omne ergo, quod movetur, ab alio moveri debet aut totaliter, aut simul agente.

Altera ratio satis efficax, quæque si minùs metaphysicè evidens, nata est tamen prudentem omnem de opposito formidinem excutere, ducitur ex consensu omnium gentium Deum aliquem esse unanimiter testantium: quam rationem pulchrè, & eleganter concludit maximus Tyrius dissert. 2. his verbis: *Quòd si contionem cogas, omnesque simul artes convenire jubeas, ac de Deo ex iis quæras; putasnè aliud pictorem, aliud statuarium, aliud poetam, aliud dicturum esse philosophum? Verum enim verò in aliis videbis alia; nec unquam eadem statuere homines, nec enim bonum idem omnibus, nec idem omnibus malum, nec idem turpe, aut honestum, ut de legibus, & jure taceam, quæ pro cuiusque placito in omnes ità partes distrahuntur, ac vellicantur, ut non modo non gens cum gente, sed nec urbs cum urbe, nec familia cum familia, nec homo cum homine, nec unus aliquis interdum secum ipse consentiat. In hac tanta pugna, contentione, atque opinionum varietate, in eo leges ubique terrarum, atque opiniones convenire videbis, Deum esse unum regem omnium, & patrem. huic multos additos esse Deos alios, qui supremi illius filii sint, & quasi in imperio*

col.

collega, In eo Græcus cum barbaro, Mediterraneus cum insulano, sapiens consentit cum stulto. Ut si usque ad extrema Oceani littora processeris, hic quoque Deos inventurus sis, &c. & paulò post. *Quod si ab omni ævo duo, aut tres extiterunt tam abjecti homines, ut sine Deo, & sine ullo sensu aberrarent, &c. Ex his nihilominus hominibus aliquid de divina natura intelliges. Nam & inviti hoc sciunt, & inviti dicunt.* Idem testatur Plutarchus lib adversus Colotem Epicureum. *Si terras,* inquit, *obeas, invenire poteris Urbes muris litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum, & theatrorum nescias; urbem templis, diisque carentem, quæ precibus, jureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit. Sed facilius urbem condi sine solo posse puto, quam opinione de Diis penitus sublata, Civitatem coire, aut constare.* Tullius quoque 2. de Nat. Deorum: *Inter omnes,* inquit, *omnium gentium sententia constat; omnibus enim innatum est, & in animo quasi insculptum, esse Deos. quales sint, varium est: esse nemo negat.* Qui plura de hoc consensu omnium hominum volet, consulat Recupitum l.1. de exist. Dei q.20.

Hoc posito, sic arguo. Nulla persuasio naturalis potest esse falsa, at persuasio, quòd Deus sit, est naturalis. ergo non potest esse falsa. maior est certa; quod enim est naturale, est ab inclinatione naturæ, non ab arbitrii libertate: natura autem in malum suum non inclinat, ut inclinaret, si inclinaret ad falsum, quod malum est intellectus. Rursus natura, & arbitrium quamvis conveniant in prosecutione solius boni, differunt tamen maximè, quòd arbitrium est ad bonum apparens; in quo sæpè decipitur: natura est ad bonum reale; ideòque nunquam fallitur; neque

enim ut fallitur homo appetendo bonum apparens, sic potest falli lapis petendo centrum apparens. minor autem est evidens ex notione naturalis; ut enim ait Philos. 5. Eth. cap. 7. *Naturale est, quod ubique eandem vim habet; quia quod est à natura, immobile est*. Sic jus naturale dicimus, quod apud omnes est idem. ignis naturaliter dicitur comburere, quia ubique comburit, & hic, & apud Persas, & apud Indos. Si ergo, ut visum est, Dei existentis persuasio apud omnes est eadem, naturalis sit oportet; adeoque vera. Neque obstat, quod aliqui Deum esse negaverint; ut enim non infringit evidentiam primi principii complexi, & in cognoscendo, quòd eius veritas à paucis fuerit in dubium revocata: ità nec fraudi esse debet evidentiæ primi principii incomplexi, & in essendo, quod eius existentiam Protagoras primus, & post ipsum paucissimi negaverint. Accedit, quòd si Platoni credimus apud Recup. cit. *Nullus ab adolescentia usque ad senectutem in hac opinione, quod Dii non sint, perseveravit*.

Tertia ratio descendit ex principiis moralibus cuique rationis compoti evidentibus in materia virtutum, ac vitiorum, quæ quidem, negato Deo, omnia corruunt. Certè non solum pietas, religio, charitas, quæ Deum respiciunt, e virtutibus in vitia transeunt, ut est evidens; sed reliquæ etiam virtutes nullæ sunt; cessat enim omnis honestas, quæ tota est per conformitatem vel cum Dei lege, vel cum rationali natura in quantum ad Deum, ut ad finem ultimum ordinata. cessat omnis inhonestas, cessant omni lege, & obligatione præsertim naturali, à qua reliquæ pendent, cuius scilicet nullus esset amplius legislator. Quòd si proterviat Atheus, mansuram adhuc, remoto Deo, inhonestatem, & vitium, ex hoc ipso efficacius evincitur Deus; vitia enim si sunt, mala homini

sunt:

sunt: in quæ tamen opinio Deum tollens non ducit modo, sed rapit, ut experientia demonstrat. Si ergo Atheismus verum habet, bona est homini eius opinio; verum enim est bonum intellectus proprium. Rursus hæc opinio malorũ omnium hominis fons est, & origo. bonum ergo hominis proprium maximum hominis malum traheret; atque adeò malus esset homo, quia bonus est: quod in terminis repugnat.

Ex quo apparet, quàm ineptè, quàm inconsultò dixerint Athei nescio qui, religionem quidem nullam esse; expedire tamen ad regiminis felicitatem, ut religionem esse vulgò existimetur. Hæc sanè qui perpendit, & confert, pugnare secum manifestò deprehendet. Si enim falsa est religionis opinio, mala est humanæ reipublicæ. non ergo potest ad eius felicitatem conducere; nemo enim felix esse ex malo, & miseria potest.

CAPUT IV.

Præcipua de Deo perfectiones demonstrantur.

PRimus conceptus, quem de Deo formamus, probamusque ex creaturis, est, quòd sit prima causa; qui conceptus duo dicit, unum de negativo, quòd ab alio non sit: alterum de relativo, quod ab ipso sint alia. ex utroque conceptu, præsertim verò ex negativo præcipuas Dei perfectiones demonstrare in præsenti mens est.

Igitur ex aseitate, seu independentia sequitur primùm in Deo necessitas existendi, tota enim & præcisa ratio contingentiæ est dependentia, & abaleitas. hac ergo remota, nulla potest contingentia superesse. antec. prob. remota dependentia ab alio, nec est aliud, quod potest denegare esse, nec potest res ipsa sibi

suum esse denegare; tenderet enim per se in maximam sui imperfectionem. esse ergo independens est esse inamissibile. Conf. 1. aut enim esse sibi detraheret naturaliter, vel liberè. Si naturaliter, nunquam esset; haberet enim naturam sui esse ablativam; quæ est natura chimærica. si liberè; jam sibi esse subtraheret per liberam volitionem. quod est impossibile; quia impossibilis est effectus destructivus causæ suæ necessariæ, quam scilicet per se supponit in priori existentem. Conf. 2. ubi causa, & effectus sunt idem omninò, adeoque non sunt causa, & effectus, nisi eminenter, actio etiam eminenter talis sit eadem oportet, & indistincta. ergo talis res identificat sibi omnem determinationem ad esse tum in actu primo, tum in actu secundo. ergo nulla est in tali ente indifferentia ad esse; adeòque nulla contingentia. Conf. 3. ens à se aut est necessarium, aut impossibile: sed supponitur non impossibile. ergo est ens necessarium, maior. prob. si enim contingens esset, da, quòd non esset, eo ipso esse non posset; quia non ab alio, ut supponitur: non à se; evidens enim est, quod transit à non esse ad esse, non in se, sed in alio habere causam sui esse. hinc, ut suprà notavi, viso effectu contingente, naturaliter inquirimus distinctam causam.

Sequitur secundò infinitas, & illimitatio in omni perfectione. 1. quia necessitas existendi stare non potest cum ulla imperfectione vel minima. ergo involvit omnem perfectionem. anteced. prob. imperfectio est meritum non existendi: quare potest eius existentia prudenter odio haberi. at repugnat necessitatem existendi prudenter odio haberi. ergo repugnat necessitatem existendi stare cum imperfectione. 2. quod est necesse esse, præstat contingenti adæquatam ultimatam essendi sufficientiam. sed non posset hanc præstare, nisi in-

infinitum esset. quod sic ostendo. Illud ens, quod simul cum alio non integrat complexum perfectius, est infinitè perfectum. solum enim infinitum habet, ut additione non majoretur. at quod est alterius ultimata, & adæquata essendi sufficientia, non potest cum illo quid perfectius constituere; si enim constitueret, cum totum complexum existat virtute solius entis necessarii, effectus perfectione superaret causam suam. Et quid *Deus, & homo* v. g. existeret vi solius Dei. at *Deus, & homo* supponitur quid perfectius Deo. ergo quid perfectius Deo existeret vi solius Dei.

Sequitur tertiò, Deum esse essentialiter unicum, & implurificabilem. Prob. esse singularem essentiam, cui nulla sit par, est manifesta perfectio. atqui Deo ex demonstratis competit omnis perfectio. ergo nulla est ipsis possibilis par essentia; adeoque essentialiter unicus est. maior ostenditur; tum quia naturali ductu dum quempiam laudare maximè volumus nullum habere parem dicimus. tum quia quodcumque exclusivum imperfectionis est evidenter perfectio. atque non habere parem excludit à Deo imperfectionem, & quidem maximam, quòd sit scilicet impunè contemptibilis: ut videre est in Diis gentium, tum demum, quia non habere parem secum affert absolutissimum, & Monarchicum universi dominium: quod ut est evidenter perfectio, ita evidenter tollitur per regni consortem. alter enim ab altero æqualis omnino potentiæ impediri posset, quò minus perficeret, quæ vellet. colligatio autem, & sympathia liberarum voluntatum & impossibilis per se est, & imperfectionem involvens, utpotè unius ab altera dependentiam mutuam importans.

Sequitur quartò, Deum esse ens omninò simplex, nullam scilicet includens compositionem ex partibus realiter distinctis. Prob. vel

enim quælibet ex iis partibus esset infinitè perfecta; & jam essent plures Dii. vel singulæ essent imperfectæ, aliisque indigentes ut naturali complemento: & jam Deus infinitè perfectus non esset, cum partium suarum imperfectionem includeret. Neque instes, argumentum probare non posse in Deo multiplicitatem ullam admitti ne Personarum quidem. contra enim est; quia sola Personarum multiplicitas tantùm abest, ùt Dei unicitatem imminuat, ut potius augeat. quanta enim est illa unitas, quæ ut in pluribus sit, non tamen plurificatur in ea ratione, in qua est unitas certè unitas limitata ex hoc ipso limitata est, quòd vel in multis esse non potest, ut Petreitas: vel si in multis est, una esse desinit, ut humanitas. Unitas autem divina tam est perfecta, ut redundet etiam in oppositum suum. quare posita in tribus & indivisa manet, & tres Personas ad summam trahit indivisionem naturæ.

Sequitur quintò, Deum esse actum purum; nomine enim puri actus venit ens nullam potentiam (non loquor activam, quæ de suo conceptu perfectivitas, adeoque perfectio est, sed passivam potentiam, quæ de suo conceptu perfectibilitas, adeoque imperfectio est) admiscens. atqui Deus ex demonstratis omnem omninò perfectionem involvit. ergo omnem omninò potentiam, seu passivitatem excludit. quod est esse purum actum.

Sequitur sextò, Deum esse omnino immutabilem. quod enim nullam habet potentialitatem determinabilem per actum supervenientem, & intrinsecè immutativũ aliud est planè immutabile. talis est Deus eò ipso, quod est actus purus, excludens omnem intrinsecam perfectibilitatem. ergo, &c. maior est nota ex ratione motus, actus scilicet entis in potentia, prout in potentia. quare quod omnem potentiam, seu passivitatem excludit, omnis

nis motus, & mutationis est incapax.

Sequitur septimò, Deum esse intellectivum. 1. quia intellectivitas ex terminis est perfectio. Deus autem omnium perfectionum est cumulus. 2. in creatis effectibus reperitur intellectivitas. ergo & in Deo. prob. conf. nulla enim perfectio simpliciter simplex potest in effectu reperiri, quæ in causa non sit; aliter perfectior esset effectus, quam causa. Deus autem est omnium contingentium causa. 3. Deum esse ex ordine, & pulchritudine universi demonstratur. talis autem ordo non solum non potest esse sine causa, sed neque sine intellectu. ergo hoc argumentum & demonstrat Deum esse, & intellectivum esse. 4. Deum esse in agendo liberum omnes sibi persuadent; aliter frustrà ipsum orarent, quem non possent ullatenus flectere; quis enim ignem oret, ne comburat? at sine cognitione libertas constare non potest.

Sequitur octavò, Deum esse volitivum. tum quia volitivitas est perfectio simpliciter simplex. tum quia est perfectio in creaturis inventa. tum quia Deus, ut modò probavi, est ens liberum: liberum autem formalissimè est volitivum.

Sequitur nonò. Deum esse suum ipsum actum intelligendi, ac volendi. 1. quia secus per suam substantiam Deus mobilis esset ad formam intellectionis, ac volitionis distinctam. quod est contrà perfectam ipsius immutabilitatem. 2. intellectio, & volitio si sunt formæ realiter à Deo distinctæ, aut sunt à se; atque ità sunt plures Dii; aut sunt à Deo; atque ità Deus, qui unus debet esse causa adæquata suorum actuum, omnem eorum perfectionem deberet in se præcontinere; adeoque frustrà illi actus Deo superadderentur, nemo enim moveri potest ad acquirendum, quod habet.

Sequitur decimò, Deum esse æternum, immensum, omnipotentem, &c. est enim infinitus in perfectione, adeoque absorbens in suo esse omne esse, omnemque perfectionem. illa autem attributa evidenter perfectiones sunt. Rursus æternitas colligitur ex necessitate essendi: immensitas ex ratione causæ potentis ubique operari. adeoque potentis ubique esse: & quia habet ex immutabilitate, ut sit actu, quidquid esse potest, consequens est, ut necessario sit ubique: ut iterum in physicis deductum est, ubi de actione in distans. Omnipotentia colligitur tum ex infinita bonitate, ratione cuius est infinitè sui diffusivus, adeoque infinitè participabilis: tum ex eo, quòd sit ultimata adæquata sufficientia omnium contingentium; adeoque quidquid esse potest, ab eo esse potest. Atque ità probabis, quod Deus sit summè verax, summè sanctus, summè providus, & alia huiusmodi.

CAPUT V.

In quo prædicato essentia Dei Metaphysica reponatur.

PRæmitto 1. essentiam Dei, si physicè sumatur, involvere constitutivè omnem perfectionem, quæ re ipsa Deo competit: physica enim constitutio habetur per realem identitatem. atqui omnes Dei perfectiones sunt unus realiter Deus. ergo Deus realiter, & physicè per omnes perfectiones habet essentiam constitutam. quod verum est non modò de absolutis, sed etiam relativis perfectionibus.

Præmitto 2. inter divina prædicata dari distinctionem aliquam non obiectivam ex parte Dei, sed formalem ex imperfecta intellectus nostri consideratione resultantem. quòd non detur distinctio obiectiva, sivè formalis ea

dicatur, sive virtualis intrinseca, satis constat ex probatis l. 1. q 5. quæ quidem à fortiori probant divinas perfectiones esse in re omnino easdem cum Deo: quod autem detur distinctio aliqua formalis per varios conceptus, quos in Deo distinguimus, constat ex proximè dictis, dum ex uno ad aliud prædicatum demonstrando descendimus.

Præmitto 3. esse in Deo prædicata, in quibus convenit cum creaturis, ut ratio entis, substantiæ, intellectivi, &c. atque in his essentia Dei Metaphysicè sumpta constitui non potest, nisi ut in parte materiali, & contrahibili. quærendum ergo est prædicatum distinguens Deum à non Deo, nec quodcumque, sed primum, ex quo scilicet cætera quoad nostrum concipiendi modum originantur, seu probantur. his ità præmissis.

Dico 1 primus conceptus, per quem ultimò essentia Dei Metaphysicè constituitur, est ratio primæ causæ incausatæ.

Prob. illud est quoad nos prædicatum primum Dei, in quod primò devenimus, dum Deum quærimus: & ex quo reliquas deindè Dei perfectiones inferimus. Neque enim aliud potest in præsenti aptè intelligi nomine primi prædicati divini. atqui tale prædicatum est ratio primæ causæ incausatæ, in quam devenimus ex contingentia, & insufficientia creaturarum: quæ est potissima lux Deum nobis pro hoc statu evidentèr ostendens. Rursus ex hoc prædicato deduci perfectiones omnes divinas, patuit cap. proximè superiori. ergo talis ratio est primò nobis Deum obiiciens, & constituens; adeoque est Dei Metaphysica essentia.

Dico 2. huiusmodi conceptus non solum constituit Deum in ratione essentiæ. sed etiam in ratione naturæ. Conclusio est contra paucos, præsertim Franciscum de Lugo, & Haunoldum distinguentes inter essentiam, quæ su-

sumitur per ordinem ad esse, & naturam, quæ sumitur per ordinem ad operari: illam verò dicunt consistere in ratione entis à se: istam in ratione entis à se intellectivi.

Prob. ex omnimoda, etiam formali identitate, inter essentiam, & naturam; ut enim ait Augustinus l. 2 de moribus Manichæorum: *Natura nihil est aliud, quàm id, quod intelligitur in suo genere aliud esse. Itàq; ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus, ità veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia, & substantia naturam vocabant*. Et quidem hæc duo nomina distinctionem in creaturis nullam habent: neque enim in homine, aut Angelo aliud formaliter est natura, aliud essentia, sed eidem prædicato utrumque nomen tribuitur. Et quamvis esse, & operari in creaturis distinguantur, non tamen principium essendi, & operandi; unaquæque enim res potest operari per suam substantiam, à qua indivisim habet, ut possit esse; quia posse esse formaliter est per consonantiam prædicatorum. Prætereà nomine essentiæ Metaphysicæ non intelligimus in Deo solum posse esse, sed prædicatum fundans, & probans omnem Dei perfectionem. atqui hoc ipsum est formalissimè esse naturam; idem enim est Metaphysicum principium omnium perfectionum, & omnium operationum divinarum. hoc autem est natura, principium operationum.

Neque opponas D. Thomam 1. p. q. 39. art. 2. ad 3. distinguentem inter essentiam, & naturam: *Natura*, inquit, *est principium actus: essentia ab essendo dicitur*. Non enim nego esse aliam horum vocabulorum ethymologiam, quod vult ibi S. Doctor: nego esse aliam vel rem, vel rationem formalem, cui competit nomen naturæ, & cui competit nomen essentiæ: ut constat inducendo.

Porrò adversus primam conclusionem, quæ præcipua hic est, hæc solent communiter obiici. 1. Ratio causati, seu independentis, & à se est ratio negativa: ratio causæ est ratio relativa. ergo non possunt constituere primò divinam essentiam, quæ cum sit perfectissima, est simul maximè absoluta, & positiva. 2. prædicatum illud relativum videtur superfluè addi ad divinam essentiam constituendam, quæ satis intelligitur constituta per solum prædicatum aseitatis. 3. divina essentia debet reponi in prædicato, quo distinguitur ab attributis; aliter confunderentur essentia, & attributa. atqui per aseitatem essentia ab attributis non distinguitur; nam etiam attributa utpotè perfectiones formaliter divinæ à se sunt per causæ exclusionem. 4. omnipotentia non est essentia, sed attributum. atqui esse primam causam involvit omnipotentiam; adeoque essentia constitueretur per attributum. 5. Per aseitatem non solum probatur de Deo sapientia, sanctitas, &c. sed etiam intellectivitas, perseitas, spiritualitas, &c. adeoque si aseitas est essentia, & sapientia per aseitatem probata est attributum, attributum etiam erit ratio substantiæ, spiritus, intellectivi, &c. quod negat communis sensus. 6. essentia Dei debet esse essentia infinitè perfecta in tota latitudine entis. ergo melius essentia Dei cōstituitur, ut multi volunt, in ratione entis absorbentis omne esse, omnemque perfectionem.

Resp. ad 1. rationem independentis quoad modum significandi esse negativam; sed ratio significata est positiva, cum sit ratio formaliter perfectionem puram importans: omnis autem perfectio qua talis est positiva: sicuti è contrario omnis imperfectio carentiam involvit. Deinde dato, quod esset ratio negativa, nihil concluditur; quia hic non quærimus, nisi illa predicata, quæ primò nobis Deum obiiciunt

sub

sub proprio conceptu. huiusmodi autem non sunt, nisi prædicata relativa, & privativa. Dum autem dicitur, quod essentia Dei sit maximè absoluta, & positiva, verum est de ea secundum se spectata, & in ordine ad intellectum ipsam quidditativè cognoscentem; falsum est de ea spectata, ut est in intellectu creato cognoscente abstractivè.

Ad 2. prædicatum relativum non additur superfluè; est enim primum, quo per creaturas ad Deum ascendimus, quatenus ex earum insufficientia intrinseca ad essendum probamus earundem extrinsecam sufficientiam à Deo manantem, quem & contingentibus, & sibi sufficere demonstramus. hinc primus de Deo conceptus est ratio primæ causæ. nihil autem in præsenti venire potest, ut monui, nomine essentiæ divinæ Metaphysicæ, quam Dei conceptus primò nobis obiectus.

Ad 3. non nego inter essentiam, & attributa aliquam rationis distinctionem intercedere debere. nego tamen debere intercedere distinctionem rationis perfectam. patet hoc in ente, quod licet à suis passionibus uno, vero, bono perfectè non distinguatur, adhuc obtinet relatè ad illas essentiæ rationem. dato igitur, quod omnia divina attributa formaliter sint à se (quod multi negant) adhuc aseitas potest relatè ad ipsa dici essentia; quia potest adhuc illa probare; dum intellectus ex aseitate concludit infinitatem, seu ex aseitate aseitatem infinitam, sicuti ex entitate infert entitatem unam, veram, bonam. Accedit, quod essentiam divinam, quæcumque ea sit, includi in conceptu attributorum, est opinio, quam tuetur Suarez aliique plurimi. non est ergo de ratione divinæ naturæ perfecta distinctio ab attributis.

Ad 4. vel nego omnipotentiam esse attributum, vel dico eam esse attributum sub explicito nomine potentiæ. in quo assimilatur potentiæ

ten-

tentiæ accidentali creatæ: vel sub nomine omnipotentiæ, sub quo non primò Deus innotescit, sed sub nomine tantum sufficientiæ creaturarum existentium, ex quo infertur infinitas, & hinc participabilitas infinita, quæ est omnipotentia: ut dictum superiùs est.

Ad 5. prædicata communia Deo, & creaturis quamvis probentur per rationem primæ causæ, seu primæ rerum sufficientiæ, non tamen attributa dicuntur; quia nomen attributi impositum est ad significandum in Deo perfectionem, quæ se habet per modum accidentis creati.

Ad 6. ratio entis involventis omnem perfectionem includit essentiam simul, & attributa. quare constituit Deum physicè potiùs, quàm metaphysicè, in qua linea una perfectio probatur per aliam, adeoque est alia prior. debet autem essentià esse formaliter infinitè perfecta in linea essentiæ, non in linea attributali.

Neque obstat, quod quidam opponunt; aseitatem scilicet vel sumi negativè, vel relativè. Relativè sumpta est chimærica, quia est dependentia sui à se. Negativè sumpta habet necessariò positivum, in quo fundatur. hoc autem non est meta ratio entis ut præscindentis à Deo, & creaturis, ut est certum. ergo est ratio entis illimitati, quæ una fundat negationem dependentiæ.

Resp. enim aseitatem sumi negativè, sed sic sumptam non debere necessariò supponere fundamentum, per quod probetur, sed tantummodo subiectum, cui inest: hoc autem est ipsa ratio entis, quæ non quidem re ipsa contrahitur primò (nulla enim in re rationum communium contractio) ad Deum per aseitatem, sed ratione nostra, primum conceptum de Deo accipiente per ipsam, quatenus à creaturarum essentiali dependentia primò assurgit ad entis alicuius existentiam omninò independentis, &

hinc

hinc ulterius colligit entis istius illimitationē. Quare cum additur nomine essentiæ, ac naturæ divinæ intelligi communiter aliquid absorbens omnem in linea entis perfectionem, seu aliquid, quo melius excogitari nihil potest, dicendum, vel ita explicari naturam Dei physicè, non metaphysicè acceptam; vel si de hac est sermo, intelligi, non quod est illimitatum formaliter in suo conceptu, sed quod illimitationem probat, adeoque est illimitatum virtualiter non physicè, sed logicè.

QUÆSTIO SECUNDA

De Dei Potentia.

CAPUT I.

An sit, & quid sit Divina Omnipotentia.

DIco 1. datur in Deo activa potentia. Conclusio multipliciter probatur ex supra dictis. 1. quia Deus primò nobis innotescit sub nomine sufficientiæ contingentium. hæc autem importat vim contingentium productivam. 2. posse producere ex terminis est perfectio, quia importat & continentiam alienæ perfectionis, & vim in alios eam transfundendi, & aliorum à se dependentiam. Deo autem tribui debet quidquid perfectionem importat. 3. omnes naturali instinctu potentiam eiusmodi præsumunt in Deo; quid enim tam multa ab eo peterent, quæ activitatem supponunt, ut valetudinem, serenitatem, annonam, & similia, si nihil prorsus agere extra se posset? non potest autem, quod omnes censent, non esse ita, ut censent; quia nullum falsum à natura.

Dico

Dico 2. Potentia Dei activa est in sua linea formaliter infinita. Prob. 1. perfectio omnis, quæ est capax latitudinis, est in Deo cum formali infinitate, huiusmodi certè est potentia effectiva. ergo. maior est certa; quia Deus est omnis perfectio, adeòque illimitatus per essentiam, si ergo secundum perfectionem procedentem in plus non excurreret sine termino, limitatus omnino esset, & imperfectus. 2. Non potest non esse infinita ratio fundata, si ratio fundans est infinita; passio enim sequitur naturam essentiæ. atqui ratio, in qua fundatur proximè activitas, est in Deo infinita; unumquodque enim agit, in quantum est actu. actus autem est in Deo infinitus, cum sit infinitè perfectus. ergo potentia consequens est formaliter infinita. Exemplificat Div. Thom. cuius est hæc ratio, in calore, qui quia est ratio calefaciendi, non potest non ponere vim calefactivam infinitam, ubi ipse ponitur infinitus. 3. Esse sui diffusivum est boni proprietas. ergo quæ sunt meliora, magis habent, ut se diffundant. at Deus infinitè bonus est. ergo infinitè se potest diffundere. productio autem est genus diffusionis. ergo infinita est in Deo potentia producendi. 4. Imitationes inadæquatæ infiniti exemplaris non sunt possibiles solùm finitæ; ex eadem enim ratione, qua est possibilis secunda, & tertia, est possibilis quarta, atque ita sine termino, sicuti, si detur quantitas infinita, eaque per impossibile statuatur formaliter indivisibilis, per hoc ipsùm, quod à nulla finita quantitate adæquatur, possibiles sunt quantitates finitæ sine termino. Aut ergo exemplar potest ipsum per se infinitas sui imitationes producere; atque ita est secundum potentiam omnino infinitum. aut non potest; atque ita producere non potest, quod potest produci: quod sanè imperfectionem Deo repugnantem includit.

Dices

Dices, hinc fieri, ut aliquid Deus possit ultra omnia possibilia; quia nec ista simul sumpta imitationem Dei adæquatam constituunt. Sed contra est; nego enim omnia possibilia imitationem Dei adæquatam non constituere. Si, quidem nomine imitationis adæquatæ non venit imitatio, in qua sit tanta perfectio, quanta est in exemplari (quod repugnat cum ratione imitationis) sed in qua est tanta perfectio, quanta est participabilis ab exemplari. hoc autem verificatur de tota collectione possibilium. Cæterùm in Deo sunt perfectiones à contingentibus inimitabiles, non solùm relativæ, quæ pertinent formaliter ad Personarum Trinitatem, sed etiam absolutæ, qualis est coadunatio per identitatem omnium perfectionum, quæ in possibilibus omnibus dispertitæ, adeoque cum distinctionis imperfectione reperiuntur. quare ad argumentum, quod solet proponi sub hac forma: *Ideo sunt possibiles creaturæ perfectiores sine termino, quia inter quamlibet, & Deum est infinita distantia secundùm perfectionem. atqui inter creaturas omnes, & Deum est infinita etiam secundùm perfectionem distantia. ergo ultra omnes creaturas est alia, & alia possibilis: quod repugnat.* Resp. dist. causalem maioris; quia est infinita distantia secundùm perfectionem participabilem, & creaturæ non repugnantem, conc. secus, nego causalem maioris dist. min. est distantia secundùm perfectionem imparticipabilem, & repugnantem creaturæ, ut sunt perfectiones jam declaratæ, conc. min. secus, nego min. & conf.

Dico 3. Dei potentia est omnipotentia. Constat ex modo demonstratis. Deum enim esse omnipotentem est posse sua activitate perficere, quidquid est absolutè possibile, seu in suis prædicatis repugnantiam non involvens. atqui Dei potentia eo ipso, quod infinita est, relatè ad omnem perfectionem ita possibilem est in actu, adeo·

adeoque perfectissimè potens. ergo Dei potentia est omnipotentia. Accedit, omnium contingentium sufficientiam resolvi ultimatè, & adæquatè debere in ens necessarium, ut supra est demonstratum. ista autem resolutio fit in Deum ut causam effectivam. ergo Deus est necessariò contingentium omnium efficiens causa, adeoque omnipotens.

Dico 4. Omnipotentia Dei est perfectio formaliter ab eius intellectu, & voluntate distincta. Hæc conclusio est apertissima, si declaretur. Suppono inter divinas perfectiones nullam prorsus intercedere obiectivam distinctionem sive formalem, sive virtualem. quare si quis contendat, ut multis contendit Godoy q. 14. de Scient. Dei disp. 32. Omnipotentiam esse obiectivè indistinctam ab intellectu divino, vel ut alii, à voluntate, aut complexo intellectus simul, & voluntatis, non repugno; quamquam in consequentia fortasse sit reliquas perfectiones mutuo distinguere, & has identificare. Sed de hac re nunc non curo. quod dico, est, Omnipotentiam habere apud nos conceptum alium à conceptu intellectus, & voluntatis, ut patet manifestè rationes formales his nominibus importatas consideranti, nam potentia dicit habitudinem efficientis ad creaturas, quam non dicit intellectus, & voluntas. Præter hæc divinas perfectiones distinguimus per creata ænigmata. quæ ergo in creaturis divisæ reperiuntur, in Deo formàliter sunt distinctæ. atqui potentia effectiva, cognoscitiva, & volitiva in creaturis separantur; quatenus datur creatura, quæ potest efficere, quod non potest cognoscere, aut velle; & quæ potest cognoscere, & velle, quod non potest efficere. ergo huiusmodi perfectiones, etiam ut in Deo sunt, aliam, & aliam habent in intellectu nostro formalem rationem.

Dices. potentia effectiva v. g. locomotiva; quæ

quæ in creaturis purè spiritualibus reperitur, formaliter pertinet ad intellectum, & voluntatem. ergo idem dicendum in Deo summè immateriali. antec. prob. si potentia in his effectiva non esset formaliter intellectualis, Angelus non esset entitas purè intellectualis, sed mixta.

Nego antec. quod est manifestè falsum; quia potentiæ formaliter distinguuntur per actus. cum ergo intellectus, & voluntas formalem habeant distinctionem ex distinctione intellectionis, & amoris, per ordinem ad quos actus concipiuntur, & definiuntur, consequens est, ut, cum motus localis sit actus omninò distinctus ab intellectione, & amore, formaliter sit distincta ab intellectu, & voluntate locomotiva. Et quidem quis in huius definitionem, nisi planè ineptè, intrudat potentias rationales? ad probationem antecedentis dico non violari puritatem intellectualitatis Angelicæ per prædicatum commune spiritui, & corpori, ut violatur per communionem corporeæ proprietatis. atqui localis motus non est corporis, sed entis finiti qua talis proprietas. ergo non violat rationem puri spiritus. Accedit, quod motus Angelicus cum sit plane indivisibilis subjectivè, est consequenter spiritualis. quare potest esse proprius creaturæ omninò immaterialis, quæ licet debeat esse intellectualis, non tamen quoad omnes operationes, ut est evidens in voluntate, cuius operationes formaliter cognoscitivæ non sunt, sequuntur tamen per se operationem cognoscitivam; atque ita est etiam motus Angeli ab intrinseco. Ut enim in animali, ita & in Angelo locomotiva numeranda est inter vitales potentias,quę appetitum, adeoque & cognitionem sequuntur.

C A-

CAPUT II.

An sit in Deo potentia ad præteritum.

P. Vasquez t. 1. in 1. p. disp. 105. censet totum præsens dissidium ad voces pertinere; sed aliis meritò videtur lis esse de re: quod sanè manifestè constabit, comparando divinam potentiam cum effectu suo sub triplici temporis differentia constituto, præteriti scilicet præsentis, & futuri. Et primò quidem de his omnibus indiscriminatim illud est verum, & evidenter verum, non dari in Deo potentiam ad effectum non ponendum ex suppositione, quod sit positum, sive de præsenti, sive de præterito, sive de futuro. quare nec quod est, potest non esse, si est: nec quod fuit, potest non fuisse, si fuit: nec quod erit, potest non fore, si erit. Ratio est non alia à veritate primi principii, quia sic res esset, & non esset, fuisset, & non fuisset, foret, & non foret.

Hinc sequitur, non dari in his potentiam ad transitum, & mutationem, quasi verò in eo instanti, in quo est, possit res transire ab esse ad non esse; si enim sic transiret, esset in eodem instanti, & non esset. Ex quo eodem capite non potest transire ab esse futuro in instanti crastino ad non esse futurum in eodem instanti: nec potest transire ab esse præterito in instanti hesterno ad non esse præteritum in illo ipso instanti; si enim transit, supponitur fore, & fuisse in certo instanti (aliter non habetur terminus *à quo*, qui est de mutationis conceptu) supposito autem, quod erit, vel fuit, non potest non fore, vel fuisse, adeòque non potest transire ad non fore, vel non fuisse.

Est tamen in Deo potentia antecedens, ut, quod producit, non producat: quæ potentia non est dominativa in esse rei ex suppositione, quod

quod sit, sed in ipsam suppositionem, quatenus potest antecedenter facere, ut res non sit, non servando, sed tollendo suppositionem. Hanc eandem potentiam concedunt omnes Deo relatè ad futurum; potest enim facere, ut Anti-Christus, qui modò denominatur futurus, non sit futurus, tollendo suppositionem existentiæ Anti-Christi in tempore futuro. Jam verò quæritur, utrùm hæc eadem potestas conveniat Deo relatè ad præteritum, ut, quemadmodum potest antecedenter nunc efficere, ut Anti Christus non sit futurus, possit etiam nunc efficere antecedenter, ut Adam non sit præteritus, tollendo utram suppositionem per decretum præsens, quo determinet omnipotentiam suam, ut ne Anti-Christum sit productura in tempore futuro, & ne Adamum produxerit in tempore præterito.

Ad hoc quæsitum communiter Theologi post D. Thomam 1. p. qu. 25. art. 4. respondent negativè; putant enim latam esse disparitatem quoad hoc inter præteritum ex una parte, & præsens, ac futurum ex altera. sed ista tamen disparitas non est tam facilis, ut plerique putant; quod possem ostendere afferendo, ac refellendo rationes, quibus vulgò hujus sententiæ patroni nituntur. Certè ratio, qua probat D. Thomas, Deum non posse facere, ut præterita non sint præterita, probat, Deum non posse facere, ut futura non sint futura, imò & ut præsentia non sint præsentia. arguit enim sic. Præteritum non fuisse involvit fuisse, & non fuisse. ergo impossibile est præteritum non fuisse. antec. probat; præteritum enim est, quod fuit; adeoque si præteritum non fuit, quod fuit, non fuit, & per consequens fuit, & non fuit. Atqui hoc idem valet in futuro; pariter enim ex eodem capite futurum non fore contradictionem involvit, quam & involvit præsens non esse. Nec juvat additum Caietani, præteritum scili-

cet

cet non posse spoliari præteritione; similiter enim futurum spoliari futuritione non potest, nec præsens præsentialitate, ut paulò antè monui, dum dixi, non posse in his haberi transitum: spoliatio autem transitum involvit; quia nemo spoliari potest eo, quod nunquam habuit. Hoc autem totum corruit sola distinctione sensus compositi, & divisi.

Est igitur in contrarium (quatenus in contrariam magis inclinat, quamvis communem etiam defendat) Ariminensis in 1. d. 42. q. 1. art. 2. citatque pro se Gilbertum Porretanum, Altisiodorensem, & Doctores sui temporis Anglicanos. hanc ipsam sententiam tuetur Corduba apud Vasquem citatum, sed non Alensis relatus ab eodem 1. p. summ. q. 21. membr. 5. art. 4. ubi quamvis rem istam utrimque tractet, concludit tamen pro parte negativa, dicens, *quod præteritum fiat non præteritum, esse ordinem irrevocabilem*.

Equidem censeo, dicendum cum prima, & communi sententia, non posse Deum facere, ut præteritum non sit præteritum, aut non præteritum sit præteritum, non solum in sensu composito, ut est certum, sed neque diviso, quatenus in tempore sequenti non habet amplius potestatem in suppositionem præteritam.

Hoc ut probem, ac dem disparitatem circa hoc inter præteritum ex una parte, præsens, & futurum ex altera, pono sequentes propositiones

1. Propositio. Activitas alia est proxima, secunda, & expedita, inter quam, & effectum nihil mediat; qualis est potentia ignis passo proportionato approximati simul cum concursu Dei parato ad concurrendum: alia est activitas prima, remota, & impedita, inter quam, & effectum mediat impedimentum; quod nisi auferatur, causa virtutem integram retinens agere non potest: qualis est

po-

potentia ignis à passo distantis.

2. Propositio. Rursus activitas remota, & impedita, alia est expedibilis, quæ potest scilicet amittere impedimentum: alia inexpedibilis, quæ impedimentum amittere non potest, Notiones istæ manifestæ per se sunt.

3. Propositio. Quod habet potentiam remotam inexpedibilem, dicitur simpliciter non habere potentiam. Ratio est clara; quia habet potentiam irreducibilem in actum: potentia autem est simpliciter talis, quæ simpliciter in actum suum reduci potest. Ex quo patet, argumentum illud, quo probant aliqui potentiam in Deo ad præteritum ex eo, quia retinet nunc totam suam virtutem, quam habebat, dum præteritum erat præsens, nihil prorsus valere: ut enim detur potentia simpliciter ad effectum, non satis est activitas remota, sed requiruntur ea omnia, quæ potentiam expediunt, sivè ea se teneant ex parte potentiæ, & dicuntur causæ conditiones, sivè se teneant ex parte effectus, ut scilicet effectus non possit esse nunc, ut non potest esse nunc duratio hesterna, aut crastina. quare potentia istarum durationum productiva relatè ad nunc præsens est essentialiter impedita.

4. Propositio. Nulla potentia physica est, aut esse potest expedita, nisi ad præsens. Hæc propositio est cardo præsentis difficultatis: mihi tamen videtur certa. Potentia enim expedita dicitur potentia immediata, h. e. inter quam, & effectum nihil mediat, atqui inter potentiam præsentem, & effectum præteritum, aut futurum mediat distantia temporanea insuperabilis à potentia; quatenus hæc neque potest efficere, ut existat nunc tempus hesternum, aut crastinum: neque stante tali distantia, potest agere; potentia enim physica nihil facit, nisi producendo: producere autem est dare esse effectui; adeòque efficere sibi effectum præsen-

tem.

tem. ergo tota potentia causæ physicæ exercetur unicè circa effectum præsentem.

Conf. 1. potentia denominat extrinsecè effectum præteritum, aut futurum, non quia producit, sed quia produxit, aut producet. ergo tota eius vis exercetur circa præsens. hinc à Philosopho in Logicis citato, ubi de futuris contingentibus, causa, & effectus dicuntur simul tempore, quatenus effectus præsens requirit causam dumtaxat præsentem, futurus futuram, præteritus præteritam. quod ipsum patet ex discrimine inter causam intentionalem, & realem; prior enim potest in non præsens realiter: posterior in solum præsens non quidem suppositum, sed factum præsens per actionem realem. Ex hoc etiam ibi diximus existentiam præsentem causæ impertinenter omninò se habere ad effectum præteritum, aut futurum, & existentiam causæ præteritam aut futuram impertinenter se habere ad effectũ præsentem. tota ergo vis causæ consummatur circà effectus præsentialitatem, unde resultat in aliis temporibus denominatio.

Conf. 2. si esset potentia aliqua immediatè nunc expedita ad præteritum, aut futurum, etiam causa, quæ non fuit, & est, posset facere, ut effectus fuerit: etiam causa, quæ non erit, & est, posset facere, ut effectus sit futurus. Sequela est in terminis repugnans; aliter effectus posset accipere esse à causa non habente esse tunc, cum effectus esse accipit. Sequela prob. si causa nunc existens posset immediatè facere, aut effectus sit futurus, aut præteritus, jam effectus acciperet nunc à causa sufficientiam, ùt sit præteritus; aut futurus: qua stante, nihil esset opus, ut eandem rursus acciperet in tempore præterito, aut futuro. Exemplum habes in causa dante esse effectui distanti localiter, ut posse dare probabilis fert opinio: in quo casu effectus consurgeret sine causa præsente localiter. si

hinc ulterius colligit entis istius illimitationē. Quare cum additur nomine essentiæ, ac naturæ divinæ intelligi communiter aliquid absorbens omnem in linea entis perfectionem, seu aliquid, quo melius excogitari nihil potest, dicendum, vel ita explicari naturam Dei physicè, non metaphysicè acceptam; vel si de hac est sermo, intelligi, non quod est illimitatum formaliter in suo conceptu, sed quod illimitationem probat, adeoque est illimitatum virtualiter non physicè, sed logicè.

QUÆSTIO SECUNDA

De Dei Potentia.

CAPUT I.

An sit, & quid sit Divina Omnipotentia.

Dico 1. datur in Deo activa potentia. Conclusio multipliciter probatur ex supra dictis. 1. quia Deus primò nobis innotescit sub nomine sufficientiæ contingentium. hæc autem importat vim contingentium productivam. 2. posse producere ex terminis est perfectio, quia importat & continentiam alienæ perfectionis, & vim in alios eam transfundendi, & aliorum à se dependentiam. Deo autem tribui debet quidquid perfectionem importat. 3. omnes naturali instinctu potentiam eiusmodi præsumunt in Deo; quid enim tam multa ab eo peterent, quæ activitatem supponunt, ut valetudinem, serenitatem, annonam, & similia, si nihil prorsus agere extra se posset? non potest autem, quod omnes censent, non esse ita, ut censent; quia nullum falsum à natura.

Dico

Dico 2. Potentia Dei activa est in sua linea formaliter infinita. Prob. 1. perfectio omnis, quæ est capax latitudinis, est in Deo cum formali infinitate, huiusmodi certè est potentia effectiva. ergo. maior est certa; quia Deus est omnis perfectio, adeòque illimitatus per essentiam, si ergo secundum perfectionem procedentem in plus non excurreret sine termino, limitatus omnino esset, & imperfectus. 2. Non potest non esse infinita ratio fundata, si ratio fundans est infinita; passio enim sequitur naturam essentiæ. atqui ratio, in qua fundatur proximè activitas, est in Deo infinita; unumquodque enim agit, in quantum est actu. actus autem est in Deo infinitus, cum sit infinitè perfectus. ergo potentia consequens est formaliter infinita. Exemplificat Div. Thom. cuius est hæc ratio, in calore, qui quia est ratio calefaciendi, non potest non ponere vim calefactivam infinitam, ubi ipse ponitur infinitus. 3. Esse sui diffusivum est boni proprietas. ergo quæ sunt meliora, magis habent, ut se diffundant. at Deus infinitè bonus est. ergo infinitè se potest diffundere. productio autem est genus diffusionis. ergo infinita est in Deo potentia producendi. 4. Imitationes inadæquatæ infiniti exemplaris non sunt possibiles solùm finitæ; ex eadem enim ratione, qua est possibilis secunda, & tertia, est possibilis quarta, atque ita sine termino, sicuti, si detur quantitas infinita, eaque per impossibile statuatur formaliter indivisibilis, per hoc ipsum, quod à nulla finita quantitate adæquatur, possibiles sunt quantitates finitæ sine termino. Aut ergo exemplar potest ipsum per se infinitas sui imitationes producere; atque ita est secundum potentiam omnino infinitum. aut non potest; atque ita producere non potest, quod potest produci: quod sanè imperfectionem Deo repugnantem includit.

Dices

Dices, hinc fieri, ut aliquid Deus possit ultra omnia possibilia; quia nec ista simul sumpta imitationem Dei adæquatam constituunt. Sed contra est; nego enim omnia possibilia imitationem Dei adæquatam non constituere. Siquidem nomine imitationis adæquatæ non venit imitatio, in qua sit tanta perfectio, quanta est in exemplari (quod repugnat cum ratione imitationis) sed in qua est tanta perfectio, quanta est participabilis ab exemplari. hoc autem verificatur de tota collectione possibilium. Cæterùm in Deo sunt perfectiones à contingentibus inimitabiles, non solùm relativæ, quæ pertinent formaliter ad Personarum Trinitatem, sed etiam absolutæ, qualis est coadunatio per identitatem omnium perfectionum, quæ in possibilibus omnibus dispertitæ, adeoque cum distinctionis imperfectione reperiuntur. quare ad argumentum, quod solet proponi sub hac forma: *Ideo sunt possibiles creaturæ perfectiores sine termino, quia inter quamlibet, & Deum est infinita distantia secundùm perfectionem. atqui inter creaturas omnes, & Deum est infinita etiam secundùm perfectionem distantia. ergo ultra omnes creaturas est alia, & alia possibilis: quod repugnat.* Resp. dist. causalem maioris; quia est infinita distantia secundùm perfectionem participabilem, & creaturæ non repugnantem, conc. secus, nego causalem maioris dist. min. est distantia secundùm perfectionem imparticipabilem, & repugnantem creaturæ, ut sunt perfectiones jam declaratæ, conc. min. secus, nego min. & conf.

Dico 3. Dei potentia est omnipotentia. Constat ex modo demonstratis. Deum enim esse omnipotentem est posse sua activitate perficere, quidquid est absolutè possibile, seu in suis prædicatis repugnantiam non involvens. atqui Dei potentia eo ipso, quod infinita est, relatè ad omnem perfectionem ita possibilem est in actu, adeo-

adeoque perfectissimè potens. ergo Dei potentia est omnipotentia. Accedit, omnium contingentium sufficientiam resolvi ultimatè, & adæquatè debere in ens necessarium, ut supra est demonstratum. ista autem resolutio fit in Deum ut causam effectivam. ergo Deus est necessariò contingentium omnium efficiens causa, adeoque omnipotens.

Dico 4. Omnipotentia Dei est perfectio formaliter ab eius intellectu, & voluntate distincta. Hæc conclusio est apertissima, si declaretur. Suppono inter divinas perfectiones nullam prorsus intercedere obiectivam distinctionem sive formalem, sive virtualem. quare si quis contendat, ut multis contendit Godoy q. 14. de Scient. Dei disp. 32. Omnipotentiam esse obiectivè indistinctam ab intellectu divino, vel ut alii, à voluntate, aut complexo intellectus simul, & voluntatis, non repugno; quamquam in consequentia fortasse sit reliquas perfectiones mutuo distinguere, & has identificare. Sed de hac re nunc non curo. quod dico, est, Omnipotentiam habere apud nos conceptum alium à conceptu intellectus, & voluntatis, ut patet manifestè rationes formales his nominibus importatas consideranti, nam potentia dicit habitudinem efficientis ad creaturas, quam non dicit intellectus, & voluntas. Præter hæc divinas perfectiones distinguimus per creata ænigmata. quæ ergo in creaturis divisæ reperiuntur, in Deo formàliter sunt distinctæ. atqui potentia effectiva, cognoscitiva, & volitiva in creaturis separantur; quatenus datur creatura, quæ potest efficere, quod non potest cognoscere, aut velle: & quæ potest cognoscere, & velle, quod non potest efficere. ergo huiusmodi perfectiones, etiam ut in Deo sunt, aliam, & aliam habent in intellectu nostro formalem rationem.

Dices. potentia effectiva v. g. locomotiva;

quæ

quæ in creaturis purè spiritualibus reperitur, formaliter pertinet ad intellectum, & voluntatem. ergo idem dicendum in Deo summè immateriali. antec. prob. si potentia in his effectiva non esset formaliter intellectualis, Angelus non esset entitas purè intellectualis, sed mixta.

Nego antec. quod est manifestè falsum; quia potentiæ formaliter distinguuntur per actus. cum ergo intellectus, & voluntas formalem habeant distinctionem ex distinctione intellectionis, & amoris, per ordinem ad quos actus concipiuntur, & definiuntur, consequens est, ut, cum motus localis sit actus omninò distinctus ab intellectione, & amore, formaliter sit distincta ab intellectu, & voluntate locomotiva. Et quidem quis in huius definitionem, nisi planè ineptè, intrudat potentias rationales? ad probationem antecedentis dico non violari puritatem intellectualitatis Angelicæ per prædicatum commune spiritui, & corpori, ut violatur per communionem corporeæ proprietatis. atqui localis motus non est corporis, sed entis finiti qua talis proprietas. ergo non violat rationem puri spiritus. Accedit, quod motus Angelicus cum sit plane indivisibilis subjectivè, est consequenter spiritualis. quare potest esse proprius creaturæ omninò immaterialis, quæ licet debeat esse intellectualis, non tamen quoad omnes operationes, ut est evidens in voluntate, cuius operationes formaliter cognoscitivæ non sunt, sequuntur tamen per se operationem cognoscitivam; atque ita est etiam motus Angeli ab intrinseco. Ut enim in animali, ita & in Angelo locomotiva numeranda est inter vitales potentias, quę appetitum, adeoque & cognitionem sequuntur.

CAPUT II.

An sit in Deo potentia ad præteritum.

P. Vasquez t. 1. in 1. p. disp. 105. censet totum præsens dissidium ad voces pertinere; sed aliis meritò videtur lis esse de re: quod sanè manifestè constabit, comparando divinam potentiam cum effectu suo sub triplici temporis differentia constituto, præteriti scilicet præsentis, & futuri. Et primò quidem de his omnibus indiscriminatim illud est verum, & evidenter verum, non dari in Deo potentiam ad effectum non ponendum ex suppositione, quod sit positum, sive de præsenti, sive de præterito, sive de futuro. quare nec quod est, potest non esse, si est: nec quod fuit, potest non fuisse, si fuit: nec quod erit, potest non fore, si erit. Ratio est non alia à veritate primi principii, quia sic res esset, & non esset, fuisset, & non fuisset, foret, & non foret.

Hinc sequitur, non dari in his potentiam ad transitum, & mutationem, quasi verò in eo instanti, in quo est, possit res transire ab esse ad non esse; si enim sic transiret, esset in eodem instanti, & non esset. Ex quo eodem capite non potest transire ab esse futuro in instanti crastino ad non esse futurum in eodem instanti: nec potest transire ab esse præterito in instanti hesterno ad non esse præteritum in illo ipso instanti; si enim transit, supponitur fore, & fuisse in certo instanti (aliter non habetur terminus *à quo*, qui est de mutationis conceptu) supposito autem, quod erit, vel fuit, non potest non fore, vel fuisse, adeòque non potest transire ad non fore, vel non fuisse.

Est tamen in Deo potentia antecedens, ut, quod producit, non producat: quæ potentia non est dominativa in esse rei ex suppositione, quod

quod sit, sed in ipsam suppositionem, quatenus potest antecedenter facere, ut res non sit, non servando, sed tollendo suppositionem. Hanc eandem potentiam concedunt omnes Deo relatè ad futurum; potest enim facere, ut Anti-Christus, qui modò denominatur futurus, non sit futurus, tollendo suppositionem existentiæ Anti-Christi in tempore futuro. Jam verò quæritur, utrùm hæc eadem potestas conveniat Deo relatè ad præteritum, ut, quemadmodum potest antecedenter nunc efficere, ut Anti Christus non sit futurus, possit etiam nunc efficere antecedenter, ut Adam non sit præteritus, tollendo utram suppositionem per decretum præsens, quo determinet omn.potentiam suam, ut ne Anti-Christum sit productura in tempore futuro, & ne Adamum produxerit in tempore præterito.

Ad hoc quæsitum communiter Theologi post D. Thomam 1. p. qu. 25. art. 4. respondent negativè; putant enim latam esse disparitatem quoad hoc inter præteritum ex una parte, & præsens, ac futurum ex altera. sed ista tamen disparitas non est tam facilis, ut plerique putant; quod possem ostendere afferendo, ac refellendo rationes, quibus vulgò hujus sententiæ patroni nituntur. Certè ratio, qua probat D. Thomas, Deum non posse facere, ut præterita non sint præterita, probat, Deum non posse facere, ut futura non sint futura, imò & ut præsentia non sint præsentia. arguit enim sic. Præteritum non fuisse involvit fuisse, & non fuisse. ergo impossibile est præteritum non fuisse. antec. probat; præteritum enim est, quod fuit; adeoque si præteritum non fuit, quod fuit, non fuit, & per consequens fuit, & non fuit. Atqui hoc idem valet in futuro; pariter enim ex eodem capite futurum non fore contradictionem involvit, quam & involvit præsens non esse. Nec juvat additum Caietani, præteritum scilicet

cet non posse spoliari præteritione; similiter enim futurum spoliari futuritione non potest, nec præsens præsentialitate, ut paulò antè monui, dum dixi, non posse in his haberi transitum: spoliatio autem transitum involvit; quia nemo spoliari potest eo, quod nunquam habuit. Hoc autem totum corruit sola distinctione sensus compositi, & divisi.

Est igitur in contrarium (quatenus in contrariam magis inclinat, quamvis communem etiam defendat) Ariminensis in 1. d. 42. q. 1. art. 2. citatque pro se Gilbertum Porretanum, Altisiodorensem, & Doctores sui temporis Anglicanos. hanc ipsam sententiam tuetur Corduba apud Vasquem citatum, sed non Alensis relatus ab eodem 1. p. summ. q. 21. membr. 5. art. 4. ubi quamvis rem istam utrimque tractet, concludit tamen pro parte negativa, dicens, *quod præteritum fiat non præteritum, esse ordinem irrevocabilem.*

Equidem censeo, dicendum cum prima, & communi sententia, non posse Deum facere, ut præteritum non sit præteritum, aut non præteritum sit præteritum, non solum in sensu composito, ut est certum, sed neque diviso, quatenus in tempore sequenti non habet amplius potestatem in suppositionem præteritam.

Hoc ut probem, ac dem disparitatem circa hoc inter præteritum ex una parte, præsens, & futurum ex altera, pono sequentes propositiones

1. Propositio. Activitas alia est proxima, secunda, & expedita, inter quam, & effectum nihil mediat; qualis est potentia ignis passo proportionato approximati simul cum concursu Dei parato ad concurrendum: alia est activitas prima, remota, & impedita, inter quam, & effectum mediat impedimentum, quod nisi auferatur, causa virtutem integram retinens agere non potest: qualis est po-

potentia ignis à passo distantis.

2. Propositio. Rursus activitas remota, & impedita, alia est expedibilis, quæ potest scilicet amittere impedimentum: alia inexpedibilis, quæ impedimentum amittere non potest. Notiones istæ manifestæ per se sunt.

3. Propositio. Quod habet potentiam remotam inexpedibilem, dicitur simpliciter non habere potentiam. Ratio est clara; quia habet potentiam irreducibilem in actum: potentia autem est simpliciter talis, quæ simpliciter in actum suum reduci potest. Ex quo patet, argumentum illud, quo probant aliqui potentiam in Deo ad præteritum ex eo, quia retinet nunc totam suam virtutem, quam habebat, dum præteritum erat præsens, nihil prorsus valere: ut enim detur potentia simpliciter ad effectum, non satis est activitas remota, sed requiruntur ea omnia, quæ potentiam expediunt, sivè ea se teneant ex parte potentiæ, & dicuntur causæ conditiones, sivè se teneant ex parte effectus, ut scilicet effectus non possit esse nunc, ut non potest esse nunc duratio hesterna, aut crastina. quare potentia istarum durationum productiva relatè ad nunc præsens est essentialiter impedita.

4. Propositio. Nulla potentia physica est, aut esse potest expedita, nisi ad præsens. Hæc propositio est cardo præsentis difficultatis: mihi tamen videtur certa. Potentia enim expedita dicitur potentia immediata, h. e. inter quam, & effectum nihil mediat. atqui inter potentiam præsentem, & effectum præteritum, aut futurum mediat distantia temporanea insuperabilis à potentia; quatenus hæc neque potest efficere, ut existat nunc tempus hesternum, aut crastinum: neque stante tali distantia, potest agere; potentia enim physica nihil facit, nisi producendo: producere autem est dare esse effectui; adeòque efficere sibi effectum præsen-

tem.

tem. ergo tota potentia causæ physicæ exercetur unicè circa effectum præsentem.

Conf. 1. potentia denominat extrinsecè effectum præteritum, aut futurum, non quia producit, sed quia produxit, aut producet. ergo tota eius vis exercetur circa præsens. hinc à Philosopho in Logicis citato, ubi de futuris contingentibus, causa, & effectus dicuntur simul tempore, quatenus effectus præsens requirit causam dumtaxat præsentem, futurus futuram, præteritus præteritam. quod ipsum patet ex discrimine inter causam intentionalem, & realem; prior enim potest in non præsens realiter: posterior in solum præsens non quidem suppositum, sed factum præsens per actionem realem. Ex hoc etiam ibi diximus existentiam præsentem causæ impertinenter omninò se habere ad effectum præteritum, aut futurum, & existentiam causæ præteritam aut futuram impertinenter se habere ad effectũ præsentem. tota ergo vis causæ consummatur circà effectus præsentialitatem, unde resultat in aliis temporibus denominatio.

Conf. 2. si esset potentia aliqua immediatè nunc expedita ad præteritum, aut futurum, etiam causa, quæ non fuit, & est, posset facere, ut effectus fuerit: etiam causa, quæ non erit, & est, posset facere, ut effectus sit futurus. Sequela est in terminis repugnans; aliter effectus posset accipere esse à causa non habente esse tunc, cum effectus esse accipit. Sequela prob. si causa nunc existens posset immediatè facere, aut effectus sit futurus, aut præteritus, jam effectus acciperet nunc à causa sufficientiam, ùt sit præteritus; aut futurus: qua stante, nihil esset opus, ut eandem rursus acciperet in tempore præterito, aut futuro. Exemplum habes in causa dante esse effectui distanti localiter, ut posse dare probabilis fert opinio: in quo casu effectus consurgeret sine causa præsente localiter: si

ergo causa posset pariter in distans temporaliter, effectus fieret sine causa coexistente simpliciter.

Maneat ergo, quod quamvis divina potentia possit nunc determinari per voluntatem, ut producat posteà, & ex hac determinatione denominare rem infallibiliter futuram posteà; hoc tamen non facit potentia ipsa per se, ut præsens potentia est; quia idem per locum intrinsecum faceret, si Deus nunc potens non esset, sed potentiam acquireret tunc, cum adveniret tempus, in quo producere deberet effectum.

5. Propositio. In Deo est potentia remota tum ad præteritum, tum ad futurum. Est propositio evidens; quia talis potentia non est, nisi ipsa omnipotentia cum Deo identificata, & ab eo essentialiter inamissibilis.

6. Propositio. quamvis in Deo non sit nunc potentia expedita ad futurum, est tamen in eo potentia expedibilis ad futurum. Prima pars constat ex prop. 4. Altera est manifesta; quia totum impedimentum, quod habet nunc potentia divina ad ponendum *futurum cras* v.g. est, quòd nunc non habet, nec potest habere *cras* sibi præsens, cum cæteroqui *futurum cras* involvat ipsum *cras*: atqui tempus crastinum stat adhuc sub divina potentia, cui potest scilicet aliquando fieri præsens. ergo potest divina potentia amittere tale impedimentum, & per consequens expediri ad futurum.

7. Propositio, in Deo nec est ad præteritum potentia expedita, nec expedibilis, adeoq; non est in Deo potentia simpliciter dicta ad præteritum. Prima pars constat ex quarta propositione; tertia ex tertia. Secunda per se liquet; impedimentum enim potentiæ ad *præteritum heri* v.g. est, quòd nunc non habet, nec potest nunc habere tempus hesternum sibi præsens, sed tempus hesternum nunquam potest habere sibi amplius præsens, ergo relatè ad præteritum habet im-

impedimentum inamissibile. Conf. faciendo nunc, ut præteritum non sit præteritum in sensu diviso, vel id faceret Deus vi voluntatis præsentis, vel vi potentiæ præsentis. non vi voluntatis præcisæ à potentia, ut constat, quia voluntas nihil potest, nisi applicando potentiam. non vi potentiæ; aut enim per hanc redderet sibi præsens ipsum præteritum; atque hoc ex terminis est impossibile, tum quia præteritum quà tale involvit durationem præteritam, quæ præsens esse non potest. tum quia sic non esset Deus potens in præteritum, sed in præsens. Vel non redderet illud sibi præsens; & jam redit, quòd vi potentiæ præsentis ageret in non præsens. ex quo fit, ut dicebam, quod etiam si Deus non habuisset potentiam effectricem, si eam nunc acquireret; posset per locum intrinsecum nunc efficere, ut Mundus fuerit non solùm multo antè tempore, sed etiam ab æterno; adeoque & posset efficere nunc, ut Mundus sit duraturus in æternum vi potentiæ præsentis, quamvis hanc ipsam potentiam non sit habiturus in æternum. quod est evidenter contra rationes causæ, & effectus petentium mutuam coexistentiam.

Solidam nostræ huius rationis vim ponet ob oculos exemplum à loco petitum. Finge localem distantiam esse, ut quibusdam placet, impedimentum operationis essentiale. Jam si mobile sit positum in medio, ac distet à termino *à quo & ad quem*, clarum est, illud nihil posse efficere in termino *à quo*, & nihil in termino *ad quem*; propter distantiam ab utroque, suppositam insuperabile actionis impedimentum. In tantum ergo dicitur adhuc posse in utroque, in quantum ad utrumque potest accedere. quod si possit accedere ad terminum dumtaxat *ad quem*, & nullatenus possit ad terminum *à quo* reverti; dicetur retinere potentiam ad prius, non ad posterius; quia licet ad utrumque sit po-

tentia actu impedita, potest tamen ea expediri ad primum, non ad secundum, Ità prorsus res contingit in tempore, cum hoc discrimine à loco, quod in hoc nullus est essentialiter terminus *à quo*, sed qui nunc est *à quo*, potest deinde evadere terminus *ad quem*: at in tempore præteritum est terminus *à quo* essentialiter talis; & idcircò eius distantia à præsenti est omnino inauferibilis, & cum sit essentiale actionis impedimentum, potentia ad præteritum est potentia essentialiter, & inamissibiliter impedita; adeoq; non est simpliciter dicta potentia.

Ex his porrò obiter habeo, non rectè aliquos hinc petere discrimen inter præteritum, & futurum quoad veritatem propositionum illa enunciantium. impotentia enim præsens ad præteritum non est sufficiens determinativum ad veritatem potiùs, quàm ad falsitatem propositionis enunciantis rem præteritam; quia, quantum est de se, permittit rem fuisse, & non fuisse; & rei, quæ fuit, addit non posse facere, ut non fuerit; rei, quæ non fuit, addit non posse facere, ut fuerit. Evidens autem est, potentiam sic indifferentem nec posse verificare propositionem, quæ asserit rem fuisse, nec, quæ asserit rem non fuisse.

Unica est difficultas, quæ obiici directè potest adversus dicta, à scientia Dei, & revelatione præterita de actu libero meo, quæ potest impediri, & tolli per potentiam meam in actum dominativam. Sed hæc difficultas utpotè ex asse Theologica, aptiùs ad Theologos remittenda. Videatur Ruiz de Scientia Dei disp. 35. sect. 1. & 2. breviùs verò, & expeditiùs Nicol. Martinez de Deo Sciente controv. 3. disput. 6. sect. 2. ad 4.

CA-

CAPUT III.

An propria sit Dei potentia creativa.

COmpetere Deo vim creandi, h. e. traducendi rem de omni nihilo tum sui, tum subjecti ad esse, per actionem quæ nihil omnino in priori supponat præter causam, est certum ex dictis superiùs, ubi probatum est omnium contingentium sufficientiam in solo Deo residere. Rursus vim eiusmodi Dei esse propriã, si principalis ea sit, non mere instrumentalis, communis est sensus Philosophorum, ac Theologorum omnium. Sed quàm est communis hic sensus, tam videntur infirmæ rationes, quibus hanc veritatem roborare vulgò contendunt. Quærenti ergo, qua potissimum via his ipsis partibus accederem, ea incidit ex ingeniosissimo Aureolo mens, ut ex isto communi sensu in nulla efficaci ratione fundato rationem elicerem, qua efficaciter probarem repugnare creaturæ vim creandi, ut igitur sensim ad propositum aggrediar, sit.

§. I.

Ostenditur communissimus sensus circà repugnantiam creaturæ potentis creare.

SEntentia asserens, posse creaturam principaliter creare vulgò tribuitur Avicennæ 9. Met. cap. 4. Durando in 2. dist. 1. q. 4. Aliacensi in 4. quæst. 1. artic. 2. apud Amicum de creatura: rursus à Tatareto apud eundem tribuitur Nominalibus præsertim Occamo in 2. qu. 7. Denique Arriaga disput. 11. phys. sect. 6. subsect. 2. apertè tuetur probabiliorem esse sententiam, quæ docet possibilem esse creaturam,

cui virtus insit non modò instrumentalis, sed etiam principalis creandi.

Sed in primis Avicenna loc. cit. tuetur Intelligentiam inferiorem creatam esse per superiorem non tanquam per agens principale, sed tanquam per instrumentum. ait enim, quod omnia sunt à primo, sed mediante aliquo; quia putabat ab uno non procedere, nisi unum; hoc est unam primam Intelligentiam, qua deinde mediante, secunda; per hanc tertia; atque ità reliquæ fuerunt ordinatim productæ non principaliter, sed instrumentaliter, ut eius mentem interpretatur D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. o. Neque verò Durandus absolutè possibilem creaturam creatricem asseruit. loco etiam laudato id unum concludit, nullam esse convincentem rationem, qua probetur, fieri non posse creaturam, quæ aliquid agat, nullo supposito, in quo agat. hoc autem non est absolutè concedere possibilem creaturæ vim creandi; possumus enim sæpè esse certi de propositionis cujuspiam veritate, cuius rationem ignoramus; ut patet in multis, quæ innotescunt per Fidem, aut experientiam.

Aliacensis deinde citatur pro sententia physicam omnem activitatem à creaturis excludente. non igitur video, qua ratione potuerit creaturæ vim creativam concedere, qui negavit eductivam. Deinde si credimus Amico, is author negat posse creaturam creare de potentia ordinaria: concedit posse de potentia absoluta. loquitur ergo non de potentia principali, sed instrumentali, seu obedientiali, in cuius uniusactione miraculum intercedit.

Quod attinet ad Nominales, præsertim Occamum, is certè falsò pro ea sententia citatur. ut enim doceat, impossibilitatem creatricis creaturæ demonstrari non posse, non eam idcircò possibilem absolutè pronunciat? imò à P. Suar. disp. 20. Met. sect. 2. n. 11. non solum nu-

numeratur inter authores, qui creaturæ negant creandi potentiam, sed num. deinde 22. affertur ratio, qua is author nititur ad eiusmodi veritatem confirmandam.

E Scholasticis igitur omnibus superest unus Arriaga, qui sententiam in hac re singularem palàm profiteri sit ausus. Sed primò non tollit, quò minùs communissimus sit sensus, quod unus author sit in contrarium. Deinde Arriaga ingenio fuit magno, sed paulò confidentiore; quodque facilè omnia autumaret possibilia, ubi ab ipso evidens repugnantia non deprehenderetur. Imò verò ultrà hos ipsos limites videtur quandoque egressus, dum infinitum clausum, h. e. infinitum finitum propugnare non est veritus. Hoc quidem non consilio dictum volo, ut tanto viro quidquam detraham, sed ne quid eius authoritas authoritati Scholasticorum omnium vel minimum officiat.

Scholasticis nostris accedunt omnes etiam antiquissimi ante Aristotelem Philosophi, apud quos celeberrimum fuit illud, sumptumque ut principium primum, *Ex nihilo nihil fit*. Et quamvis ex iis plerique negaverint ex hoc creaturis non solum potentiam creativam, sed etiam eductivam, hoc non tollit, quo minùs verè negaverint potentiam creativam: quod unum fuit deinde confirmatum consensu posteriorum. Accedit, quod ii vim creandi Deo etiam negarunt, quia infinitam eius potentiam non agnoscebant: quam si agnovissent, vim illi creatricem non denegassent.

In hanc ipsam sententiam conspirant unanimiter Patres disputantes adversus Arianos, præsertim Cyrillus, & Athanasius. ille quidem l. 2. contra Julianum creationem appellat *naturæ magnificæ operationem, & ultrà mensuras creaturæ*. iste verò loquens de divino Verbo ser. 3. contr. Arianos: *Quomodo*, inquit, *si secundùm vos ex non entibus extitit; potens*

est non entia, ut entia sint, condere, & archite-ctari? in quam ipsam sententiam Cyrillus l. 6. thes. c. 2. *Num*, ait, *excogitare potest quispiam mentis compos, creare, quod creatur, & à nihilo producere, quod de nihilo productum est?* Demum, ut alios mittam, August. l. 9. de Gen. ad lit. c. 15. *Creare*, inquit, *naturam tàm nullus Angelus potest, quàm nec se ipsum*. Et hi quidem Patres his verbis omnem excludunt vim creativam à creaturis non solum existentibus, sed possibilibus; ut constat ipsorum verba pensanti. Eos autem loquutos non de creatione rigorosa, sed de ea ut communi cuicumque productioni, dicere ad arbitrium potuit Arriaga; persuadere non item.

Unus superest scrupulus evellendus, quòd sunt, qui putent, Arianos omnes in ea fuisse opinione, ut tribuerent creaturæ vim creandi, quatenus Verbum divinum & creaturam asserent, & virtutem creatricem denegare non possent, dicente Scriptura, per ipsum facta esse omnia. Ariani autem maxima olim pars orbis fuere; unde *Ingemuit totus orbis* (quod Hieronymus testatur scribens adversus Luciferianos) *& Arianum se esse miratus est*. Non ergo communissimus semper fuit hominum consensus in ista veritate asserenda.

Quid re ipsa senserint de Verbo Ariani quoad vim creativam, h. e. utrùm principalem, an instrumentalem ei dederint non constat. hoc habemus ex Hieronymo Comment. in c. 4. Jonæ, quod Arius *Dei Filium non negat conditorem*. Sed quidquid Ariani senserint, nihil ad rem præsentem. Nunquid enim propterea communissimus non est sensus astruens dari scientiam, quamvis integra Scepticorum natio scientiam esse negaverint? Communis sensus, qui ad veritatem sit aditus, attendendus non est penès intellectus prævia passione occupatos, quales erant Ariani, homines impii,

ac

ac furiosi, qui ut hæresim suam tuerentur, principia etiam naturaliter nota convellere non dubitarunt. hinc Patres dum adversùs hanc sectam agerent, hoc principium, *Creatura creare non potest*, probare nunquam sunt aggressi. quare & putarunt, illud esse apud omnes inconcussum, adeoque probationis non indigum: & quia fortasse Ariani illud non palàm negabant, eos arguendo adigebantur, ut veritatem omnium gentium consensione firmatam suo ipsorum errore destrui faterentur.

§ II.

Creaturam creare non posse; nulla hactenus efficaci ratione ab intrinseco probatum est.

HÆc est altera pars antecedentis, ex quo deducenda mox est impossibilitas creaturæ creatricis. Itaque celebriores rationes ad hanc diem ab authoribus excogitatas afferam, & solvam.

Prima est D. Thom. Potentia tendens ad ens, ut ens, non est, nisi omnipotentia. Potentia creativa tendit ad ens ut ens, ergo non est, nisi omnipotentia. Min. prob. à Goudino sic. Causa creans nihil supponit de ente. ergo debet tendere ad universalissimam rationem entis comprehendentem omnes essendi modos. Ab aliis sic. ad illud per se primò terminatur vis productiva, quod per se primò ad eius actionem non supponitur. sed ad creationem per se primò non supponitur *esse*. ergo vis creativa per se primò terminatur ad esse. Maior est certa; ut enim cognitio est ad id, quod supponit, & per se primò consequenter est ad id, quod per se primò in obiecto supponit: ità actio est ad id, quod non supponit, adeoque

per se primò est ad id, quod per se primò non supponit. Min. autem prob. quia si ratio entis propria effectus ad creationem supponeretur, violaretur ratio creationis; adeoque creatio illam rationem per se primò non supponit Conf. 1. phys. t. 76. dicitur, quod si animal generetur ex animali, per se non ponitur animal, quia supponitur: ergo ex Philosopho illud per se ponitur, quod per se non supponitur. atqui ad creationem per se nihil effectus supponitur. ergo ens effectus per se ponitur.

Plura adversus hanc rationem obiici possunt, quæ habes apud authores passim. Dabo solum responsionem directam. Nego igitur minorem. ad probationem Goudini nego consequentiam. ad probationem aliorum dico, universim per se primò poni à causa rationem illam formalem, quæ ad ejus actionem nec supponitur posita, nec supponitur ponenda ab alia concausa necessariò coagente. transmitto igitur, toto argumento rectè probari, actionem creativam esse formaliter ad ens, adeoque indicare, aliquam ex causis, à qua pendet, esse omnipotentem, tendentemque ad ens, ut ens. non tamen ex hoc fit, ut omnis causa creativa etiam secunda; tendere debeat ad ens ut ens. Exemplum est in causa eductiva, quæ cum traducat à non esse ad esse omnes formalitates effectus educti, debet consequenter omnes in se continere. inter cæteras autem formalitates est ens. debet ergo in sua virtute continere ens; adeoque poterit esse ad omne ens saltem educibile. Hoc quidem verum est; sed actio eductiva considerari potest ut est à Deo necessariò concurrente; atque ità formaliter illi ratio entis correspondet: & ut est à causa secunda eductiva; atque ità illi formaliter sæpè non correspondet, nisi ultima ratio specifica; idem potest dici de actione creativa.

Neque valet, quod addunt in disparitatem

inter eductionem, & creationem, quod si supponatur ratio entis in priori posita, non violatur ratio eductionis, & violatur ratio creationis. Contra enim est; quia vel est sermo de ente præsupposito ut causa materiali ad effectum eductum, vel de ratione entis imbibita in effectum educto. primum non est ad rem; quia illo adhuc supposito, superest ponenda per eductionem ratio entis in forma; adeoque debet dari causa, cui formaliter illa ratio correspondeat. secundum si dicatur, contrà est; quia vel facta ea hypothesi, quod superest ponendum, est ens, vel non. Si non, produci non potest; adeoque hypothesis est inepta. Si sic; redit argumentum, quòd illa debet alicui causæ correspondere; non secundæ; ergo primæ. Nec creatio igitur, nec eductio potest supponere positam rationem entis imbibitam in effectus atque adeò utraque per se tendit ad talem rationem, quæ est formalitas possibilitatis, & fundamentum producibilitatis; quo proinde sublato, nulla res aut possibilis manet, aut producibilis.

Huc etiam facit paritas desumpta ab intellectu; omnis enim intellectio est ad ens, quia ens per se supponit; omnis igitur actio est pariter ad ens; quia ens per se non supponit. Est tamen discrimen inter intellectum, & causam; quod intellectus omnis est ad omne ens, si intellectio est ad ens; quia intellectus licet non sit unus ipse causa intellectionis, est tamen solus ipse potentia intelligens; adeoque debet ipsi correspondere omnis formalitas, ad quam est intellectio quà talis; at non omnis causa est sola ipsa causans, adeoque non debet omni causæ correspondere omnis formalitas, ad quam est actio: imò est proprium causarum partialium, ut una uni, alteri altera effectus perfectio respondeat. poterit ergo ut causa eductiva, ità & creativa secunda esse ad taleita-

tem effectus, ad quam etiam est creatio; quæque secundum hanc etiam rationem creatio est; quatenus & alias rationes non supponit priùs positas, nec habet subiectum, à quo pendeat.

Nec validius est fulcrum, quo aliqui authores hanc rationem sustentare conantur. quia, inquiunt, potentia creans nullum ens supponit, ut causam materialem effectus: atqui entia, quæ non supponuntur, infinita sunt, & secundum perfectionem maiora, & maiora. ergo potentia creans infinita est, utpote his omnibus æquivalens. Etenim maior, & maior perfectio, quæ in entibus non suppositis est, impertinens videtur ad creationem; tum quia causalitas materialis, quæ per se facit ad eductionem, & excludit creationem, non fundatur in perfectione, sed in imperfectione, ut alibi sæpè est dictum. tum quia etiam dato, quòd sit perfectionis, est tamen, per se loquendo, æqualis in omnibus perfectionis; neque enim materia sustentans formam perfectiorem, perfectiùs influit, dato, quod influat. Causa ergo creans, cuius est concursum materialem excludere, & supplere, non debet perfectioribus, & perfectioribus æquivalere, sed præcisè illis in quantum dicentibus sustentandi virtutem. quæ formaliter sumpta est omninò limitata, licet reperiri materialiter possit in entibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum.

Altera Divi etiam Thomæ ratio est. Tanto maior est virtus traductiva de uno ad aliud extremum, quantò est maior distantia inter extrema. at distantia inter nihil, & ens est infinita, cum sit summa. ergo virtus traductiva de nihilo ad ens, qualis est creativa, est infinita. Conf. ad aliquid producendum ex potentia remota requiritur magna virtus, ex remotiore maior; adeòque ex nulla, infinita.

Sed optimè Scotus respondet, distantiam

inter nihil, & ens superandam ab actione, sumendam esse secundum gradus entitatis, quos habet ens, & quos præcisè negat non ens. Vide, quæ de hac re dixi l. 1. q. 3. c 2. §. 2. ad 5. Confirmatio non calculat potentiam creativam simpliciter infinitam, sed ordinis dumtaxat superioris ad omnem vim eductivam, ut constat in multis.

Tertia tribuitur Scoto. Omnis creatura vel materialis est, vel spiritualis. neutra potest creare, non prior; quod enim pendet à subiecto, non potest operari, nisi dependenter à subiecto; aliter modus operandi perfectione excederet modum essendi: omnis autem substantia materialis pendet secundùm esse à materia. Non posterior; quia non potest spiritualis substantia agere, nisi medio accidente, intellectione scilicet, ac volitione. nullum autem accidens potest substantiam producere: & cum sit ipsum dependens à subiecto non potest termino tribuere esse à subiecto independens.

Sed primò possibile est corpus simplex, quod quia dependentiam à materia, seu subiecto non habet, poterit ex hoc capite agere independenter à subiecto. Prætereà non est opus, ut substantia spiritualis nihil possit per se agere, sed omnia agere debeat per actus suos: imò actus intelligendi, ac volendi per se extrà nihil possunt,, nisi in quantum applicant virtutem operativam. Demum nec probatur; non posse Angelum creare per accidens superadditum; nam primò substantiam posse ab accidente, ut ab instrumento produci etiam adæquatè, in physicis est probatum. deindè quia instrumento non debent competere perfectiones effectus, poterit accidens dependens producere terminum à subiecto independentem, quatenus est virtus causæ à subiecto independentis.

Quar.

Quarta tribuitur Occamo. Omnis creatura aut naturaliter agit, aut liberè. prima non potest creare; aliter simul ageret, quidquid posset, quia non limitaretur à dispositione, vel capacitate passi, nec potest creare secunda; aliter liberè posset creare infinita: quod creaturæ repugnat.

Sed neutra pars sufficienter improbatur. nam & causa naturaliter creans indigeret consortio causæ primæ, à qua determinaretur ad agendum & finita, & hæc potiùs, quàm illa. causa verò liberè creans aut à se determinaretur ad non agendum simul, quidquid potest seorsim, quia videret hoc sibi esse impossibile: aut determinaretur à Deo.

Quinta tribuitur Ægidio. Omnis natura creata aut est potentia pura, ut materia; atque hæc nihil potest non modo creare, sed nec producere: aut est actus potentiæ mixtus; atque huic concedi debet modus operandi non excedens modum essendi; & per consequens admiscens passivam potentiam. creatio autem potentiam passivam non admiscet.

Sed vel nomine actus admiscentis potentiam venit perfectio admiscens imperfectionem; atque ità cum creatio sit entitas modalis creata, & qua parte creaturam respicit, involvat imperfectionem dependentiæ à prima causa, non potest dici, quòd excedat perfectionem creatæ causæ. Vel venit entitas composita ex actu, & potentia, saltem ex essentia, & esse, ut ipse opinatur cum D. Thom. atque ità falsum est omnem naturam creatam esse actum mixtum potentiæ.

Alias rationes vide impugnatas tum ab Arriaga suprà cit. tum ab Amico de Ang. disp. 2. sect. 2. ubi rejectis novem aliorum rationibus, decimam de suo affert, non tamen reliquis probabiliorem. fundatur enim in hoc principio; *Nullum agens potest perfectiùs agere transeunter,*

quàm

quàm immanenter. Sed actio immanens omnis pendet à sua causa, ut à subiecto. ergo actio transiens debet etiam pendere à subiecto. Sed maior claudicat; ut enim est certum, quòd aliquod agens potens extra se operari substantialiter, non tamen potest substantialiter intrà se: ità potest dici, quòd aliquod potest extra se operari independenter, & solum dependenter intra se. Quod autem opponit, maiorem perfectionem agendi non esse attendendam penes terminum, sed penès modum operandi cum dependentia, aut secus, non video, quomodo possit probabiliter sustineri; nam certè ut perfectio est vis activa, ità ex terminis maior est perfectio vis activa termini perfectioris, qualis est terminus substantialis.

§. III.

Infertur ex dictis impossibilitas creaturæ potentis principaliter creare.

DIco 1. creaturam non posse principaliter creare, evidenter sequitur ex evidenti principio.

Antequam probetur conclusio, distinguenda est cum Aureolo in 4. quæst. 1. proœm art. 3. duplex evidentia, metaphysica, & physica. prima est illius veritatis, cuius oppositum per nullam potentiam potest contingere, adeoque dicit repugnantiam, ut loquitur Aureolus in primo modo, seu repugnantiam simpliciter, & quidditativam; quia tollit quidditatem. secunda est illius veritatis, cuius oppositum dicit repugnantiam in secundo modo, qualis reperitur in his terminis, *homo non quantus*: quæ quidem repugnantia est tanta, ut superari non possit, nisi intellecta virtute superiori infinita, quæ sit potens miraculum, & stuporem ingenerare intellectui. hoc posito, sic arguo.

Nulla

Nulla creatura potest principaliter ponere effectum per actionem naturaliter impossibilem; solus enim Deus, qui est suprà naturam, potest suprà naturam operari; & propterea miraculum, quod est actio naturæ impossibilis, solum Deum habet authorem. atqui creatio est actio naturaliter impossibilis. ergo nulla creatura potest aliquid ponere per creationem. Ut hoc consequens sit evidens, sola minor est demonstranda. Sensus autem ipsius non est, quod creatio non possit esse naturalis prout naturale appellat exigentiam, sed prout appellat vires naturæ. ejus porrò veritas ostenditur ex communi omnium sensu, ut ex communi omnium sensu ostensa superiùs est Dei existentia. consensus enim universalis nec potest haberi circà falsum, nec circà verum solùm ambiguum, & probabile, præsertim si sit consensus omnium gentium, & omnium ætatum, in quibus cum & varia fuerint semper ingenia, & contrariæ sectæ, nulla est quæstio mere topica, in qua alii non sint aliter opinati. Videantur, quæ suprà dixi, agens de Dei existentia.

Restat igitur, ut principium illud, *Ex nihilo nihil fit*, in quo omnes omninò Scholæ convenerunt, sit naturaliter ità notum, ut est naturaliter notum, corpus non posse replicari, nec posse penetrari, hominem non posse non esse quantum, & similia. Sicuti autem naturalis evidentia in his facit, ut non possit intelligi possibilitas in iisdem falsitatis, nisi intelligatur virtus infinita dominans in naturam, ac potens facere, quod natura non potest: ità prorsus eadem evidentia facit, ut non possit intelligi, ex nihilo aliquid fieri, nisi eadem virtus infinita intelligatur superativa distantiæ inter nihil, & ens. Et quia nulli creaturæ virtus eiusmodi potest competere, nulla creatura potest creare.

Dico 2. principium, in quo nititur impossibili-

bilitas creaturæ potentis principaliter creare, est evidens evidentia non secunda, sed prima.

Suppono, quòd ut in linea evidentiæ metaphysicæ datur evidentia, prima, in quam secunda resolvitur: ità & potest dari prima in linea evidentiæ physicæ. Profectò enim quamvis quæ per physicam evidentiam innotescunt, innotescant per experientiam; hoc tamen non contingeret, nisi cuique esset ingeneratum à natura principium illud universale, *Verum est, quodcumque per experientiam innotescit*. Hoc autem principium est per se notum, quia omnibus antecedenter ad rationem, & experientiam notum, nec tamen est notum, nisi physicè, & cum metaphysica possibilitate falsitatis. Ejusmodi contendo esse in præsenti principium illud, *Ex nihilo nihil fit*. sic enim arguo.

Quodcumque est evidens in priori ad omnem experientiam, & rationem, est per se evidens; cum omnis evidentia dividatur adæquatè in primam, & secundam, seu evidentiam per se, & per aliud: neque sit aliud natum facere evidentiam, nisi experientia, vel ratio. At principium illud non est evidens ab experientia, ut constat; quæ enim est nobis experientia, ut cætera sileam, de Angelis noncreantibus? neque est evidens à ratione; cum rationes omnes hactenus allatæ in ejus confirmationem vix natæ sint facere probabilitatem, ut est ostensum §. 2. Accedit, quòd quamvis aliqua sit ratio illud probans evidenter, ut multi putant de ratione D. Thomæ; ista tamen evidentia non est, nisi apud paucos, cæteris repugnantibus. ergo evidentia, quam habet illud principium apud omnes, non potest in tali ratione fundari. Est ergo evidentia antecedens rationem, adeòque non secunda, sed prima; quatenus quilibet intellectus, cognitis solum ejus principii terminis, ab intrinseco rapitur ad

eius assensum; tantamque difficultatem ad assentiendum opposito experitur, ut nisi virtutem infinitam intelligat, numquam induci possit ad affirmandum, ex nihilo aliquid fieri. Rectè igitur Aureolus l.cit. *Naturale*, inquit, *quod omne agens naturale agat, aliquo præsupposito; nec oppositum potest fieri, nisi incomprehensibili virtute miraculum ingenerante intellectui*, tum concludit. *Non est ergo mirum, quod virtus creandi non possit communicari creaturæ, cum hoc teneat ex terminis: sed est potius mirum, quod aliqua virtus possit hoc facere quantumcumque immensa, sicuti est de aliis mirabilibus, quæ tenemus per Fidei veritatem.*

Hinc patet, non esse impossibile, ut creatura creet per potentiam instrumentalem, & obedientialem; nam in eiusmodi actione intervenit miraculum, & actio non tam est creaturæ, quàm Dei, adeoque habetur in ea virtus infinita principaliter operans.

Adversus ista non video quid possit obiici alicuius momenti (multa enim alia, quæ objecta aliquando sunt, in modo, quo proposita est ratio, fuere præoccupata) nisi illud. Non potest esse veritas per se nota, quam omnes, aut ferè omnes conantur probare; quis enim, nisi stultus, conetur probare, quod totum sit majus parte? atqui omnes, aut ferè omnes conati sunt probare eam veritatem, quod ex nihilo nihil fit per naturam. ergo ista non est veritas per se nota.

Resp. 1. apud veteres Philosophos, & apud Patres hanc veritatem sumptam omnino ut primam; neque enim usquam legimus conatos fuisse eam probare, imò si attendimus dicta Patrum, de ea loquuntur, ut solent de veritate per se nota: quod apparet præcipuè in verbis Cyrilli allegatis, quibus taxat ut mentis impotem, qui eam in dubium revocat.

Deinde quod attinet ad Scholasticos, fateor eos

eos in rationem huius veritatis afferendam incubuisse. Sed huiusmodi studium non officit primæ huius principii evidentiæ ex multiplici capite. 1. quia, ut in Logicis ostendi, non est idem, propositionem esse immediatam, ac per se notam, adeoque potest dari aliqua per se nota, quæ non sit immediata, sed habeat medium, quod possit per inquisitionem comparari. Profectò cum omnis creata veritas sit in posteriori ad divinam, adeoque sit per hanc demonstrabilis à priori, constat, quod cum inter creatas aliqua sit per se nota, hæc etiam demonstrabilis à priori est saltem intuenti veritatem divinam. 2. Quamvis dem falsum id esse, ubi evidentia prima est summa & metaphysica; est tamen omnino verum, ubi evidentia prima est solum physica, & non summa. Ratio disparitatis est; quia illa non potest crescere, ut potest ista. Sic principium illud superius positum, *Verum est, quod experimur*, est per se naturaliter notum, quia in illud etiam rustici ante omnem rationem consentiunt; eius tamen docti contendunt tradere rationem ex natura intuitivæ cognitionis petentis obiectum existens, & præsens. 3. demum nego conatum istum inveniendi talem rationem esse à natura; quia non est idem apud omnes, ut dictum est. Unde ergo erit iste conatus; respondeo esse ex modica evidentia, quæ habetur in veritate directa huius principii, *Ex nihilo nihil fit*. quare si attendatur ad veritatem reflexam de communissimo omnium consensu circa eam antecedenter rationem, habebitur maior, atque adeo certa ipsius evidentia; atque ita cessabit omninò inquisitio ulterior relatè ad inveniendam eius rationem à priori, quam ex hoc ipso impossibilem reputare quis non immerito poterit.

Quæras demum, quo pacto creatio sit simpliciter actio non supernaturalis, sed natura-

lis;

lis; quatenus licet superet activitatem, non tamen superat exigentiam creatæ naturæ, cum tamen aliæ actiones in exemplum adductæ, ut actio spoliandi corpus quantitate, replicandi, penetrandi, &c. sint actiones saltem quoad modum, si minus quoad substantiam supernaturales, adeoque simpliciter miaculosæ, quod non dicitur de actione creativa.

Resp. hanc esse difficultatem ab omnibus æquè solvendam, & non specialiter à nobis, ut datam rationem sustineamus; quia certum est, in præsenti ordine, creationem animæ rationalis superare omnem activitatem, non tamen exigentiam naturæ, atque à sola poni posse potentia infinitam virtutem habente; & tamen esse simpliciter exigitam, naturalemque actionem, quod de numeratis aliis actionibus dici pariter non valet. Ratio autem disparitatis fortasse est; quod cum natura creata exigat authorem suum potentiæ, virtutisque infinitæ, potest similiter ab eo expectare aliquid tantæ efficaciæ par; quod quidem est in duplici ordine; vel enim supponitur in priori ad omnem actionem ipsius naturæ, estque ipsius veluti substratum, & fundamentum, qualis est actio productiva materiæ: atque eiusmodi actio, ut à nullo potest exigi, ita & à nullo potest respui; quia in priori ad ipsam nihil supponitur, quod petat, aut reiiciat; & idcircò simpliciter miraculosa non dicitur: vel adiicitur tanquam complementum naturali operationi non valenti ulterius progredi, nec perficere, quod cæpit, qualis est rationalis animi creatio; atque hæc actio exigitur ab illo ipso conatu, ac veluti inchoatione facta per dispositiones prævias naturales, quæ non f u-stra insita naturæ est ab authore suo. hinc ista creatio utcumque sit mirabilis, utpotè infinitæ virtutis proprius effectus, non tamen miraculosa, repugnante scilicet naturali

illo

illo conatu: qui cum non sit in aliis actionibus, miraculosæ simpliciter istæ appellantur, & sunt.

QUÆSTIO TERTIA

De Dei dominio in creatam libertatem.

OMnem causam creatam pendere in agendo essentialiter à Deo quatenus nihil agere potest, nisi Deo coagente, satis est in physicis ostensum contra Durandum. Cum ergo creata libertas causa & ipsa sit suorum actuum, consequens est, ut nec ipsa possit liberè quidpiam velle, nisi ad eius volitionem concurrat Deus. De qualitate huius concursus maxima olim fuit inter Nostros, & Dominicanos contentio, prævius ne sit, an comitans; his censentibus, nisi sit prævius, non salvari Dei dominium in libertatem creatam: Nostris contra, si sit prævius, non salvari creatam libertatem, in quam Deus dominium habeat. Hæc lis, ut extenditur ad Gratiæ efficaciam, nec est præsentis loci, nec si esset, auderem illam contingere, Pontificiis sanctionibus silentium indicentibus. Propterea Nostri communiter in tract. *de divina Gratia*, dum huc deveniunt, aut rem integram prætereunt, aut tradunt unius facti historiam, quo calumnias non paucas in vulgus sparsas abstergant. Quamquam frustra est conatus omnis, ut adversarii plerique ad eandem cantilenam non redeant, etiam ubi falsitatis sunt manifesti. Testis est *Panoplia Gratiæ*, nuperrimum opus sub nomine F. Thomæ de Lemos in lucem datum: in quo de authore Typographus, vel alius quivis sub Typographo latens hanc laudem canit: *Cum omnium plausu Roma duobus coram Pontificibus in 47. Congregationibus PAL-*

MAM

MAM adeptus est. tum in operis præfatione Author ipse, se, suosque labores sic inducitur jactans; quod per eos *Magni post Apostolum defensoris Gratia S. P. Augustini ductu veritas ipsa pugnavit, & VICIT*. Qui ista legit, huic Authori, qui adversus nostram doctrinam post Didacum Alvarez disputavit, in animum inducet suum, *palmam* meritò, ac *victoriam* tribui, nam quis possit jure suspicari *palmam*, & *victoriam* publicè decantari, quæ nulla sit? Et nulla tamen est,& palàm tamen (quis credat?) decantatur, nulla habita vel alieni nominis, vel famæ publicæ reverentia. Vis enim scire, Lector, quæ sit victoria ista Lemosii? Accipe, quæ de ea Historicus noster scripta reliquit. *Hoc semper Patres Prædicatores constanter tenuerunt, se esse actores in hac causa, h.e. delatores & accusatores alieni criminis, non proprii depulsores. Quæ sunt autem accusationis nostræ capita? opinor, duo. Primum, perperam negare nos Gratiam per se efficacem, ac prædeterminantem. Alterum, Molinæ librum, hominis è Societate nostra, perniciosum, & heterodoxum esse. Quid fieri oportet; ut vos vincatis? opinor, judicari rem ita se habere, ut vos contenditis: Nos errare in eo, quod nullam Gratiam ex sese efficacem, & physicè prædeterminantem admittimus: & Molinæ librum proscribendum inter damnatæ lectionis opera videri. Hoc ne vos quidem factum dicitis. quomodo ergo vicistis? Quærite à Jureconsultis, an non ille vincat, qui interpellatus de jure obtinendi agrum, quem possidet, causa discussa, Judicis arbitrio in possessione confirmatur, Nostra sententia de Gratia congrua, Liber Molinæ de Concordia, qua priùs fruebantur, sana doctrina, ac fama integra possessionem ultimo Pauli Pontificis judicio firmarunt. quomodo ergo non vicimus? aut quæ est ita vestrorum gloriatio jactantium se vicisse? Quis audivit unquam vicisse Accusatorem, cuius Reus absolvitur? aut*

Reum causa cecidisse, qui liber omni suspicione, ultima, & decretoria sententia, pronunciatur? Huic argumento ineluctabili debuisset antea responderi, tum *palmam*, ac *victoriam* Lemosii efferti ex merito, quod factum nunc non est, nisi ex vano. Sed istis in præsens missis, ad rem venio, professus antea de prædeterminatione nihil me dicturum, nisi in quantum ea ad actus merè naturales aut necessaria, aut possibilis astruitur. tum demum ostendam, quatenus, ea negata, perfectissimum Dei in creatam libertatem dominium omninò consistat.

CAPUT I.

Recentium Thomistarum sententia cum suis authoribus exponitur.

GOudinus, recentior ille Gallus aliàs citatus post sententiam Molinæ non multum bona fide narratam, hæc de sua, suorumque sententia habet in Met. q.4.art.1. *Altiùs de Deo, divinaque motione sentiunt Thomistæ, docentes cum tota antiquitate, primatibus Theologis, ac Philosophis, præcipuisque orbis Accademiis, Deum non solùm cooperari creaturis, causasque liberas ad benè agendum moralibus motionibus excitare, sed etiam agentia omnia physicè, activè, præviéque applicare, & movere ad omnes, & singulas actiones*. Hæc est ipsa recentium Thomistarum sententia (non tamen plenè declarata, ut cap. sequ. constabit.) pro qua totam antiquitatem, primates Theologos, ac Philosophos, & præcipuas orbis Academias stare narrat hic Author. Sed sine Lectorum injuria, quos satis ineruditos, & à re Scholastica peregrinos præsumpsit, scribi ista non potuisse, ita demonstro.

Si tota antiquitas, primatesque Theologi, ac

ac Philosophi physicæ sunt præmotionis assertores, consequens est, ut qui physicam præmotionem non asserit, nec antiquitati, nec primatibus Scholasticis sit annumerandus. Hæc sequela quam est evidens, tam est falsum evidenter, quod in ea infertur. Quid enim? non est antiquus Scotus, aut non censendus cum Suis inter primæ notæ Shcolasticos? Sed nunquid Scotus, & Scotistæ physicam prædeterminationem agnoscunt? *Physicam prædeterminationem*, ait Mastrius in 1. disp. 3. qu. 3. art. 1. num. 75. *Scotus non solum in causis liberis, ut libertati præjudicialem inficiatur, sed etiam in causis ipsis naturalibus censet omnino superfluam, ut habetur in 4. d. 7. qu. 1. fin. & d. 12. qu. 3. lit. A. &c.*

Non sunt antiqui, aut non primates Theologi Alensis, Bonaventura, Occam, Aureolus, Ariminensis? Sed num isti prædeterminationem Bannesianam usquam asseruerunt? Alensis 1. p. qu. 40. memb. 4. ad 3. *Dicendum*, ait, *quod voluntas beneplaciti est respectu bonorum dupliciter aut cum prædeterminatione, ut eorum, quæ non sunt in potestate arbitrii; & hæc sunt alligata necessitati: aut sine prædeterminatione, & hoc modo est bonorum, quæ sunt in potestate arbitrii.* Bonavent. in 2. d. 37. art. 1. qu. 1. ad ult. *In operibus indifferentibus, vel malis, non est, nisi sola cooperatio divina virtutis, &c. propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præventio, vel subsecutio.* Idem habet Occam in 1. d. 38. q. unic. & Gabriel ibidem: Aureolus in 1. d. 38. q. 1. ar. 1. propos. 1. ubi negat, Deum cognoscere futura contingentia in determinatione suæ voluntatis: Ariminensis in 2. d. 34. q. 1. ar. 3. ad 8. apud Capreolum in 2. d. 37. q. 1. ar. 3. ad secundum principale eius dicta referentem & approbantem.

Idem esto judicium de Alberto Magno, Altisiodorensi, Gandavensi, Durando, Richar-

chardo, Thoma ab Argentina, Dionysiis Carthusiano, & Cisterciensi, Aegidio. Paludano, Capreolo, Conrado, Caietano, aliisque plurimis, quos habes latè citatos, & expensos à Ruiz de scient. Dei disp. 49. per totam, & latiùs ab Henao tom. 2. de scient. media Theologicè defensata, ubi prædictis addit Bachonum, Alkot, S. Antoninum, Adiacensem, Jò: Maiorem, Vvaldensem, Cordubam, &c.

Idipsum constat ex testimonio adversariorum, quos saltem si legisset hic author, non tam confidenter totam antiquitatem, primatesque Theologos in suam sententiam invitos traxisset. Profectò Bannez 1. p. q. 23. ar. 3. pro nostra opinione prædeterminationes negante citat Ruardum, Taperum, Capreolum, & Gregorium. Ledesma verò tract. de Aux. in qu. fund. pag. mihi 7. §. *Ex hac sententia* citat pro secunda opinione paulò antè relata, quæ præmotionem excludit, multos Theologos antiquos, & modernos, Marsilium, Alensem, Bonaventuram, Gabrielem, Gregorium, Henricum, Catherinum, Driedonem, Ruardum, Pighium, Osorium, Sirenium, Sadoletum, Cordubensem. Vegam, Capreolum, & Caietanum. Videat ergo, quot, & quos Doctores loco moveat, èque numero seu antiquorum, quod est imperitiæ, seu primatum, quod est audaciæ, Goudinus excludat.

Deinde si præcipuæ orbis Academiæ physicam præmotionem tuentur, inter præcipuas censendæ non sunt, quæ non tuentur. At si Lovaniensem, & Duacenam excipias (quæ Lessio priùs, eiusque asseclis acriter refragatæ, postmodum ex Apostolico Sixti V. mandato edicto Episcop. Calatini Apostolici Nuntii jussæ censuram revocare, eò sensim devenere, ut ex earum Doctoribus plures, teste Annato, præmotione expuncta, sententiæ jam no-

ſtræ ſubſcribant) nulla poterit referri, quæ præmotionem tuendā ſuſceperit, & in Banneſii verba juraverit. Profectò Trevirenſis, & Moguntina rogatæ, ut ſuper Leſſii cum Lovanienſibus controverſia ſententiam ſuam ferrent, Leſſii doctrinam ut Catholicam probarunt. Moguntina inſuper literis ad Clem. VIII. an. 1601. datis, ut eſt apud Paulum Leonardum p. 1. num. 38. aſſerit Molinæ ſententiam eam eſſe, qua Bellarminus, & Stapletotrus niſi Calviniana dogmata everterant, & Tridentini ſanctiones defenderant. addunt: *Quo præſidio ſi deſtituti fuerint, tum ingens apud Catholicos oborietur ſcandalum; tum anſa præbebitur Calviniſtis, quaſi de parta contra nos victoria triumphandi.*

Herbipolenſis Academia in literis eodem anno de eodem argumento ad eundem Pontificem, quas habes apud eundem Leonar. nu. 40. inter cætera hæc habet: *Utinam ſectarii in Germania, quando ad eos fama defertur, aliquos à Catholicis Theologis opinari, per divinam gratiam ſic hominis prædeterminari voluntatem, ut nequeat cum eius motione adiungi diſſenſus, non magis confirmentur in ſui erroris ſententia de libertate nobis per cæleſtis gratiæ potentiam erepta.*

Complutenſis, quæ P. Vaſquez, ut Doctorem ſuum & jactat, & veneratur, rogata ab Apoſtolico Nuntio Caietano, ut ſenſum ſuum de phyſica præmotione aperiret, reſpondit in hæc verba: *P. Vaſquez tenet negativam partem, exiſtimans dictam gratiam excitantem eſſe cauſam ſufficientem noſtri liberi conſenſus cum concurſu Dei illi debito. quæ in re quamvis Auguſtinus non excludat expreſſe dictam phyſicam prædeterminationem, quia de illa non agit, non tamen illam exigit, ſed ſecundùm eius doctrinam dicta gratia excitans eſt ſufficiens.* Ità apud Leonar. cit. num. 37.

Ban-

Eandem fuisse mentem Academiæ Salmanticensis, & Vallisoletanæ ostendit idem author à n. 41. Idipsum de Valentina testatur, Borrull. de sc. m. disp. 5. sect. ult. De Cæsaraugustana, Conimbricensi, aliisque Hispanis Universitatibus latè, & efficaciter probat Henaus à sect. 436.

Quod attinet ad Parisiensem, cæterarum Matrem, & Ducem, audiatur Annatus in suo Eugen. Philad. c. 3. §. 6. ubi hæc ait: *Quod ante aliquot annos scribebat Petrus à S. Joseph, alienos esse à physicis prædeterminationibus Sorbonicos omnes Professores, adeò perseverat, ut ex illis sex, qui quotidie ad Sorbonam docent nullus eam opinionem approbet.*

Quæ cum ità sint, ostendat Goudinus, si habet, quæ sint præcipuæ istæ orbis Academiæ (si numeratæ inter præcipuas ipsi non sunt) quę physicæ præmotioni subscribant, nisi forte fictum à se orbem, aut unas sui ordinis, qui est ipsi pro orbe, Academias intellexit, quasi unæ illæ præcipuæ sint. Neque aliam video aptiorem imposturæ huius excusationem præter istam; quæ tamen videtur religiosæ modestiæ limites transgredi.

Citet ergo pro sua sententia suos Dominicanos. addat Zumel, Cabreram, Discalceatos Complutenses, ac Salmanticenses, aliosque ex exteris non ità multos. Quamquam ex suis etiam Dominicanis habet, quos isti numero subducat, tum omnes, qui scripserunt ante Bannesium, tum post cæptam agitari controversiam de Auxiliis, Jo: Vincentium, Franciscum Romeum, Franciscum Atavio, Thomam Turcum, & alios, de quibus multa videri possunt in libello, cui titulus, *Authoritas contra prædeterminationem physicam, authore Germano Philalethe Eupistino*. Accedunt omnes ii Dominicani, qui præmotionem ad actus bonos admittunt, negant ad malos, de quibus infrà.

Sed hanc, ut putant, contumeliam in nos retorquent adversarii, multosè nostra Societate Doctores suis partibus vindicantes, Bellarminum, Toletum, Pererium, Azorium, Henriquez, & Bastidam illum, qui coram Pontifice scientiæ mediæ causam diù patrocinatus est. Sed quam infeliciter id sint conati, manifestum faciunt, quæ libellus modò laudatus clarissimè demonstrat: quod & alii ex Nostris plurimi præstitere; ut opus ultra non sit eundem lapidem movere, ne actum agam. Hoc totum ideò adduxi, ut appareat, qua fide Goudinus sententiam nostram intra fines angustissimos coegerit, certòque de præmotione pronunciavit, eam demum esse, in quam omnes primates Theologi, omnesque Academiæ conspirant.

CAPUT II.

Sententia Prædeterminantium declaratur.

HOc primum statuunt Prædeterminatores, causam omnem secundam seu naturalem, seu liberam, ut exeat in actum, indigere priùs natura realitate aliqua physica à Deo accepta, per quam moveatur, applicetur, determinetur, ac reducatur de actu primo ad secundum; itàque ultimò constituatur activa, ut statim sequatur actio.

2. Hæc realitas non permanens est, & habitualis, sed transiens cum actu, sive ea sit qualitas, sive potiùs motio virtuosa; qua tamen stante, impossibile est actum non poni illum, ad quem causa præmovetur. Ità Alvarez l.3. de Aux. disp.19. in prob. concl.3. ubi: *Hæc duo*, inquit, *incompossibilia sunt, quod justus moveatur efficaciter ad diligendum Deum, & tamen non diligat illum*. Idem vulgò sentiunt reliqui Prædeterminantes.

3. Si-

3. Sine præmotione ad actum A negant fieri posse actum A in sensu saltem composito præmotionis exclusæ. Ità Alvarez cit. disput. 22. n. 33. ubi, *In sensu*, inquit, *composito nihil velle possumus sine prædeterminatione divina, &c.* & Bannez 1. p. qu. 14. art. 13. §. *Ad hoc respondetur, Nulla*, ait, *secunda causa potest operari, nisi sit efficaciter à prima determinata*.

4. Huiusmodi realitatem in actu secundo præmotivam aiunt causari à solo Deo, voluntate ad ipsam passivè dumtaxat se habente. Ità Alvarez disp. 18. num. 20. ubi vult, quòd *Motio pravia non sit in potestate voluntatis, tanquam in causa efficiente, cum talis motio pravia sit effectivè à solo Deo*. Sed Ledesma quæst. un. de Aux. art. 8. concl. 3. sic ait: *Hac prædeterminatio voluntatis non est à solo Deo, sed simul etiam ab ipsa voluntate. In hac conclusione conveniunt discipuli D. Thomæ*. tum id probat ex eo, quia secus libertas everteretur. Hoc non obstante, communis jam sensus inter Thomistas est, præmotionem à solo Deo esse efficienter.

5. Huiusmodi realitas est omninò distincta ab actibus intellectus, & voluntatis. In hoc conveniunt jam Præmotores contrà Ledesmam, & sequitur ex modò dictis; nam prædeterminatio est à solo Deo, causa secunda nihil ad eam effectivè concurrente. Sed actus vitalis nullus est, ad quem potentia vivens non concurrat effectivè. ergo actus vitalis nullus est præmotio.

6. Præmotio est complementum actus primi, & principii operativi creati. Ità Alvarez disp. 18. n. 18. ad 1. ubi, *Motio*, inquit, *actualis Dei confert voluntati, & omnibus causis secundis ultimum complementum actus primi. confert etiam vim quandam, qua operantur ad esse, & ad ultimam actualitatem effectus. ut instrumentum Dei*. Idem habet Zumel tom. 2. var.

pag. 10. col. 2. fin. ubi ait, quod Deus movet voluntatem per actionem eius per modum actus secundi, & per auxilium efficax per modum actus primi; *Quia Deus non determinat voluntatem in actu exercito, & in actu secundo, nisi per eandem actionem voluntatis, posita gratia prædicta, quæ est actus primus eius.*

7. Utrum compleat voluntatem præmotio per modum virtutis, an per modum conditionis applicantis, non facile erui potest ex adversariorum dictis. Alvarez l. prox. cit. censet: *Præmotionem supponere in voluntate, quidquid est necessarium ex parte actus primi per modum potentiæ, aut operativæ virtutis.* Verùm deinde idem Alvarez disp. 91. num. 1. statuens discrimen inter prædeterminationem moralem, & physicam, sic ait: *Illa* (moralis) *solùm moraliter facit, ut faciamus, sicut qui rogat, suadet, vel consulit: hæc verò* (physica) *id efficit physicè, seu verè efficienter.* Et infrà ad 4. *Una ex causis prærequisitis, ut quis actualiter bene operetur, est prædeterminatio moralis, & physica, ut dictum est, quarum altera physicè attingit actum, altera verò solùm moraliter.* Goudinus q. 4. cit. art. 4. § 8 in ultima probatione vocat præmotionem *ultimam activitatem*, qua Deus inspirat voluntati *ultimum vigorem agendi*, sine quo facultas activa creata, cum *sit permixta potentialitate, debilis est, & ad operationes in actu secundo ponendas insufficiens.* tum in responsionibus ad argumenta recurrit ad commune suorum dictum de necessitate præmotionis ad agere, non ad posse.

8. Conveniunt jam in hoc Prædeterminantes, prædeterminationem non esse necessariam ad posse agere, sed ad actu agere. hinc dicunt eam pertinere ad actum non primum, sed secundum, vel potiùs esse medium quoddam, & nexum inter utrumque. Hac doctrina utuntur, ut ostendant, quo pacto simul cum præ-

motione retineat voluntas potentiam ad oppositum, adeoque indifferentiam requisitam ad libertatem, auxilii sufficientiam &c. Ità loquitur Alvarez disp.18. n.29. ad 6. & disp.23. nu. 32. ad 8. & alii passim.

CAPUT III.

Num cohærenter dicatur physica præmotio ad actum primum non pertinere.

INcipio ab his, quæ possunt videri leviora; habent enim nonnihil de voce: sed quia hic ille est loquendi modus, quem semper adversarii obtrudunt, obstruendum est illis hoc latibulum: quod si amittant, vix habent, quò se recipiant. Ostendam igitur, nec rectè, nec cohærenter physicam præmotionem à suis auctoribus dici ad actum primum non pertinere; ostensurus deinde in sequentibus voces istas ad arbitrium usurpatas nihil penitùs evacuare vim difficultatis ineluctabilem.

Arguo 1. Adversarii docent, ut visum est c. sup. n.6. *Præmotionem esse complementum ultimum actus primi*. ex quo evidenter infero; ergo sine præmotione actus primus est incompletus; neque enim si completus est, potest per præmotionem compleri, cum ex terminis constet, completum non posse compleri, cum compleri sit accipere, quod non habetur. Rursus; ergo præmotio constituit actum primum in esse actus primi completi id enim, quo præcisè sublato, res aut denominatio non est, est rei, aut denominationis constitutivum. at sublata præmotione, actus primus completus non est. ergo præmotio constituit actum primum completum. Ex his, quæ sunt evidentia, sic arguo in forma. Omnis pars pertinet ad totum, quod constituit. Sed præmotio est pars constituens actum primum completum. ergo pertinet

 tinet

tinet ad actum primum completum. subsumo. Sed quod pertinet ad actum primum completum, pertinet ad actum primum; nam actus primus completus est actus primus sine addito; cum actus primus incompletus sit actus primus remotus, impeditus, ac diminutus. ergo præmotio pertinet ad actum primum.

Arguo 2. Quidquid est in priori natura ad actum secundum, pertinet ad actum primum. at præmotio est in priori natura ad totum actum secundum voluntatis. ergo pertinet ad actum primum. Minor est doctrina adversariorum; hoc enim sonat præmotio, motionem præviam, nec præviam ordine temporis, sed causalitatis. Maior prob. 1. ex communi Thomistarum doctrina, juxtà quam *esse* distinctum realiter à forma, eiusque virtute causativa, quamvis causativum non sit, pertinet tamen ad virtutem ipsam causativam, & actum primum; & dicitur actus secundò primus ad differentiam virtutis, quæ est actus primò primus. hoc autem non alia ratione dicitur, nisi quia priùs natura est rem esse, posteriùs agere. Universim ergo, quod est natura prius, ad actum primum pertinet.

2. D. Thom. de Ver. qu. 27. art. 3. ad ult. ait, quòd *Duplex est actus formæ. Unus, qui est operatio, ut calefacere, qui est actus secundus. alius verò actus formæ est materiæ informatio, qui est actus primus, sicut vivificare corpus est actus animæ.* Jam informatio non est virtus animæ; quia verò anima vitam materialem operari, nisi informet, non potest, & priùs natura est informare, quàm vivere, ideò informare dicitur actus primus. ergo quod non causat, necessarium tamen est in priori ad causandum, ad actum primum pertinet.

3. Idipsum patet ex notione actus primi, qui primus non dicitur, nisi comparativè ad secundum, quem antecedit. quidquid ergo antece-

tecedit natura actus secundùm, habet rationem actus primi. Fingere autem actum medium inter primum, & secundum, est in terminis ineptum; quia est facere de secundo tertium. Sic in omnium sententia habitus pertinet ad actum primum: quod & expressit D. Thomas 1. 2. quæst.49. artic.3. ad 1. ubi, *Habitus*, inquit, *dicitur actus primus, & operatio secundus, ut patet in 2. de Anim.* quod est verum, licèt habitus supponat potentiam plenè constitutam in suo posse, quam proinde juvat, ut possit non simpliciter, sed facilè. Similiter applicatio agentis ad passum, v. g. ignis ad stupam, pertinet ad actum primum proximum operativum ignis, quatenus removet distantiam impeditivam ignitionis, adeòque expedit ignem ad agendum.

Arguo 3. Omnis dispositio causæ reducitur ad genus ipsum causæ, quam disponit. Docet hoc D. Thom. in 4. d. 17. quæst.2. art.5. quæstiunc.1. o. ubi, *Dispositio*, ait, *reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad accipiendum: secus autem est de dispositione agentis ad agendum; quia illa reducitur ad genus causæ efficientis.* At præmotio est dispositio agentis ad agendum; *Dispositio* enim *ad aliquid*, ut ait D. Thom. quæst. unic. de virt. artic. 1. ad 8. *dicitur id, per quod aliquid movetur in illud consequendum*. ergo reducitur ad agens, adeòque ad actum primum.

Arguo 4. præmotio prærequiritur ad agere. ergo requiritur ad posse agere; adeoque pertinet ad ipsum posse. prob. cons. quod necessariò prærequiritur ad actum, tale est, ut actus esse non possit sine eo præsupposito. ergo sine eo præsupposito actus non potest fieri; aliter posset fieri, quod non potest esse. er[illegible] eo præsupposito, nulla causa p[illegible] sine facere; aliter causa posset facere, [illegible]uod[illegible] [illegible] illum non potest

fie-

fieri. Neque instes, effectum non posse fieri sine actione, neque hinc sequi, quòd actio pertineat ad posse. Contra enim est; quia actio est ipsum ponere, non autem prærequisitum ad ponere; adeoque est terminus potentiæ, non potentia. at prærequisitum cum terminus potentiæ non sit, & faciat extrinsecè ad termini possibilitatem, restat, ut faciat intrinsecè ad potentiam; aliter virtus posset hic, & nunc simpliciter in effectum, qui ex defectu prærequisiti fieri non posset; adeoque intelligeretur in priori posse facere, quod intelligitur in priori non posse fieri.

Arguo 5. dum dicitur præmotio pertinere ad actum secundum, non ad primum, vel fit sensus causalis, vel formalis. Non formalis: quia formaliter ad actum secundum non pertinet, nisi entitas actus, per quam est formaliter actus, & actio ipsa, qua est formaliter secundus, h. e. consequens, & dependens. præmotio autem nec est actus, nec eius dependentia, sed aliquid utroque prius. Non causalis, sic enim perperam argueretur, præmotionem non esse actum primum. non enim excludi potest ab actu primo per prædicatum proprium actus primi. sed pertinere causaliter ad actum secundum est prædicatum proprium actus primi; quia pertinere causaliter ad actum secundum est pertinere ad illum per modum alicuius naturæ, & causalitate prioris.

Dices, præmotionem non pertinere ad actum primum, quia actus primus concipitur in potentia ad secundum: at præmotio nunquam potest concipi in potentia, cum sit ultima determinatio ad actum secundum.

Sed contrà; quia committitur fallacia consequentis. Actus enim primus alius est necessarius, seu necessariò effectum inducens: alius contingens, seu inducens effectum contingenter. primo [illegible] est Pater æternus relatè ad

Fi-

Filium; nam conceptus in priori originis dicit ad Filium necessariam habitudinem; neque ex hoc in Patre ratio principii violatur, quòd concipi non possit in potentia ad Filium. eodem modo est actus primus quælibet causa naturalis, si sumatur simul cum omnibus requisitis ad agendum, inter quæ numeratur omnipotentia parata. Itàque actus primus necessarius ille dicitur, quo posito, necessariò sequitur effectus: sicuti è contrario, Actus primus contingens est quo posito, effectus contingenter sequitur propter principii indifferentiam, Dum ergo adversarii arguunt: Præmotio non pertinet ad actum primum potentialem, seu contingentem; ergo non pertinet ad actum primum, arguunt per fallaciam consequentis, ab antecedente scilicet ad consequens negativè, ut, Non est homo, ergo non est animal.

Arguo demum 6. principaliter ex D. Augustino, & D. Thoma, à quibus suam præmotionem doceri credunt adversarii. Sed ubi præmotionem docere dicuntur SS. isti DD. illam dicunt pertinere ad posse. aut ergo præmotio D. August. & D. Thom. non est præmotio adversariorum, aut si est illa, pertinet ad posse. prob. min. Gratia, quam S. August. vocat efficacem, Bannistæ contendunt esse præmotivam, imò præmotionem ipsam. atqui August. efficacem gratiam ubiq; docet pertinere ad posse. L. de Corr. & Gr. c. 11. sic ait: *Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse, quod volumus, verùm etiam velle, quod possumus.* L. de Gr. & Lib. Arb. c. 16. *Certum est nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Vires autem ad *posse* pertinent. Præterea Alvarez disput. 88, num. 7. ad probandam necessitatem præmotionis etiam in justis citat Augustin. l. de Nat. & Gr. c. 26. ubi sic ait: *Sicut oculus corporis etiam*

plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi aterna Luce justitia divinitus adiuvetur, rectè non potest vivere. Dat igitur, juxtà Augustinum, ea gratia, quæ adversariis est præmotio, ipsum etiam posse supernaturaliter vivere, ut dat lux posse naturaliter videre, complendo potentiam non quidem visivam, sed effectivam visionis.

Idem esto judicium de D. Th. in iis locis, ubi docuisse prædeterminationem visus est adversariis. nam 1. 2. q. 109. art. 1. o. *Quantumcumque*, inquit, *natura corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo*. sine motione igitur, aut præmotione divina non potest creata voluntas in actum procedere. ergo habet à præmotione, ut possit; aliter quo pacto præmotio remota removet posse, si nullatenus pertinet ad posse? Et art. 9. o. *Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ*. Quod autem, ait Alvarez disp. 19. num. 9. exponendo hunc textum, quasi eius sensus sit, *Causam secundam nunquam esse operaturam, nisi moveatur à Deo*, est aperta violentia. quid enim, si quis pari licentia interpretandi verba illa Christi Domini Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, exponat dicendo, non negari *posse introire*, sed *introire*? quid, si pariter illud Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, interpretetur non de *posse venire*, sed de actu *venire*? Quid, si can. 16. Trid. *Nemo potest tota vita omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio*, sic intelligat. *Potest vitare, sed non vitabit*? An non istæ extorsiones potiùs sunt, quàm expositiones? At hoc prorsus pacto S. Doctorem adversarii interpretantur, seu veriùs nolentem ad sua sensa detorquent.

CA-

CAPUT IV.

Num rectè, & cohærenter dicatur voluntas prædeterminata ad unum retinere sufficientiam ad oppositum.

CErtissimum est, quod qui liberè amat, habet sufficientiam odio habendi, & è contrario: quod non solùm deducitur ex ratione libertatis, sed etiam ex Fide damnante errorem Jansenistarum asserentium, nullum in natura lapsa dari auxilium sufficiens, quod efficax non sit. hoc posito, sit

§. I.

Ostenditur cum prædeterminatione ad unum non stare sufficientiam ad oppositum.

ARguo 1. ex dictis. Qui caret actu primo completo ad actum, caret sufficientia ad actum. sed qui amat, caret actu primo completo ad odium, eo ipso, quod caret præmotione ad odium. ergo caret sufficientia ad odium. Minor est probata cap sup. Maior est certa; quid enim est sufficientia actus secundi, nisi actus ipse primus completus, quo posito in rerum natura habetur id totum, quod satis est, ut actus ipsé consurgat? Certè in præsenti non est sermo, nisi de sufficientia in actu primo ab actu primo indistincta. ubi ergo non est totus actus primus, non est tota sufficientia.

Conf. ex terminis non habetur sufficientia ad A, ubi aliquid deest necessariò requisitum ad A, sed promotio ad odium est necessariò requisita ad odium. ergo deficiente præmotione, deficit odii sufficientia. at qui amat, non

habet

habet ad odium præmotionem, ergo non habet odii sufficientiam.

Resp. pulchrè Gonetus distinguendo sufficientiam Theologicam à sufficientia grammaticali; quasi verò in vocabulis, quibus utuntur docti, & indocti, deberet esse Theologis proprium dictionarium.

Arguo 2. ex triplici exemplo adversariorum. comparant enim primò motionem divinam cum motione, qua Cæli influunt in causas inferiores. 2. cum motione, qua impelluntur ab artifice instrumenta artis. 3. cum lumine movente oculum ad visionem: quod ultimum est exemplum Augustini in calce capitis superioris relati. At quis dicat, inferiores causas, remotis cælestibus influentiis, habere sufficientiam ad motus suos peragendos? instrumenta artis ab artifice non mota sufficere ad artefacta; oculum per se unum satis esse, ut videat obiecta nondum illuminata? Non ergo sufficit ad odium voluntas ad odio habendum non præmota, si præmotio est ad odio habendum non minus, imò magis necessaria.

Conf. sufficientia amandi, quam debemus concedere voluntati, dum odit, est talis, ut defectus amoris voluntati vitio vertatur. Sed voluntas non amans cum defectu præmotionis ad amorem, non est ita constituta, ut defectus amoris jure ipsi possit vitio verti. ergo non habet sufficientiam ad amorem. Min. prob. datis exemplis. finge enim Cælum non moveri, nec influere in inferiora, quis arbori v.g. tribuet, quod non in flores, fructusque se induat? pono artificem non applicare instrumentum ad opus, quis instrumento tribuat, quod opus non elaboretur? da lumen oculo prohiberi, quis oculo imputet, quod non videt? Similiter si voluntas ad amorem non præmota non amat, non ipsi imputabitur non

amor,

amor, sed neganti præmotionem. Voluntas ergo ad odium præmota caret propriè dicta sufficientia ad amorem.

Hinc habes, occupatum esse præcipuum Thomistarum effugium, quo dicunt, præmotionem requiri ad agere, non ad posse agere; unde inferunt, sine præmotione ad amorem stare potentiam, adeoque sufficientiam amandi. Sed jam cap. super ostensum est, præmotionem, si requiritur, requiri etiam ad posse; nec stare duo ista, quod requiratur in priori causalitatis ad agere, & quod non requiratur ad posse agere. Deinde quidquid sit de ista locutione impropria, & arbitraria, ostensum modo est, quod si præmotio est ad actum prærequisita, eaque in potestate voluntatis non est, non potest voluntas non præmota ad actum habere eam sufficientiam ad actum, ratione cuius sit ipsi imputabilis non actus.

Habes præterea, quam sit absre exemplum illud adversariorum; quo dicunt, albedinem pertinere ad esse album, & non ad posse esse album, ex quo inferunt, idem dici de præmotione posse. Etenim ad effectus sufficientiam non pertinet effectus ipse, sed causa cum toto eo, quod se tenet in priori causalitatis. albedo autem facit album formaliter, non effectivè, nec proinde tenet se in priori natura ad album, ut se tenet in priori ad actum præmotio. Præterea paritas retorquetur; ut enim non potest habere in potestate album, qui non habet in potestate albedinem, vel secundùm esse; vel secundùm inesse essentialiter, requisitum ad album: ita nec potest habere voluntas in potestate actum, nisi habeat similiter in potestate præmotionem essentialiter prærequisitam ad actum.

Eiusdem omninò farinæ est alia responsio verbis dumtaxat differens à præcedente, quod scilicet voluntas non præmota ad amorem habet

pag. 10. col. 2. fin. ubi ait, quod Deus movet voluntatem per actionem eius per modum actus secundi, & per auxilium efficax per modum actus primi; *Quia Deus non determinat voluntatem in actu exercito, & in actu secundo, nisi per eandem actionem voluntatis, posita gratia prædicta, quæ est actus primus eius.*

7. Utrum compleat voluntatem præmotio per modum virtutis, an per modum conditionis applicantis, non facile erui potest ex adversariorum dictis. Alvarez l. prox. cit. censet: *Præmotionem supponere in voluntate, quidquid est necessarium ex parte actus primi per modum potentiæ, aut operativæ virtutis.* Verùm deinde idem Alvarez disp. 91. num. 1. statuens discrimen inter prædeterminationem moralem, & physicam, sic ait: *Illa* (moralis) *solùm moraliter facit, ut faciamus, sicut qui rogat, suadet, vel consulit: hæc verò* (physica) *id efficit physicè, seu verè efficienter.* Et infrà ad 4. *Una ex causis prærequisitis, ut quis actualiter bene operetur, est prædeterminatio moralis, & physica, ut dictum est, quarum altera physicè attingit actum, altera verò solùm moraliter.* Goudinus q. 4. cit. art. 4. § 8. in ultima probatione vocat præmotionem *ultimam activitatem*, qua Deus inspirat voluntati *ultimum vigorem agendi*, sine quo facultas activa creata, cum *sit permixta potentialitate, debilis est, & ad operationes in actu secundo ponendas insufficiens*. tum in responsionibus ad argumenta recurrit ad commune suorum dictum de necessitate præmotionis ad agere, non ad posse.

8. Conveniunt jam in hoc Prædeterminantes, prædeterminationem non esse necessariam ad posse agere, sed ad actu agere. hinc dicunt eam pertinere ad actum non primum, sed secundum, vel potiùs esse medium quoddam, & nexum inter utrumque. Hac doctrina utuntur, ut ostendant, quo pacto simul cum præ-

mo-

motione retineat voluntas potentiam ad oppositum, adeoque indifferentiam requisitam ad libertatem, auxilii sufficientiam &c. Ità loquitur Alvarez disp. 18. n. 29. ad 6. & disp. 23. nu. 32. ad 8. & alii passim.

CAPUT III.

Num cohærenter dicatur physica præmotio ad actum primum non pertinere.

INcipio ab his, quæ possunt videri leviora; habent enim nonnihil de voce: sed quia hic ille est loquendi modus, quem semper adversarii obtrudunt, obstruendum est illis hoc latibulum: quod si amittant, vix habent, quò se recipiant. Ostendam igitur, nec rectè, nec cohærenter physicam præmotionem à suis authoribus dici ad actum primum non pertinere; ostensurus deinde in sequentibus voces istas ad arbitrium usurpatas nihil penitùs evacuare vim difficultatis ineluctabilem.

Arguo 1. Adversarii docent, ut visum est c. sup. n. 6. *Præmotionem esse complementum ultimum actus primi*. ex quo evidenter infero; ergo sine præmotione actus primus est incompletus; neque enim si completus est, potest per præmotionem compleri, cum ex terminis constet, completum non posse compleri, cum compleri sit accipere, quod non habetur. Rursus; ergo præmotio constituit actum primum in esse actus primi completi id enim, quo præcisè sublato, res aut denominatio non est, est rei, aut denominationis constitutivum. at sublata præmotione, actus primus completus non est. ergo præmotio constituit actum primum completum. Ex his, quæ sunt evidentia, sic arguo in forma. Omnis pars pertinet ad totum, quod constituit. Sed præmotio est pars constituens actum primum completum. ergo pertinet

tinet ad actum primum completum. subsumo. Sed quod pertinet ad actum primum completum, pertinet ad actum primum; nam actus primus completus est actus primus sine addito; cum actus primus incompletus sit actus primus remotus, impeditus, ac diminutus. ergo præmotio pertinet ad actum primum.

Arguo 2. Quidquid est in priori natura ad actum secundum, pertinet ad actum primum. at præmotio est in priori natura ad totum actum secundum voluntatis. ergo pertinet ad actum primum. Minor est doctrina adversariorum; hoc enim sonat præmotio, motionem præviam, nec præviam ordine temporis, sed causalitatis. Maior prob. 1. ex communi Thomistarum doctrina, juxtà quam *esse* distinctum realiter à forma, eiusque virtute causativa, quamvis causativum non sit, pertinet tamen ad virtutem ipsam causativam, & actum primum; & dicitur actus secundò primus ad differentiam virtutis, quæ est actus primò primus. hoc autem non alia ratione dicitur, nisi quia priùs natura est rem esse, posteriùs agere. Universim ergo, quod est natura prius, ad actum primum pertinet.

2. D. Thom. de Ver. qu. 27. art. 3. ad ult. ait, quòd *Duplex est actus formæ. Unus, qui est operatio, ut calefacere, qui est actus secundus. alius verò actus formæ est materiæ informatio, qui est actus primus, sicut vivificare corpus est actus animæ.* Jam informatio non est virtus animæ; quia verò anima vitam materialem operari, nisi informet, non potest, & priùs natura est informare, quàm vivere, ideò informare dicitur actus primus. ergo quod non causat, necessarium tamen est in priori ad causandum, ad actum primum pertinet.

3. Idipsum patet ex notione actus primi, qui primus non dicitur, nisi comparativè ad secundum, quem antecedit. quidquid ergo ante-

tecedit natura actus secundùm, habet rationem actus primi. Fingere autem actum medium inter primum, & secundum, est in terminis ineptum; quia est facere de secundo tertium. Sic in omnium sententia habitus pertinet ad actum primum: quod & expressit D. Thomas 1. 2. quæst.49. artic.3. ad 1. ubi, *Habitus*, inquit, *dicitur actus primus, & operatio secundus, ut patet in 2. de Anim.* quod est verum, licèt habitus supponat potentiam pleuè constitutam in suo posse, quam proinde juvat, ut possit non simpliciter, sed facilè. Similiter applicatio agentis ad passum, v. g. ignis ad stupam, pertinet ad actum primum proximum operativum ignis, quatenus removet distantiam impeditivam ignitionis, adeòque expedit ignem ad agendum.

Arguo 3. Omnis dispositio causæ reducitur ad genus ipsum causæ, quam disponit. Docet hoc D. Thom. in 4. d. 17. quæst. 2. art. 5. quæstiunc. 1. o. ubi, *Dispositio*, ait, *reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad accipiendum: secus autem est de dispositione agentis ad agendum; quia illa reducitur ad genus causæ efficientis*. At præmotio est dispositio agentis ad agendum; *Dispositio* enim *ad aliquid*, ut ait D. Thom. quæst. unic. de virt. artic. 1. ad 8. *dicitur id, per quod aliquid movetur in illud consequendum*. ergo reducitur ad agens, adeòque ad actum primum.

Arguo 4. præmotio prærequiritur ad agere. ergo requiritur ad posse agere; adeoque pertinet ad ipsum posse. prob. cons. quod necessariò prærequiritur ad actum, tale est, ut actus esse non possit sine eo præsupposito. ergo sine eo præsupposito actus non potest fieri; alir posset fieri, quod non potest esse. er[illegible] eo præsupposito, nulla causa po[illegible] illum facere; aliter causa posset facere, [illegible]uod non potest

fie-

fieri. Neque instes, effectum non posse fieri sine actione, neque hinc sequi, quòd actio pertineat ad posse. Contra enim est; quia actio est ipsum ponere. non autem prærequisitum ad ponere; adeoque est terminus potentiæ, non potentia. at prærequisitum cum terminus potentiæ non sit, & faciat extrinsecè ad termini possibilitatem, restat, ut faciat intrinsecè ad potentiam; aliter virtus posset hic, & nunc simpliciter in effectum, qui ex defectu prærequisiti fieri non posset; adeoque intelligeretur in priori posse facere, quod intelligitur in priori non posse fieri.

Arguo 5. dum dicitur præmotio pertinere ad actum secundum, non ad primum, vel fit sensus causalis, vel formalis. Non formalis: quia formaliter ad actum secundum non pertinet, nisi entitas actus, per quam est formaliter actus, & actio ipsa, qua est formaliter secundus, h. e. consequens, & dependens. præmotio autem nec est actus, nec eius dependentia, sed aliquid utroque prius. Non causalis, sic enim perperam argueretur, præmotionem non esse actum primum. non enim excludi potest ab actu primo per prædicatum proprium actus primi. sed pertinere causaliter ad actum secundum est prædicatum proprium actus primi; quia pertinere causaliter ad actum secundum est pertinere ad illum per modum alicuius naturæ, & causalitate prioris.

Dices, præmotionem non pertinere ad actum primum, quia actus primus concipitur in potentia ad secundum: at præmotio nunquam potest concipi in potentia, cum sit ultima determinatio ad actum secundum.

Sed contrà; quia committitur fallacia consequentis. Actus enim primus alius est necessarius, seu necessariò effectum inducens: alius contingens, seu inducens effectum contingenter. primo modo est Pater æternus relatè ad Fi-

Filium: nam conceptus in priori originis dicit ad Filium necessariam habitudinem; neque ex hoc in Patre ratio principii violatur, quòd concipi non possit in potentia ad Filium. eodem modo est actus primus quælibet causa naturalis, si sumatur simul cum omnibus requisitis ad agendum, inter quæ numeratur omnipotentia parata. Itàque actus primus necessarius ille dicitur, quo posito, necessariò sequitur effectus: sicuti è contrario, Actus primus contingens est quo posito, effectus contingenter sequitur propter principii indifferentiam, Dum ergo adversarii arguunt: Præmotio non pertinet ad actum primum potentialem, seu contingentem; ergo non pertinet ad actum primum, arguunt per fallaciam consequentis, ab antecedente scilicet ad consequens negativè, ut, Non est homo, ergo non est animal.

Arguo demum 6. principaliter ex D. Augustino, & D. Thoma, à quibus suam præmotionem doceri credunt adversarii. Sed ubi præmotionem docere dicuntur SS. isti DD. illam dicunt pertinere ad posse. aut ergo præmotio D. August. & D. Thom. non est præmotio adversariorum, aut si est illa, pertinet ad posse. prob. min. Gratia, quam S. August. vocat efficacem, Bannistæ contendunt esse præmotivam, imò præmotionem ipsam. atqui August. efficacem gratiam ubiq; docet pertinere ad posse. L. de Corr. & Gr. c. 11. sic ait: *Est quippè in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseveranter tenendo, non solùm posse, quod volumus, verùm etiam velle, quod possumus.* L. de Gr. & Lib. Arb. c. 16. *Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Vires autem ad *posse* pertinent. Prætereà Alvarez disput. 88. num. 7. ad probandam necessitatem præmotionis etiam in justis citat Augustin. l. de Nat. & Gr. c. 26. ubi sic ait: *Sicut oculus corporis etiam*

plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna Luce justitiæ divinitus adiuvetur, rectè non potest vivere. Dat igitur, juxtà Augustinum, ea gratia, quæ adversariis est prœmotio, ipsum etiam posse supernaturaliter vivere, ut dat lux posse naturaliter videre, complendo potentiam non quidem visivam, sed effectivam visionis.

Idem esto judicium de D. Th. in iis locis, ubi docuisse prædeterminationem visus est adversariis. nam 1. 2. q. 109. art. 1. o. *Quantumcumque*, inquit, *natura corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo*. sine motione igitur, aut præmotione divina non potest creata voluntas in actum procedere. ergo habet à præmotione, ut possit; aliter quo pacto præmotio remota removet posse, si nullatenus pertinet ad posse? Et art. 9. o. *Nulla res creata potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ*. Quod autem, ait Alvarez disp. 19. num. 9. exponendo hunc textum, quasi eius sensus sit, *Causam secundam nunquam esse operaturam, nisi moveatur à Deo*, est aperta violentia. quid enim, si quis pari licentia interpretandi verba illa Christi Domini Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, exponat dicendo, non negari *posse introire*, sed *introire*? quid, si pariter illud Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, interpretetur non de *posse venire*, sed de actu *venire*? Quid, si can. 16. Trid. *Nemo potest tota vita omnia peccata etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio*, sic intelligat. *Potest vitare, sed non vitabit*? An non istæ extorsiones potiùs sunt, quàm expositiones? At hoc prorsus pacto S. Doctorem adversarii interpretantur, seu veriùs nolentem ad sua sensa detorquent.

CA-

CAPUT IV.

Num rectè, & coherenter dicatur voluntas prædeterminata ad unum retinere sufficientiam ad oppositum.

Certissimum est, quod qui liberè amat, habet sufficientiam odio habendi, & è contrario: quod non solum deducitur ex ratione libertatis, sed etiam ex Fide damnante errorem Jansenistarum asserentium, nullum in natura lapsa dari auxilium sufficiens, quod efficax non sit. hoc posito, sit

§. I.

Ostenditur cum prædeterminatione ad unum non stare sufficientiam ad oppositum.

Arguo 1. ex dictis. Qui caret actu primo completo ad actum, caret sufficientia ad actum. sed qui amat, caret actu primo completo ad odium, eo ipso, quod caret præmotione ad odium. ergo caret sufficientia ad odium. Minor est probata cap sup. Maior est certa; quid enim est sufficientia actus secundi, nisi actus ipse primus completus, quo posito in rerum natura habetur id totum, quod satis est, ut actus ipsé consurgat? Certè in præsenti non est sermo, nisi de sufficientia in actu primo ab actu primo indistincta. ubi ergo non est totus actus primus, non est tota sufficientia.

Conf. ex terminis non habetur sufficientia ad A, ubi aliquid deest necessariò requisitum ad A, sed promotio ad odium est necessariò requisita ad odium. ergo deficiente præmotione, deficit odii sufficientia. at qui amat, non habet

habet ad odium præmotionem, ergo non habet odii sufficientiam.

Resp. pulchrè Gonetus distinguendo sufficientiam Theologicam à sufficientia grammaticali; quasi verò in vocabulis, quibus utuntur docti, & indocti, deberet esse Theologis proprium dictionarium.

Arguo 2. ex triplici exemplo adversariorum. comparant enim primò motionem divinam cum motione, qua Cæli influunt in causas inferiores. 2. cum motione, qua impelluntur ab artifice instrumenta artis. 3. cum lumine movente oculum ad visionem: quod ultimum est exemplum Augustini in calce capitis superioris relati. At quis dicat, inferiores causas, remotis cælestibus influentiis, habere sufficientiam ad motus suos peragendos? instrumenta artis ab artifice non mota sufficere ad artefacta; oculum per se unum satis esse, ut videat objecta nondum illuminata? Non ergo sufficit ad odium voluntas ad odio habendum non præmota, si præmotio est ad odio habendum non minus, imò magis necessaria.

Conf. sufficientia amandi, quam debemus concedere voluntati, dum odit, est talis, ut defectus amoris voluntati vitio vertatur. Sed voluntas non amans cum defectu præmotionis ad amorem, non est ita constituta, ut defectus amoris jure ipsi possit vitio verti. ergo non habet sufficientiam ad amorem. Min. prob. datis exemplis, finge enim Cælum non moveri, nec influere in inferiora, quis arbori v. g. tribuet, quod non in flores, fructusque se induat? pono artificem non applicare instrumentum ad opus, quis instrumento tribuat, quod opus non elaboretur? da lumen oculo prohiberi, quis oculo imputet, quod non videt? Similiter si voluntas ad amorem non præmota non amat, non ipsi imputabitur non

amor,

amor, sed neganti præmotionem. Voluntas ergo ad odium præmota caret propriè dicta sufficientia ad amorem.

Hinc habes, occupatum esse præcipuum Thomistarum effugium, quo dicunt, præmotionem requiri ad agere, non ad posse agere; unde inferunt, sine præmotione ad amorem stare potentiam, adeoque sufficientiam amandi. Sed jam cap. super ostensum est, præmotionem, si requiritur, requiri etiam ad posse; nec stare duo ista, quod requiratur in priori causalitatis ad agere, & quod non requiratur ad posse agere. Deinde quidquid sit de ista locutione impropria, & arbitraria, ostensum modo est, quod si præmotio est ad actum prærequisita, eaque in potestate voluntatis non est, non potest voluntas non præmota ad actum habere eam sufficientiam ad actum, ratione cuius sit ipsi imputabilis non actus.

Habes præterea, quam sit absre exemplum illud adversariorum; quo dicunt, albedinem pertinere ad esse album, & non ad posse esse album, ex quo inferunt, idem dici de præmotione posse. Etenim ad effectus sufficientiam non pertinet effectus ipse, sed causa cum toto eo, quod se tenet in priori causalitatis. albedo autem facit album formaliter, non effectivè, nec proinde tenet se in priori natura ad album, ut se tenet in priori ad actum præmotio. Præterea paritas retorquetur; ut enim non potest habere in potestate album, qui non habet in potestate albedinem, vel secundùm esse; vel secundùm inesse essentialiter, requisitum ad album: ita nec potest habere voluntas in potestate actum, nisi habeat similiter in potestate præmotionem essentialiter prærequisitam ad actum.

Eiusdem omninò farinæ est alia responsio verbis dumtaxat differens à præcedente, quod scilicet voluntas non præmota ad amorem habet

bet ad amorem potentiam possibilitatis, non futuritionis, h. e. potentiam, qua possit amare, sed non qua actu amet.

Sed hæc responsio præterquamquod corruit ex prædictis, sic præterea impugnatur, ostendendo, præcisam potentiam possibilitatis, quæ ante præmotionem ab adversariis conceditur, esse verissimam impotentiam. voluntas enim cum hac sola potentia potest amare. ergo voluntatem cum hac sola potentia amare est possibile. cons. est evidens ex terminis; quia ex terminis stare non potest potentia amandi cum amandi impossibilitate. At voluntatem cum hac sola potentia amare non est possibile. ergo voluntas cum hac sola potentia non potest amare; adeoque hæc potentia est impotentia. hæc etiam consequ. est evidens; quia procedit ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Sola minor subsumpta est probanda: ea verò est manifesta ex adversariorum doctrina; nam ista propositio. *Voluntas cum hac sola potentia amat*, juxta ipsos est impossibilis veritatis, aliter præmotio non esset ad actum essentialiter prærequisita; adeoque non potest hæc ipsa esse vera cum adjuncto modo de *possibili*. Repugnat ergo dicere, quod illa potentia à prædeterminatione seiuncta sit tota potentia possibilitatis; sic enim non alio indigeret, nisi actu, ut transiret in potentiam futuritionis: quod mordicus adversarii negant; atque adeo istis terminis nonnisi delusoriè utuntur.

§. II.

§. II.

Infertur ex dictis nullam voluntatem omittentem actum praeceptum peccare per talem omissionem in sententia praedeterminantium.

SI vera sunt dicta §. sup. praesens sequela est evidens. Qui enim omittit actum praeceptum sine sufficientia ad illum ponendum, non imputabiliter, adeoque non peccaminosè illum omittit. sed qui omittit actum praeceptum carens praemotione ad illum requisita, non habet sufficientiam ad illum ponendum. ergo non imputabiliter, nec peccaminose illum omittit. maior, & conf. sunt evidentes. minor in superioribus jam est ostensa.

Conf. peccare est Deum deserere, priusquam à Deo voluntas deseratur. sed peccare cum carentia praemotionis necessariae ad non peccandum, est deseri à Deo, priusquam voluntas Deum deserat. ergo sic peccare est non peccare. maior est certa ex Trid. sess. 6. c. 11. ubi, *Deus*, inquit, *sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Atque haec est communis SS.PP. doctrina, praesertim Augustin. de Nat. & Gr. c. 26. ubi ait, quod Deus *non deserit, si non deseratur*. Minor est certa penetranti praemotionis doctrinam, in qua omissionem actus praecepti praeit necessario ex parte Dei tum negatio praemotionis ad ipsum, tum praemotio ad oppositum. priùs ergo Deus nos deserit in re maximè necessaria ad praeceptum implendum, quam nos ipsum deseramus per praecepti transgressionem. Et quidem ubi duo agentia sunt ita subordinata, ut unum debeat indispensabiliter praeire, alterum verò sequi, si primum spontè sua praeire nolit, deserit secundum, antequam ab eo deseratur.

Da hominem cæcum, qui ambulare non potest, nisi alio præeunte, certè si hìc ex arbitrio suo præire nolit, non dicetur deseri à cæco, sed cæcum ipse deserere.

Respondent, 1. præmotionem ad actum præceptum non denegari à Deo, nisi ex voluntatis culpa nolentis eam à Deo oblatam acceptare. Affert Alvarez disp. 18. nu. 20. hoc exemplum: *Sicut si Deus imponeret omni præceptum volandi, & quantum est ex parte sua offerret illi alas, & adjutorium necessarium ut volaret: ipse autem sua libertate responderet, Domine, nec volo alas accipere, nec volare; meritò reputaretur reus, & transgressor præcepti, etiamsi non possit absque alis volare, quia sua culpa se impedivit, ne illi donarentur à Deo.* Itaque admittere videntur vim quandam vicissim impeditivam inter peccatum, & præmotionem ad actum præceptum, quatenus per peccatum impeditur, & per istam peccatum.

Ut hanc responsionem evertam, ostendere debeo, præmotionis ad actum præceptum carentiam nullo pacto esse imputabilem voluntati. Id autem ita probo. Non potest voluntati imputari carentia supposita in priori ad omne liberum eiusdem voluntatis exercitium, in quo uno fundatur imputabilitas. Sed carentia præmotionis ad actum præceptum est in priori ad exercitium actus prohibiti. ergo non potest voluntati ea carentia imputari. consequ. est certa; quia non est aliud exercitium, in quo possit tunc ea carentia fundari. Min. prob. Quoties in priori ad actum positum supponitur impedimentum actus oppositi inamovibile à voluntate, in eodem priori supponitur carentia actus oppositi, ut per se patet. Sed in priori ad actum prohibitum supponitur præmotio ad eundem actum independens à voluntate; quæ præmotio est impeditiva præmotionis ad actum præceptum propter incompossibilitatem,

tem, quam inter se tales præmotiones exercent. ergo supponitur in priori carentia præmotionis ad actum præceptum.

Non potest aliter vitari argumenti vis, nisi negando, præmotiones ad actus oppositos esse per se oppositas. Sed hæc fuga præcluditur. 1. quia actus ipsi sunt formaliter inter se oppositi eo ipso, quod intrinsecè tendunt ad opposita, amare enim rem, & negationem rei importat repugnantiam non solum in obiectis, sed etiam in actibus. at præmotio ad actum præceptum, & præmotio ad actum prohibitum sunt ab intrinseco ad terminos incompossibiles. ergo sunt incompossibiles ab intrinseco, & ratione sui. 2. præmotiones supponunt voluntates Dei efficaces actuum, ad quos præmovent. voluntates autem efficaces oppositorum formaliter opponuntur, & se invicem destruunt. ergo in eo signo, in quo intelligitur præmotio ad materiale actus prohibiti, intelligitur ex vi voluntatis divinæ antecedentis impedita voluntas præmotiva ad actum præceptum, adeoque & impedita præmotio: impedita enim causa, impeditur eo ipso effectus.

Præcluditur 2. Non enim potest carentia præmotionis ad actum præceptum pendere à sui non acceptatione, quin ab acceptatione pendeat præmotio ad actum præceptum. sed non pendet ab acceptatione præmotio. ergo nec pendet à non acceptatione non præmotio. Minor est communis jam prædeterminantium doctrina, & confirmabitur impugnando alteram responsionem. Maior prob. 1. exemplo adversariorum. eo ipso enim, quod Deus præcipiens volatum, alas mihi offert; si alas non habeo, quia non accepto, alas habeo, quia accepto: nec est intelligibile, quod vi oblationis est in mea potestatis non acceptare alas, nisi sit in mea potestate easdem acceptare. 2. à priori, quia non potest negatio esse causa negationis, nisi positio

sit

sit causa positionis; negatio enim non aliter potest esse causa negationis, nisi quia aufert causam effectus ablati. Sic ignorantia est causa omissionis, quia tollit scientiam, quæ si adesset, causaret actum. Sic remotio Solis est in aere causa tenebrarum, quia removet causam lucis, & sic de aliis; si ergo non acceptatio præmotionis est causa, cur præmotio non accipiatur, nec quæcumque causa, sed prævisa, stante, ut dicunt, Dei oblatione paratissimi ex parte sua ad præmotionem dandam, consequens est, ut acceptatio sit causa, cur præmotio accipiatur: aut si hæc non est causa, neque illa.

Respondent 2. non solùm carentiam præmotionis ad actum præceptum esse in manu voluntatis, sed etiam præmotionem ad ipsum materiale actus prohibiti. nam actus prohibitus disponit ad sui præmonitionem, adeòque est ad eam in priori in genere causæ materialis, ad quam dispositiones reducuntur: præmotio autem est in priori ad actum in genere causæ efficientis.

Sed contra 1. ex repugnantia mutuæ prioritatis in physicis demonstrata, sivè ea sit in eodem, sivè in diverso genere causæ, modò sit prioritas mutua secundùm idem esse reale. Contrà 2. quia hæc doctrina labefactat totam machinam Bannesianam de absoluto primatu, & omnimoda independentia causæ primæ, quam ponit dependentem ab actu causæ secundæ, & quidem dependentia indigniore, in genere, nimirum causæ materialis, quæ inter causas est ignobilissima. Contrà 3. quia hoc est ponere prioritatem mutuam inter causas ipsas efficientes. arbitrium enim ut se disponens per actum est causa libera actus; aliter non imputabiliter se disponeret. causa verò libera impræcisibiliter involvit in sua formali ratione efficientiam. quare hoc est re ipsa ponere duo agentia libera

æqua-

æqualiter dominativa in eundem actum, quod non solùm est mutare decreta antecedentia in comitantia, sed etiam est deglutire evidens illud absurdum, in quo Theologi communiter fundant impossibilitatem multiplicitatis Deorum.

Respondent 3. præmotionem ad actum bonum esse in nostra potestate; quia ad hoc satis est, si Deus possit eam nobis dare. nam si *quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos possumus*, ut ait ex Aristotele S. Thom. à fortiori id erit in nostra potestate, quod habere possumus non per amicum deficientem, sed per Motorem intimè præsentem, qui rebus omnibus ità semper præstò adest, ut nunquam illis desit in his, quæ cujuslibet conditio exigit. Ità Goudinus, additque hanc instantiam. In supernaturalibus sine gratia Dei nihil possumus operari: hæc tamen gratia tam non est in nostra potestate, quam naturalis præmotio; & tamen impletio mandatorum supernaturalium est in nostra potestate. ergo habemus in potestate nostros actus, quamvis ad eos præmotio sit necessaria.

Incipio ab hac instantia, quæ, nisi fallor, evidenter probat oppositum. Compulsus enim supernaturali præcepto v. g. ad credendam Incarnationem, si caream necessariò prævia supernaturali cognitione, quam Deus ex suo arbitrio efficaciter neget, non habeo credendi sufficientiam, adeòque non credens non pecco. Sed qui ponit actum prohibitum, caret præmotione necessaria ad actum præceptum, quam Deus ex suo arbitrio non vult dare. ergo non habet sufficientiam ad actum præceptùm, adeòque illum omittens non peccat. Hoc argumento usus est Augustinus l. de Prædest. Sanctorum cap. 2. ut probet nos non esse ad Fidem sufficientes, nisi per gratiam Dei, *Nemo enim sibi sufficit vel ad incipiendam, vel ad perficien-*

ciendam Fidem; quoniam Fides, si non cogitetur, nulla est, & non sumus idonei cogitare, &c. q. d. Ad credendum necessaria est præveniens cogitatio: ergo qui non habet sufficientiam ad eam cognitionem, non habet sufficientiam ad Fidem. Sed nos non habemus ex nobis sufficientiam ad cognitionem supernaturalem præviam. ergo nec habemus sufficientiam ad Fidem. Nunquid huic etiam argumento reponet Goudinus, esse in nobis antecedenter ad Dei gratiam sufficientiam ad cogitationem præviam, quia potest Deus illam dare?

Directa deinde ad instantiam responsio est clarissima, quamvis Dei gratia non sit in nostra potestate, sed à Deo sit expectanda, non tamen potest nos ad supernaturalia præcepta obligare, nisi simul conferat gratiam ad ea observanda necessariam; aliter non poterit eorum transgressio nobis imputari. Similiter ergo dum Deus nos obligat præcepto naturali, deberet simul præmotionem necessariam ad eius impletionem conferre: quam si non confert (& certissimè non confert transgredientibus) non habent isti sufficientiam ad præceptum implendum, adeoque non peccant. Hanc doctrinam confirmo ex doctrina Augustini 14. de Civit. c. 27. ubi gratiam comparat alimento: *Et sicut*, inquit, *in hac carne vivere sine adjumentis alimentorum in potestate non est: non autem in ea vivere, in potestate est: quod faciunt, qui se ipsos necant, ita bene vivere sine adjutorio Dei etiam in Paradiso non erat in potestate: erat autem in potestate malè vivere.* Ut ergo non possumus obligari ad vivendum, nisi suppetant alimenta; ita nec possumus obligari ad benè vivendum, nisi adsit gratia. Et sicuti non imputatur mors, dum quis perit ex defectu alimenti necessarii ad vitam, & inimputabiliter deficientis; ita nec potest imputari peccatum, dum quis peccat ex defectu gratiæ ad benè operandum

randum necessariæ, & inimputabiliter, quia antecedenter negatæ. ut enim is moritur, quia non potest vivere: ita hic peccat, quia non potest benè vivere.

Quod autem primo loco in responsione dicitur, lusus est. nam ex eo, quod Deus possit præmotionem dare, fit solum, quod ego eam possim accipere. verùm hoc non est satis, ut dicar habere proximam rectè operandi sufficientiam, qualis requiritur in transgrediente imputabiliter. nam 1. posse accipere pertinet ad causam materialem, cujus nulla est potestas. Deinde dictum illud, *Quæ per amicos, &c.* satis abs re in materiam præsentem inducitur: nam præmotionem ad actum bonum nec potest peccans, cum peccat, à Deo petere sine præmotione ad petendum, de qua redit eadem quæstio: nec si peteret, haberet spem obtinendi ab eo, qui voluntate antecedente non vult dare. quæ verò per amicos possumus, dicimur per nos posse, vel quia possumus ab iis petere cum spe obtinendi fundata in ipsa amicitia: vel quia amicus ipse etiam non rogatus dare, aut efficere paratus est. Utrumque cessat in casu.

CAPUT V.

Num physica præmotio ad actum malum sit possibilis, & an faciat Deum peccati authorem.

SUppono (quod est nunc Bannesianis ferè certum) non posse consequenter sustineri præmotionem ad actum bonum sine præmotione ad malum saltem sumptum secundum materiale physicæ entitatis, quæ malitiæ substernitur. Ratio est, 1. quia præmotio universim est necessaria ex parte Dei, & ex parte voluntatis. ex parte Dei, ut salvetur ejus dominium

in

in creaturam liberam qua talem, cuius omnis motus reducendus est in Motorem primum: & præterea ut habeat medium, in quo sciat determinatè, quid voluntas humana sit operatura. ex parte voluntatis, ut determinetur eius indifferentia, à qua scilicet manente tali nihil exire potest determinatum. Sed ista, ut patet, æquè militant pro actu bono, ac pro materiali actus mali. 2. quia posita sola necessitate præmotionis ad actum bonum, sequitur absurdum mox inculcandum, quod Deus sit author peccati. frustra ergo negatur præmotio ad actum malum. antec. prob. si actio bona esse sine præmotione non potest, quoties Deus illam non prædeterminat, illa esse non potest. habet enim tunc Deus oppositam voluntatem, quæ vel est efficax antecedens volitio actionis malæ, vel saltem nolitio actionis bonæ, adeoque equivalens tum volitio malæ, tum prædeterminatio ad malam, quatenus ea stante, actio mala non potest non consurgere. Hoc posito, militant omnia argumenta, quæ urgent præmotionem ad materiale peccati.

§. I.

Præmotio ad actum malum excluditur authoritate præsertim D. Thomæ, & D. Augustini.

DEUM physicè, & irresistibiliter prædeterminare ad actum peccati, ita ex terminis videtur eius infinitæ bonitati contrarium, ut mihi persuadere non possim fuisse unquam futurum, ut adversarii in hanc cogitationem devenirent, nisi vi consequentiæ evidentis adacti. Argumento est, quod ex ipsis etiam non pauci, hac ipsa vi consequentiæ contempta præ consequentis absurditate, præmotionem ad actum malum negarunt. Ita Blasius Verdù

in Releĉt. Pro Divini Auxilii efficacia concluſ. 13. ubi ſic ſtatuit: *Ad opera moraliter mala Deus non prædeterminat noſtram voluntatem, & oppoſitum aſſerere impium eſt, & blaſphemum*. Concluſ. porrò ſequ. id extendit ad ſubſtantiam aĉtus mali purè materialiter. Ità etiam M. Gonzalez 1. p. diſput.59. ſeĉt.2. num. & concluſ.3. Nazarius 1. p. quæſt.22. art.4 § *An autem voluntas*, ubi hæc ait; *Minùs dignè videtur de divina bonitate ſentire, quiſquis exiſtimat, Deum ab æterno præfiniviſſe, & in tempore phyſicè prædeterminare voluntatem Petri ad actum fornicationis ſecundùm ſpeciem eius naturalem, & omne poſitivum, cum in rerum natura talis aĉtus eſſe, aut fieri nullo modo poſſit abſque deformitate morali*. Hæc Nazarius; quamquam ea, quæ addit, œdipo opus habeant. Mitto alios doĉtiſſimos Dominicanos, quos fuiſſe confeſſos hoſtes eiuſmodi præmotionis ad malum, vide ſis apud Faſolum quæſt.14. artic.13. num.136.

Venio ad D. Thomam, quem quidem phyſicam prædeterminationem ad aĉtum peccati non admiſiſſe, probat laudatus Gonzalez ex 1. 2. qu.6. art.6. ad 3. ubi ſic loquitur S. D. *Deus movet voluntatem hominis ſicut univerſalis Motor ad univerſale obieĉtum voluntatis, quod eſt bonum; & ſine hac univerſali motione non poteſt homo aliquid velle. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verum bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum Deus ſpecialiter movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum: ſicut in his, quos movet per gratiam*. Agit hic S.D. de modo, quo voluntas à Deo movetur ad malum, neque alium modum agnoſcit, quàm illum generalem, quo ipſam inclinat ad bonum ut ſic; ex qua inclinatione à Deo accepta habet, ut ſe poſſit ipſa determinare ad bonum in particulari ſive verum, ſive ap-

appparens. Non ergo agnoſcit Angelicus ſpecialem illam motionem, qua voluntas determinetur à Deo in particulari ad actum malum.

Præterea 1. p. quæſt. 19. artic. 9. o. *Malum*, inquit, *culpa, quod privat ordine ad bonum divinum, Deus nullo modo vult*. Perpende hanc propoſitionem, *nullo modo vult*, quæ contradictoriè opponitur illi, *aliquo modo vult*, aſſertæ ab iis, qui Thomiſtæ dici volunt; amat enim juxtà hos peccatum Deus ſecundùm materiale, & per conſequens aliquo modo, imò amat eo modo, quo peccatum amat creata voluntas, & quo peccatum eſt amabile. Imò cum anteà ſtatuiſſet, malum amari univerſim non poſſe, niſi per accidens, quatenus coniungitur bono, quod per ſe intenditur, & hoc modo dicat amari malum naturalis defectus, & malum pœnæ; hoc etiam modo negat amari à Deo peccatum. Ibidem porrò in reſp. ad 1. reiicit S. Doctor eos, qui putabant diſtinguendum inter *malum*, & *malum eſſe*, & *malum fieri*: tum cenſebant, Deum velle ſecundum, quod importat phyſicam entitatem, & tertium, quod importat phyſicam productionem actus peccaminoſi, ſed non primum, quod importat formalem malitiam, *Sed hoc*, inquit: *non rectè dicitur*. Inſuper qu. 3. de malo artic. 1. ad 6. *Deus non inclinat voluntatem ad malum agendo, vel movendo, ſed gratiam non apponendo*. quod ipſum repetit 1. 2. q. 79. art. 3. o. ubi excæcationem, & obdurationem peccatoris non aliter a Deo fieri contendit, quàm per ſubtractionem gratiæ.

Sed D. Thomam non ſolùm negaſſe phyſicam præmotionem ad actum malum; verùm etiam voluiſſe, quòd ex ea ſequatur, malitiam peccati Deo tribuendam (quod eſt hic præcipuum intentum) duplici argumento probat Joſephus de Vita Dominicanus tractat. de *Prop. & per ſe*

Princ.

Princ. unde provenit peccatum p. 1. § 4. Primum est 3. contro. Gent. cap. 10. sic ait D. Thom. *Cum secundum agens manet sub ordine primi agentis, indeficienter agit. deficit verò in agendo, si contingat ipsum ab ordine primi agentis deflecti; sicut patet in instrumento, cum deficit à motu artis*. At juxtà præmotores nulla secunda causa deficit, aut deficere potest à motu primæ, nec deflectitur ab eius ordine, quem necessariò sequitur. ergo nulla deficit agendo; & per consequens totus defectus, qui contingit, non secundæ causæ, sed primæ tribuendus.

Alterum est ab exemplo, quo sæpè utitur Angelicus Magister, & ex ipso recentes Thomistæ. Claudicatio scilicet & procedit à virtute progressiva, & à tibia curva: sed in ratione motus procedit à virtute, in ratione defectus à curvitate tibiæ. Ut ergo (optimè inquit hic author) defectus tribuatur non virtuti, sed curvitati, debet motio à virtute proficiscens esse talis naturæ, ut per se sit nata ponere motum rectum, & præcisè à curvitate incapaci motus recti fit, quòd ponat obliquum. at in sententia prædeterminantium oppositum contingit. dum enim voluntas accipit præmotionem ad malum, nondum est curva, nondum obliqua, sed vel recta, vel indifferens ad rectitudinem, & curvitatem: obliquatur autem primò à prædeterminatione ipsam inclinante ineluctabiliter ad malum. ergo juxtà mentem, & exemplum D. Thom. non voluntati, sed Deo tribuendus est in ea sententia defectus. Sed de hoc iterum infrà.

Quod attinet ad S. Augustinum, est pro re præsenti non leve argumentum ex iis, quæ tractat totis tribus libris de Lib. Arb. ubi hoc quærit præcipuè, cur Deus peccati author non sit. Movet autem l. 1. cap. 2. hanc dubitationem. *Credimus ex uno Deo omnia esse, quæ sunt, & tamen non esse peccatorum authorem Deum,*

Movet autem animum, si peccata ex iis animabus sunt, quas Deus creavit, illa autem ex Deo, quomodo non parvo intervallo peccata referuntur in Deum? Hoc argumento fatetur paulò antè se adolescentem vehementer commotum, & compulsum ad Manich'os? Quo autem pacto non sit author peccati Deus, si author est non modò voluntatis æquilibriter se habentis ad bonum, & malum, sed etiam motionis infallibiliter ducentis in malum, ibi nullatenus meminit: quo manifestum est primò illam non agnovisse: neque enim fuisset tanto Doctore dignum, leviorem difficultatem versare tam fusè, graviorem penitùs omittere, 2. si illam agnovisset, nihil habiturum fuisse, quo facto argumento respondere; tota enim responsio, quam in fine libri secundi tradit, reducitur ad illud, quòd licèt Deus sit author voluntatis, ad voluntatem tamen non sequitur necessariò actus malus, quem proindè concludit ad Deum non pertinere, sed ad solam voluntatem. Si ergo actus malus sequeretur necessariò voluntatem, cuius est author Deus, esset author peccati Deus. atqui actus malus sequitur necessariò sui præmotionem, cuius est author Deus. ergo est author peccati Deus.

Ex iis porrò, quæ tractat in eodem opere l. 2. cap. 19. manifestè deprehenditur, præmotionem eiusmodi penitùs exclusisse, ; ibi enim bona, quorum Deus est author, in tres classes distribuit, ut alia sint summa, alia media, alia infima. Summa sunt, quibus rectè vivitur; & nemo malè utitur. tales sunt virtutes, & recta ratio. Reliqua sunt bona, quibus homo potest & benè, & malè uti: sed ex his alia sunt, sine quibus rectè vivere nemo potest, ut potentiæ animæ, & inter has præcipuum liberum arbitrium. hæc sunt bona media. sunt alia, sine quibus rectè vivere quisque potest,

ut

ut bona exteriora. hæc sunt infima bona. At si datur Præmotio ad materiale peccati, adiungendum est his quartum bonorum genus, quibus benè uti nemo potest. Hæc quidem an bonis nostris sint annumeranda, perpendant, sepositotantisper studio partium, adversarii. ergo sanè ut præmotionem ad bonum, beneficium efficax, ità præmotionem ad malum appellaverim efficax maleficium. Augustinus certè inter bona, quæ Deum habent authorem, eiusmodi præmotionem non numeravit, adeòque indubitanter non agnovit.

Idipsum liquet ex aliis Augustini locis. l. 6. Hypognost. & alibi sæpè non alium actum Deo tribuit erga peccatum, quàm præscientiæ; statuit enim hanc inconcussam ex divinis testimoniis regulam, *Peccatores in malis propriis præscitos esse tantum, non prædestinatos: pœnam autem eis esse prædestinatam, secundùm quod præsciti sunt*. at juxtà adversarios non fuerunt in malo præsciti tantùm, sed etiam præmoti, & prædeterminati. De Nat. & Gr. cap. 67. *Quæcumque*, inquit, *ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur*. Præmotioni autem ad actum malum resisti non potest. ergo sine peccato eam sequitur voluntas. quare præmotores culpæ malitiam, si fides est Augustino, ab homine in Deum transferunt.

Textus verò, qui à Goudino citatur de Gr. & Lib. Arb. cap. 2. ubi loquens Augusſt. de Semei dicat, *Deus voluntatem eius malam in hoc peccatum inclinavit*, in toto eo capite non extat sed eius vice multa, quæ possent adversus præmotionem intorqueri, quatenus probat nullam esse ex Deo excusationem peccati; quæ tamen maxima est in sententia prædeterminantium. Quòd si textus ille alibi extet, poterat illum ex mente Angelici sui Præceptoris paulò antè laudati Goudinus interpretari de

inclinatione, quæ fit *non agendo, vel movendo, sed gratiam non apponendo*. Poterat interpretari Augustinum ex Augustino, qui l. 1. ad Simpl. quæst. 2. circa medium: *Obduratio, inquit, Dei est nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm, quo sit melior, non erogetur*. Audi, Goudine, Deus non irrogat aliquid, quo fit homo deterior, at tua præmotio nunquid non aliquid est, quod qui accipit homo, non esse deterior non potest?

§. II.

Eadem resolutio probatur ratione.

ARguo 1. Qui author est actus peccaminosi secundùm eius materiale in iis circumstantiis, in quibus necessariò coniungitur cum formali malitia, dicendus est simpliciter, & sine addito author peccati. Sed Deus præmovens ad materiale peccati, est eiusdem author in iis circumstantiis, in quibus materiale cum formali connectitur. ergo est simpliciter; & sine addito author peccati, conseq. est evidens. probandæ sunt præmissæ seorsim.

Sed minor in doctrina prædeterminantium est certa. nam universim author est operis, qui illud efficaciter sua voluntate determinat. *Illo authore cum dicimus, illo volente dicimus*, ait Augustinus l. qq. 83. quæst. 5. Deum autem determinando materiale peccati, illud amare efficaciter, exinde fit evidenter; quòd non potest non amare efficaciter finem, qui amat efficaciter medium cognitum ut tale, unicè inducens, imò & essentialiter trahens illum finem. Sed præmotio à Deo liberè voluntati in-

fusa

fusa est medium unicè inducens, & essentialiter trahens entitatem peccati, & ut talis à Deo cognoscitur. ergo Deus sic præmovendo, amat peccati materiale, estque per consequens illius author.

Maior primi syllogismi prob. Creatum arbitrium non alia ratione dicitur peccati quà talis causa, nisi quia amat actionem ipsam physicam malam, eamque determinat; nam formalem malitiam voluntas non amat, cum nemo operetur intendens ad malum; neque eam determinat, nisi determinando actum, in quo malitia fundatur. Si ergo hoc totum Deus ipse præstat, erit author & actus, & malitiæ.

Ubi adverto, quòd in peccato materiale, & formale non sumuntur penes aliud, & aliud sive re, sive ratione distinctum in ipso peccato sumpto absolutè, sed solùm sumpto respectivè per habitudinem ad diversas causas, diversosque causandi modos. concurrere enim ad materiale non est, nisi concurrere materialiter, seu per modum materiæ, cuius est non determinare, sed determinari: concurrere ad formale est concurrere formaliter, seu per modum formæ, cuius est determinare, non determinari. hinc primus concurrendi modus non fert imputabilitatem, quam fert secundus modus; actio enim non materiæ tribuitur, sed agenti, & agenti non determinato, sed determinanti. Atqui Deus ad physicum malitiæ concurrit ut primum determinans. ergo ipsi imputabitur physicum malitiæ: quod est esse peccati non causam solùm physicam, sed moralem, adeoque authorem.

Hæc doctrina confirmatur ex D. Thoma, qui 1. p. quæst.63. artic.5. docet, Angelos peccare non potuisse in primo suæ creationis instanti, quia *illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse, sicut*

moveri sursum inest igni à generante. Ex quo infert, si Angelus peccaret, cum primo est, Deum fore peccati causam. Hoc argumentum fundatur in eo, quòd universim illud agens est causa peccati, à quo est operatio imputabiliter, quatenus est ab ipso ut à dirigente, ordinante, & inclinante. his ergo modis Deo concessis relatè ad culpam, inevitabile est, quòd ipsi culpa tribuatur. Omnes autem isti modi conveniunt Deo ineluctabiliter præmoventi ad peccatum, ergo est vera peccati causa, & author. Neque video ullum adversariorum effugium, quo nostram rationem eludere conantur, quod pariter non infringat argumentum D. Thomæ.

Idipsum conficitur manifestè ab exemplo de claudicatione tibiæ proveniente non à virtute progressiva, sed à tibiæ curvitate: quo exemplo utitur sæpè D. Thomas præsertim de malo q. 3. artic. 1. ad 4. & art. 2. o. ut probet actionem peccati esse à Deo, sed peccatum non esse à Deo. Sic enim arguit. *Quidquid est de motu in claudicatione, est ex virtute motiva animalis: sed quidquid est ibi de defectu, non est à virtute motiva, sed à tibia, secundùm quòd deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiva. Sic ergo dicendum, &c.* Jam verò si virtus motiva animalis ea esset, quæ tibiam per se indifferentem ad motum rectum, & obliquum, ipsa per se impelleret ad motum potiùs obliquum, quàm rectum (ut videre est in iis, qui data opera claudicant) evidens esset, quòd non solùm motus, sed obliquitas in virtutem motivam refunderetur; in tantum enim de facto obliquitas in virtutem non rejicitur, in quantum impulsus ab ea manans per se est ad motum rectum. quare si ille idem impulsus in tibia recta receptus esset, rectus motus processisset, tribuitur ergo obliquitas tibiæ, quia ab

ea

ea curva, & defectuosa motus primùm obliquatur. At in sententia prædeterminantium impulsus divinus recipitur in voluntate adhuc indifferenti ad motum rectùm, & obliquum, ad actum scilicet virtutis, & vitii: hæc autem indifferentia a Deo primùm determinatur ad motum obliquum per impulsum ad talem motum essentialiter determinantem. ergo non voluntas est, quæ se obliquat à motione divina, sed motio divina est, quæ voluntatem à divinæ legis semita detorquet; & per consequens obliquitas non voluntati tribuenda, sed Deo.

Arguo 2. non aliundè Deo repugnat movere moraliter ad actionem peccati, suadendo, instigando, hortando, nisi quia hoc pacto voluntatem inclinaret determinatè ad actionem deficientem, & obliquam: & per consequens ipsi imputaretur defectus, & obliquitas. atqui Deus efficaciter præmovens ad actionem peccaminosam voluntatem determinatè inclinat ad actionem defectuosam, & obliquam. ergo ipsi pariter sic præmoventi imputabitur defectus, & obliquitas.

Respondet Gonetus discrimen esse inter physicam, & moralem motionem. 1. quia illa est præcisiva, & sistit intra ordinem physicum, non hæc, quæ se extendit ad ordinem moralem. 2. illa respicit solam entitatem actus, ad quem movet: hæc attendere debet conformitatem, vel difformitatem à lege. 3. illa convenit Deo ut Motori, & Provisori generali: hæc ut Motori, & Provisori speciali.

Sed istæ non sunt, nisi puræ puræ principii petitiones. Ut evertantur, satis est notare unum, quòd prædeterminatio non est motio mere physica, sed etiam moralis, neque enim moralitati causalitatis obstat, quòd simul sit physica; aliter voluntas, quæ est causa physica sui actus liberi, non esset simul ejusdem

causa moralis. Moralis causa universim dicitur, quæ influit per electionem, & amorem, quæ si physicè nihil influat, purè moralis: si physicè simul influat, causa physico-moralis appellatur. Deus autem in peccati entitatem, juxtà Gonetum, influit eligendo, & amando. ergo influit physico-moraliter, adeoque plùs, quàm influat causa merè moralis. Cur ergo non poterit suasio præscindere, ut præscindit præmotio, & impellere ad physicum entitatis, non ad morale malitiæ? Cur, si Deus nulla lege tenetur ad non præmovendum, tenebitur aliqua ad non suadendum? Cur repugnat officio generalis provisionis suasio, si non repugnat præmotio? An non ista omnia gratis dicuntur, & arbitrariè? Probo autem ipse vim paritatis positivè, &

Arguo 3. Deus ut agens physicum, & ut agens morale (transmitto nunc adversario terminos suos) seu ut præmovens, & ut suadens, non potest sibi esse repugnans: ut est evidens; quia istæ sunt duæ rationes unius agentis; non duo agentia. esset autem sibi repugnans, si posset prædeterminare, quod non potest suadere. ergo ex eo, quòd potest actum prædeterminare sequitur, quòd possit eundem suadere. Min. prob. nam ex una parte ut agens morale Deus procedit efficacissimè exigendo actum virtutis, illum præcipiendo, ad illum hortando, & simul declarando, nunquam ex parte sua defuturum, quo minùs voluntas creata rectè operetur: ex altera parte ut agens physicum, præ-
284 vertendo motum omnem voluntatis, ageret ex parte sua efficacissimè, ne voluntas motum virtutis poneret, eam præmovendo ineluctabiliter ad motum oppositum vitii. Hinc fit, ut cùm actus bonus debeat à Deo bonorum omnium authore accipi, Deus ut causa moralis efficaciter illum à nobis exigeret, & ut causa physica efficaciter ad oppositum præmoveret? quod perinde

inde est, ac efficaciter à nobis exigere, ut accipiamus ab ipso, quod ipse voluntate antecedenti efficaciter non vult dare. Hæ quidem voluntates si incompossibiles non sunt, nescio, quæ sint aliæ incompossibiles voluntates. Da puerum, qui rectos characteres formare non possit, nisi manum habeat à Præceptore directam. quid tu diceres de tali Præceptore, qui à puero exigeret, ut rectos characteres formaret, sed ipse dirigendo eius manum, ad motum oppositum eam antecedenter impelleret? Certè is aut per jocum simularet se velle, quod non vult, aut secum ipse pugnaret. Hunc ipsum nobis Deum fingunt adversarii. quare dicendum, quòd vel non possit præmovere ad actum malum, vel quòd possit eundem præcipere, ac suadere.

Arguo 4. Si Deus posset velle entitatem physicam culpæ, absque eo, quòd culpæ sit author, posset eandem velle inculpabiliter homo. consequens est evidenter absurdum. ergo & antecedens Sequela prob. ex doctrina D. Thomæ quæst. 23. de Ver. art. 7. o. ubi, *Ex hoc*, inquit, *unaquaque voluntas bona est, quod divinæ bonæ voluntati conformatur*. Sed quia manifestum est, non semper esse bonam hominis voluntatem, dum vult, quod Deus vult (nam neque potest quis suam vel alienam reprobationem amare, quamvis sciat Deum eam decrevisse: neque potest amare parentis mortem, pestilentiam, famem, incendium publicum, quamvis sciat hæc à Deo efficaciter volita) idcircò Theologi cum D. Thoma distinguunt inter volitum Dei materiale, & formale, primum est, quod Deus vult. secundum est, quod Deus nos velle vult. in primo admittunt nec semper esse obligationem nos conformandi cum divina voluntate, & quandoque esse obligationem nos cum ea voluntate non conformandi. at in secundo dicunt semper esse honestam, quandoque

esse necessariam conformitatem, prout ea intimatur vel per consilium, vel per præceptum. Itàque hęc est regula D. Thom. l. cit. communiter recepta: *Ex hoc actus nostra voluntatis divina voluntati conformatur* (formaliter scilicet, non materialiter) *quod volumus id, quod Deus vult nos velle*. Nunc scilicet semper honestè vult, qui vult, quod Deus vult ipsum velle: Sed homo præmotus ad actum malum, vult, quod Deus vult ipsum velle: ergo honestè vult. Min. prob. hominem ponere hunc actum est hominem velle. Sed Deus taliter præmovendo, vult, hominem ponere hunc actum. ergo vult hominem velle. Egregiè in hac rem Sotus l. 1. de Nat. & Gr. c. 16 *Si Deus vult me hoc facere, hoc est conforme regula sua* (suæ scilicet voluntati, ut dixerat paulò antè) *si autem ità est, non est peccatum, nam peccatum est contrà regulam, & legem*.

Hæc omnia efficaciter roborantur ex iis, quæ Patres communiter docent adversus Manicheos, qui in homine duplicem animam agnoscebant, alteram natura bonam, unde sint bona opera, alteram natura malam, unde sint mala opera. Patres verò universim assumunt, nihil, cuius Deus sit author, determinatum esse ad malum usum. Ex quo duplex est consequentia prima. ergo Deus non est author peccati etiam accepti secundùm materiale: quia certè hoc est per se determinatum ad formalem malitiam. 2. ergo Deus non est author præmotionis ad actum peccati; quia ista præmotio cum sit determinata ad actionem connexam hìc & nunc cum malitia, est etiam determinata ad malitiam. Vide hoc argumentum latè tractatum à Ruiz de Vol. Dei disput. 38. per totam. Mihi satis est in confirmationem præcedentis argumenti ponderare verba Damasceni Dialogo contra Manicheos ab eodem Ruiz allata, ubi postquam statuerat,

rat, *Malitiam nihil aliud esse, quàm naturalium facultatum abusionem*, rationem reddit; *si enim*, inquit, *hisce facultatibus, quæ à Deo animæ sunt donata ad ea, ob quæ eas accepimus, utamur, hoc est, ut sanxit is, qui dedit, bonum est: sin contra, malum*. Ex quibus arguit, quod si accepimus à Deo animam malam, quæ non possit operari, nisi malè, non peccat homo ea utendo ad malam operationem. Hoc totum à fortiori militat contra physicam præmotionem ad malum; cum enim ea sit essentialiter determinata ad actionem malam, non potest dari, nisi ab intendente actionem malam: sicuti universim non potest dari medium unicè conducens ad finem cognitum ut tale, nisi ab intendente talem finem. hinc autem fit, ut, qui talem præmotionem accipit, & ponit actionem malam, operetur conformiter intentioni divinæ, proindeque non peccet.

§. III.

Instantiis quibusdam adversariorum occurritur.

DIces 1. eum Alvarez disp. 18. num. 21. simile argumentum fuisse obiectum S. Augustino à Juliano in materia de peccato originali, ut refert idem Augustinus l. 3. contr. Jul. c. 9. Quod solvit ibi Augustinus ostendens, posse Deum esse authorem generationis, & naturæ, ad quas consurgit originale, quia sit author peccati originalis. idem autem dici potest in re præsenti, quod Deus sit author præmotionis ad culpam, quin sit author culpæ.

Sed ne falsi reus haberetur hic author, debuisset verbum aliquod ex Augustino laudare; quo responsurus Juliano, distinxit inter originale ut actus est, & ut defectus est; tum quod

in

in primo sensu esset à Deo: in secundo à voluntate. Sed alia omnia ibi Augustinus, quæ potius doctrinam præmotorum evertunt. Dicit enim, *Malum, cum quo nascitur homo non esse fructum corporeum, sexuum, coniunctionum, quorum bonorum author est Deus, sed primæ prævaricationis, cuius author est diabolus.* Ut ergo solvat argumentum Juliani, negat originale sequi per se generationem, & naturam; adeoque sentit, quod si hanc per se sequeretur, Deus author naturæ, author etiam esset peccati. Sed Deus author est præmotionis, quam sequitur per se, & essentialiter peccatum, ergo author est peccati.

Dices 2. Concursus Dei est subtilissimus, penetrabilior omni gladio ancipiti, maximèque proinde præcisivus. ergo potest movere ad materiale, non movendo ad formale peccati.

Sed idem dici potest de concursu morali per consilium, suasionem, mandatum: idem de simili concursu ad peccatum Angeli in primo suæ creationis instanti. Deinde quidquid sit de istis vocibus, non potest Deus concursu suo dividere, quæ sunt formaliter prorsus idem. atqui formaliter idem est concurrere determinando ad entitatem peccati, ac esse peccati simpliciter authorem, ergo.

Dices 3. Deus nulla lege tenetur ad non prædeterminandum actum peccati. ergo illum prædeterminando non peccat. ergo peccati author non est.

Nego secundam consequentiam; *Causa peccati*, inquit D. Thom. qu. 3. de malo art. 1.°. *est aliquis dupliciter. Uno modo, quia ipse peccat: alio modo, quia facit alterum peccare: quorum neutrum Deo potest convenire.* In præsenti ergo non contendimus, Deum præmoventem peccare peccato suo, sed esse authorem peccati nostri, quatenus ut per præmotionem

ad

ad bonum facit nos ad ipsum converti, ita per præmotionem ad malum facit nos ab ipso averti: ad quod impertinens est, quod ipse peccet, aut non peccet; sicuti impertinens est ad hoc, quod sit causa meriti, quod ipse possit, aut non possit mereri.

Dices 4. formale peccati est extra sphæram activitatis, & voluntatis divinæ. ergo ex causalitate, & voluntate actus stantis pro materiali non sequitur causalitas, & voluntas eiusdem stantis pro formali. Conf. 1. exemplo boni, quod licet idem sit cum vero, ita tamen à voluntate attingitur, ut verum nullatenus attingatur, quia scilicet verum est extra obiectum voluntatis. idem ergo dici potest, & debet de entitate, & malitia actus relatè ad activitatem, & voluntatem divinam. Conf. 2. pressius; quia materiale, non formale peccati est intra obiectum omnipotentiæ, hæc causat materiale, non formale peccati; quis enim Deum dicat esse causam formalis malitiæ peccati; ergo idem dici potest de concursu prævio, & de amore Dei terminato ad materiale, non ad formale eiusdem peccati.

Hanc doctrinam sæpius inculcant adversarii, eamque habet P. Gonet ut præcipuum divinæ sanctitatis ad peccatum præmoventis asylum. Sed deberent advertere, hic non quæri absolutè, utrum Deus sit author peccati, adeoque utrum peccatum sit intra sphæram voluntatis divinæ, sed quæri solùm conditionatè, ex suppositione scilicet, quod præmoveat, adeoque intendat actionem turpem secundùm suam entitatem, ex hac suppositione nos contendimus, Deum esse authorem peccati, adeoque peccatum secundùm suam ipsam turpitudinem esse intra sphæram voluntatis divinæ, ut est intra sphæram voluntatis creatæ. quare dum nostro argumento respondent, & pro causa, quod Deus non tendat ad formale peccati,

cati, tradunt illam, quia formale est extra sphæram, petunt evidenter principium; dant enim pro causa id, quod omnes Catholici concedimus in quæstione cathegorica, sed nos illis negamus in hypothetica, & coincidit omnino cum propositione probanda. Ut hoc intelligas, accipe exemplum manifestum: Negant Thomistæ nobiscum posse Deum suadere odium sui; quia sequeretur Deum esse authorem talis odii. Sed nunquid potest hæc sequela negari, quia formale huius culpæ est extra sphæram? Minimè verò; eo ipso enim, quod datur posse Deum odium sui suadere, datur odium secundùm formale esse intra sphæram. quare dum dicitur, Deus odii suasor non esse odii author, quia odium est extra sphæram, revera dicitur idem per idem, odium scilicet non esse intra sphæram, quia non est intra sphæram. Idem prorsus dico in re præsenti.

Ad 1. conf. responsio, & retorsio ex dictis est evidens. Voluntas dicitur ferri ad bonum, non ad verum, quia ferri ad bonum est ferri amando, secundùm quod verum ipsum induit boni rationem: ferri ad verum est ferri cognoscendo, secundum quod bonum ipsum induit rationem veri. Et quia voluntas fertur amando, non cognoscendo, dicitur ferri ad bonum, non ad verum. Ex his ita arguo. quia ferri ad obiectum amando est formaliter ferri ad bonum, impossibile est, ut potentia quæcumque feratur amando, & non feratur formaliter ad bonum, Sed ferri ad malum formaliter est ferri ad ipsam entitatem turpem, eam amando, ac determinando, ut constat ex dictis. ergo nulla potentia, etiam divina, potest amare, & determinare actionem turpem, quin feratur ad malum formaliter.

Ad 2. conf. omnipotentia causat, quidquid

est

est in peccato, seu materiale, seu formale illud sit, si ly *formale* appellet rationem causabilem, & causatum in actu. non tamen dicitur causa malitiæ formaliter sumptæ; quia hoc non appellat rem causatam, sed modum causandi amando, ac determinando.

Dices 5. ex eo, quod Deus non possit peccatum suadere, non sequitur, quod non possit præmovere. Similiter enim sequeretur, quod non posset hominem ponere in iis circumstantiis, & occasionibus, in quibus eum prævidet peccaturum. Sed hoc potest juxta nos, & juxta omnes. ergo potest etiam prædeterminare.

Ad hoc, quod admittimus, nulla est paritas vel à suasione, vel à præmotione. Disparitatem habes à D. Thoma 1.2.qu.79.art.1.o. nam suadere, & præmovere important causalitatem in peccatum directam, quæ Deo repugnat: *Quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem. Deus autem omnia inclinat, & convertit in seipsum, &c.* At quod Deus ponat hominem in occasione, in qua videtur homo peccaturus, imò & quod illi subtrahat auxilium, quod si daret, non peccaret; *hoc totum facit secundum ordinem sapientiæ, & justitiæ*, sine ulla obligatione ita non operandi. Uno verbo. Suasio, & præmotio important amorem peccati, quem nullatenus invehit hominis constitutio in occasione peccandi; in qua si est peccatum, à sola est voluntate determinante, & amante. Fateor, quod si homo hominem in tali occasione constituat, in qua prævidet illum peccaturum, aliquando peccabit: non sic Deus; quia solus Deus potest gratia sua vires tentationis æquilibrare, ita ut homo labens sibi, non Deo imputet lapsum, idipsum homo non potest; quare huic sola motio tentationis imputatur. Præterea Deus, ut notat ibidem D. Thomas.

ex

ex munere gubernatoris supremi habet unus, ut possit peccata permittere ad suę justitiæ, vel misericordiæ ostensionem, aliaque bona ex peccati permissione provenientia.

Dices 6. Materiale peccati est bonum bonitate physica, & naturali, atque idcircò est à Deo factibile. ergo est amabile ab eo, qui *nihil odit eorum, quæ fecit*.

Resp. physicam bonitatem actus à morali malitia absorberi, & impediri à terminando divino amore, qui ad unam esse non potest, quin sit ad alteram. Actus autem malus quamvis à Deo etiam sit per generalem concursum, non tamen dicitur simpliciter à Deo fieri, aut esse, sed solùm permitti, quare est Deo libera, non quidem actio mala, sed eius dumtaxat permissio; quæ nihil aliud importat, quàm decretum collativum totius principii proximi ad utrumlibet indifferentis. Audiatur Augustinus de Sp. & Lit. c. 31. *Nunquam legimus in Scripturis, non est voluntas, nisi à Deo. & rectè non scriptum est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas, nisi ab illo*. Idem habet 5. de Civ. c. 9. & 12. Conf. c. 11. Quod autem, ait Alvarez, loqui Augustin. de voluntate non ut actio est, sed ut mala est, gratis est dictum; nam l. cit. de Civ. rationem eam reddit: *Malæ voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est*. Constat autem voluntatem malam esse contra naturam, qua talis entitas est, adeoque secundum positivum, & physicam actionis malæ, ut fert communis sententia Thomistarum.

§. IV.

§. IV.

Aliis adversariorum instantiis satisfit.

GOdoy tom.2. in 1.p.tract.4. disput.36.§ 7. pluribus laborat, ut ostendat tum absolutè, tum ad hominem, ex decreto prædeterminante entitatem materialem peccati non sequi, quod Deo tribuatur formalis malitia.

Arguit 1. Materiale peccati terminat divinam complacentiam, quin eam terminet malitia formalis. ergo poterit terminare volitionem Dei præmoventem, quin eam terminet malitia formalis. antec. probat 1. non obstante connexione actus pœnitentiæ cum peccato præterito, potest Deus amare pœnitentiam, non amando peccatum. ergo non obstante connexione materialis cum formali peccati, potest Deus in illo complacere, non in hoc. 2. quod est honestè factibile, est honestè volibile. Sed materiale peccati est à Deo honestè factibile saltem per concursum simultaneum. ergo est honestè volibile; cum quo non stat terminari eius volitionem ad formalem malitiam. 3. actus peccati, ut est ab omnipotentia influente non terminat divinam displicentiam. ergo terminat complacentiam. antec. prob. aliter omnipotentia ipsa ut influens in talem actum Deo displiceret; sicut displicet homo peccans, quia peccatum, ut est ab ipso, displicet Deo.

Nego antec. nullus enim omnino in Deo est peccati amor, ut clamant passim Scripturæ. Ad 1. prob. paritas nulla est, ut nulla est hæc alia; homini potest placere pœnitentia, & displicere peccatum. ergo potest eidem placere materiale, & non formale peccati. Disparitas est duplex. prima ex Div. Thoma in 1. ad

ad Annib. d. 48. q un. ar. 4. ad 3. ubi, *Quicumque*, inquit, *vult causam, vult effectum per consequens, sed non è converso*. Pœnitentia consequitur peccatum, illudque supponit; adeòque amans pœnitentiam, peccatum non amat. materiale non supponit, sed trahit formale peccati; ergo amans materiale, virtualiter saltem amat formale. secunda disparitas. amare materiale peccati hoc est, & non aliud ponere liberè, & imputabiliter ejusdem formale, ut patet in voluntate creata, amare pænitentiam non est amare, sed odisse peccatum; quia est amare peccati destructivum. Ad 2. prob. dupliciter aliquid est factibile ab alio, vel ut à causa, cur est, vel ut à causa, sine qua non est. quod est honestè factibile primo modo, est etiam ab eodem volibile honestè: secus universim, quod est honestè factibile solùm secundo modo, tanquam à causa ab aliâ determinata, adeòque solùm permittente, non intendente concursum suum, ut declarabitur. Ad 3. prob. nego antec. neque verò inde fit, ut omnipotentia quoque sua Deo displiceat; quia ratione peccati non displicet, nisi qui determinat actum, & amat, adeòque à peccato inficitur, & odibilis denominatur: non verò qui quoquo modo concurrit ad actum, illum non amando, nec determinando, sed merè physicè per concursum generalem producendo.

Arguit 2. Deus amat materiale, & non formale peccati voluntate antecedente inefficaci. ergo idem poterit voluntate efficaci. ant. prob. 1. Deus per suam omnipotentiam causat materiale, non formale peccati. ergo idem proportionaliter dici potest de voluntate, quæ non est minùs præcisiva. 2. materiale peccati terminat divinum decretum applicativum omnipotentiæ, ut ad illud concurrat; aliter non liberè à Deo fieret. ergo terminat divinam volitionem; decretum enim volitio est.

Nego

Nego antec. ad 1. prob. dico, quod sæpius dixi, causare peccati formale pertinere non ad rem, quæ fit, sed ad modum, quo res fit, & nihil aliud esse, quàm producere actionem peccaminosam non solum physicè, sed etiam moraliter eligendo, & amando: & idcircò Deus dicitur per omnipotentiam suam causare materiale, & non formale, quia causat, & non amat. iam consequentia hinc deducta evidenter est nulla; sic enim procedit: Deus potest producere; & non amare entitatem peccati, ergo potest eandem amare, & non amare.

Ad 2. prob. nego antec. decretum enim parativum concursus non habet pro obiecto efficaciter volito, nisi actum primum proximum in sua plena indifferentia ad utrumlibet constitutum: pro obiecto autem volito inefficaciter solum actum virtutis, ex cuius unius intentione actus ille primus confertur; & hinc actus virtutis dicitur etiam intendi efficaciter non simpliciter, sed quantum est ex parte Dei, per quem scilicet non stat, quo minùs actus ille ponatur. Et cum infertur, quod si actus peccati non est à Deo volitus, non est Deo liber; respondeo, non esse liberum immediatè tanquam effectum permissum, seu tanquam effectum, cuius permissio (consistit hæc in volitione actus primi indifferentis, & prævisi à voluntate humana ad malum determinandi) est à Deo volita.

Tradit hanc doctrinam D. Thom. in 1. d. 46. q. un. art. 4. o. ubi negat Deum velle mala fieri. ergo negat voluntatem Dei cadere suprà malum secundum quod malum fit. sed fit secundùm solam physicam entitatem. ergo negat Dei voluntatem cadere vel suprà physicam entitatem mali. Concedit tamen, quòd Deus amat duo bona conjuncta cum peccato, unum *antecedens quod est conditio naturæ potentis deficere. Unde dicitur, quod non vult mala fieri, sed vult permitte-*

mittere mala fieri. Non est ergo, iuxtà D. Thomam, voluntas Dei permissiva, nisi voluntas alicuius antecedentis ad culpam, h. e. actus primi indifferentis. Alterum, quod vult Deus, est *bonum consequens, ex quo malum ordinatur: ex quo sequitur, quòd velit mala facta ordinare, non autem, quòd velit ea fieri* Ubi autem tertium bonum, quod Deus velit iuxtà præmotores, physica scilicet peccati entitas? Ubi in D. Thoma vis illa divini amoris præcisiva, qua formali seposito, materiale complectatur?

Instat Godoy. 1. quia si materiale nullatenus terminat divinam volitionem, hæc eodem modo respiceret illud, ac formalem peccati malitiam: quod non est dicendum. 2. quod ab alio permissivè causatur, propriè ab ipso non fit, ut ait Anselmus. Sed materiale peccati propriè à Deo fit. ergo non causatur solùm permissive. 3. Augustinus in Enchir. c. 95. ait, nihil fieri, nisi velit Deus ut fiat, vel sinendo, vel ipse faciendo, sed materiale peccati non fit, sinente tantùm, sed faciente etiam Deo. ergo. 4. Voluntas permissiva non est, nisi respectu peccantis. Sed omnipotentia concurrendo ad materiale non peccat. ergo respectu talis concursus non est permissiva, sed positiva voluntas Dei.

Ad 1. respondeo, repugnare divinæ volitioni, ut amet peccatum sub ea ratione, quâ illud amatur à creatura peccante quà tali. at si amet materiale in casu, quo hoc à malitia seiungi non potest, amat illud sub ea ratione, quà amatur à creatura peccante quà tali. ergo. Aliter ergo discurrendum de materiali, & de formali malitiæ quoad actum volitionis sivè divinæ, sivè creatæ. formalis enim malitia quà talis à nulla voluntate est per se directè amabilis. resultat tamen ea in actu eo ipso, quòd ametur eius materiale; quod propterea

evadit

evadit imputabile, adeòque formaliter malum sic amanti. Ad 2. nego min. quamvis enim omnipotentia verè physice causet entitatem peccati, non tamen dicitur ea ipsa entitas in rigore à Deo fieri, quia ab agente voluntario illud solùm fit in rigore, quod fit volendo. Per quæ patet ad 3. physicus Dei influxus in actum malum non denominat Deum facientem, sed permittentem, cum sit influxus proveniens à Dei non volitione, sed permissione, seu ex eo, quòd velit non actum, sed principium liberum actus, cui vult libertatis iura servare, Ad 4. dico, probari eo argumento oppositum. omnipotentia enim præcisè non peccat, nec est peccati author ex hoc, quod ad agendum determinatur à voluntate Dei non positiva, sed permissiva. Ad formam argumenti dist. maiorem. respectu peccantis sumpti formaliter, h. e. respectu actus peccati, concedo: sumpti materialiter h. e. respectu principii, nego maiorem. tum conc. min. Sed addo, quòd licèt per talem concursum non peccet omnipotentia, peccat tamen voluntas, quæ illum amat, & determinat. tum nego conseq. quia si Deus talem concursum amaret, amaret peccatum, adeoque peccans formaliter sumptus terminaret voluntatem Dei positivam.

Arguit 3. Decretum, quod nos admittimus permissivum, & indifferens relatè ad peccatum, habet eandem difficultatem, quam habet Thomisticum positivum. Nam 1. voluntas hominis indifferens concurrendi ad bonum, & malum est mala, nec propterea est mala indifferens voluntas Dei. ergo poterit esse mala voluntas hominis determinans actum malum, quin sit mala similis voluntas Dei. 2. Si Deus daret consilium indifferens ad bonum, & malum, ei tribueretur malitia formalis, & tamen hæc Deo non tribuitur danti concursum indifferen-

feren-

ferentem: ergo licet Deo suadenti malum tribuatur malitia, non idcirco ea tribuitur Deo præmoventi.

Nego assumptum. ad 1. prob. dico, quod si voluntas hominis sit ita indifferens cum obligatione impediendi peccatum, jam talis voluntas non est indifferens, sed determinata ad malum. Deus autem obligationem impediendi peccatum non habet, imò ex munere gubernatoris supremi habet, ut impedire non debeat. quare nec peccat, ut est certum, nec tribuitur ipsi mala operatio, quam ex pondere infinitæ suæ suavitatis nec determinat, nec amat, sed odit, & execratur. Ad 2. consilium, & suasio cum sint morales influxus sequuntur volitionem. Ut ergo repugnat Deo titulo sanctitatis summæ volitio indifferens, ita & consilium, aut suasio indifferens. Fallitur adversarius in nomine decreti indifferentis, quod ita appellatur, non quia non est determinatum, sed quia non est determinans ad actum bonum. Cæterum dum Deus decreto suo confert libertatem non alium actum, nisi bonum intendit.

Arguit 4. concursus omnipotentiæ ad materiale peccati est Deo positivè liber. ergo est à Deo positivè volitus. anteced. prob. talis concursus est à Deo operante propter se ipsum; *Universa enim propter se ipsum operatus est Dominus*. ergo est volitus sub ratione medii. omne autem medium est volitum positivè. 2. Materiale peccati ut procedit ab omnipotentia, est immediatè sub Dei dominio. ergo est Deo immediatè liberum. consequ. est certa; quia non stat dominium immediatum sine immediata libertate. antec. prob. divinum dominium æquè patet, ac omnipotentia. Sed materiale peccati immediatè subest omnipotentiæ. ergo subest immediatè dominio.

Nego antec. ad 1. prob. nego concursum ad culpam à Deo ordinari ad se ipsum, sed ordi-

ordinari solùm ad se ipsum bonum antecedens, & consequens talem concursum, ut ex D. Thoma cit. colligitur. Et quidem cum peccattum, eiusque fieri sit ipsissima inordinatio, non apparet, quo pacto Deus illud ad se ordinet, aut ordinare possit. ordinat quidem ad se peccati aut remissionem, aut pœnam, quæ sunt bona per peccatum occasionata: & hoc est de malis bona facere, quod Deo sæpè tribuit Augustinus in peccati permissione. Scriptura loquitur de iis, quæ Deus operatur: sed peccatum inter ista non est; ut ex dictis patet. Ad 2. prob. antecedens si loquitur de dominio morali, est verum, sed non ad rem; quia hoc dominium non petit immediatam libertatem Domini in rem in ratione effectus. Si loquatur de physico, in quo sita est libertas, est falsum, & falsa etiam maior probationis, ut constabit cap. seq.

Arguit 3. Deus cum voluntate creata concurrit simultaneè ad materiale, non ad formale peccati. ergo poterit præmovere ad materiale, non præmovendo ad formale peccati. conseq. prob. quòd non est minùs præcisivus concursus prævius, quàm simultaneus. Quòd si dicas, concursum simultaneum esse ad materiale, non ad formale, quia est concursus à voluntate determinatus; contra insurgit. Voluntas creata determinat divinum concursum ad materiale, non verò ad formale peccati. ergo poterit voluntas divina præmotiva determinare voluntatem creatam ad materiale, quin eam determinet ad formale peccati. neque enim voluntas creata est magis præcisiva, quàm divina.

Hoc argumentum cadit sola sententiæ nostræ expositione toties inculcata. Deum concurrere ad materiale, non ad formale non est Deum præscindere aliam, & aliam ratio-

nem in actu. & ad unam concurrere, non ad aliam, sed est concurrere ut determinatum, non ut determinantem. quare argumentum re ipsa hoc dicit: Deus potest concurrere non determinando, ergo potest non determinare determinando. Ultima instantia ex hoc ipso evidenter nihil probat contrà nos; Voluntas enim creata si determinat divinam, ipsa est, cui imputatur culpa, adeòque concurrit ad formale, seu concurrit formaliter, & imputabiliter. hoc idem ergo dicendum de divina, si divina voluntas creatam determinet. dist. igitur instantiæ consequens; quin eam determinet ad formale, quod sit formale relatè ad voluntatem creatam, concedo: quod sit formale relatè ad voluntatem divinam, nego consequentiam.

CAPUT VI.

Num physica prædeterminatio stet cum creati arbitrii libertate.

§ I.

Resolutio negativa multipliciter probatur.

PRimò sic. Libertas à necessitate, qualem omnes Catholici admittimus in nostra voluntate, importat indifferentiam potestativam, & dominativam in opposita. atqui voluntas prædeterminata physicè ad actum, eiusmodi indifferentiam non habet. ergo non habet libertatem à necessitate. Min. prob. ex dictis primò, determinatio pertinens ad actum primum pu-

pugnat cum indifferentia actus primi. Sed physica prædeterminatio pertinet ad actum primum. ergo tollit indifferentiam actus primi. Minor ostensa est cap.3. Secundò. Indifferentia dominativa in opposita importat, ut voluntas, dum agit unum, v.g. dum amat, habeat sufficientiam ad oppositum, nimirum ad odio habendum. Sed voluntas præmota ad amorem non habet sufficientiam ad odium. ergo non habet dominativam in opposita indifferentiam. Min. est probata c.4. Tertiò, indifferentia dominativa libertatis fert, ut actus malus ab arbitrio positus sit uni ipsi, non autem Deo imputabilis, at præmotio facit ex opposito, ut actus malus sit imputabilis Deo, non voluntati. ergo præmotio tollit indifferentiam dominativam libertatis. Min. constat ex dictis toto c.5.

Probatur 2. Voluntas libera est facultas se ipsa ab intrinseco determinans ad suum actum. Hæc est certissima propositio, quam docent omnes Theologi cum D. Thoma pluribus in locis, præsertim 1. 2. quæst.9. art. 6. ad 3. ubi, *Homo*, inquit, *per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud*. Et in 2. d.28. quæst. 1. artic.1 o. sic ait: *Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc, aut illud*. Atqui stare non potest, quod voluntas se ipsa determinet, si à Deo prædeterminatur ad unum, ergo non stat prædeterminatio cum libertate. Min. prob. petendo ab adversariis, ut explicent, quid sit in voluntate prædeterminata *determinare se ab intrinseco* tam proprium liberæ causæ, ut in hoc maximè à non libera secernatur?

Dicunt 1. quòd sit reducere se effectivè de potentia ad actum; enim est formalis determinatio causæ. quare causa vi sua

efficiens actum, se ipsa determinat.

Sed contrà; quia hic modus se determinandi communis evidenter est causæ etiam necessariæ, nunquid enim ignis non agit? & cum actio quam ponit, sit ipsius formalis determinatio ad agendum potiùs, quàm non agendum, nunquid non dicetur propterea in eodem sensu determinare se ad agendum? Voluntas ipsa necessitata ad amandum, ut accidit de facto in Beatis, efficit & ipsa vitaliter amorem suum, qui est sui determinatio, adeoque determinat se in hoc sensu ad amandum; nec tamen liberè amat.

Dicunt 2. Voluntatem determinare se non per modum naturæ, sed per modum libertatis.

Sed quæso te, quæ est alia evidentior petitio principii? quid n. si quis discursum brutis concedens, negaret ea esse rationalia, dicendo, quòd discurrunt per modum potentiæ irrationalis, non verò rationalis? Sic igitur arguo. Determinare se per modum libertatis aut est efficere suam determinationem; & hoc etiam habet causa se determinans per modum naturæ: aut est aliquid aliud; & hoc ipsum remanet explicandum.

Dicunt 3. præcipuè, quòd determinare se per modum libertatis est efficere suam determinationem in posteriori ad judicium rationis indifferens, à que scilicet proponuntur rationes utrimque invitantes. Huc trahit Gonetus D. Thomam 1. p. q.83. art.1. sic docentem: *Quia judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum, necesse est, quòd homo sit liberi arbitrii.*

Sed contrà est 1. quia hoc pacto intellectus quoque esset immediatè liber ad opinandum, dum ipsi proposita sunt motiva utrimque probabilia, etiam stante voluntatis imperio ipsum ad unam partem determinantis: quod tamen nemo

nemo hactenus somniavit. Sequela est manifesta; quia intellectus in tali casu ad unam partem se determinaret per efficientiam sui assensus: & haberetur in prævijs motivis indifferentia ad utrumlibet.

Contra est 2. ex Bellarmino l.4. de Gr. & Lib. Arb. cap.14 *Hæretici non negant Deum liberè agere, cum determinat voluntatem nostram, & homines habere plenum, ac perfectum judicium rationis, cum aliquid eligunt, & spontè, ac voluntariè eligere: sed dicunt, decreto Dei, ac prædeterminatione omnia fieri, nec posse Deo decernenti, ac prædeterminanti resisti, & ideò liberum arbitrium hominis esse titulum sine re, vel rem de solo titulo, idest nomen inane, ac supervacaneum. Quòd si nos etiam admittamus, ità determinari à Deo voluntatem nostram, ut non possit agere, nisi id, ad quod à Deo determinatur; & tamen quia Deus eam liberè determinat, & ipsa voluntariè, & cum pleno judicio rationis agit, contendamus hominem esse liberi arbitrii, tota controversia inter nos, & hæreticos erit de nomine, utrum videlicet homo sit dicendus liberi arbitrii, necnè. At profectò labores tot hominum doctissimorum, & ipsius Concilii Oecumenici pro asserenda arbitrii libertate consumpti aliud nobis persuadent. Nec enim ignorabant viri illi sapientissimi, quod S. Augustin. epist 28. ad Hieronym. & alibi admonuit, cum de re constat, non esse de nomine litigandum.* Hæc sapientissimus Cardinalis, mentisque hæreticorum peritissimus.

Neque sufficit, quod respondet Gonetus, & alii, Thomistas ab hæreticis dissentire maximè, quò isti à motione divina volunt absorberi indifferentiam voluntatis creatæ; itaut in sensu composito motionis non sit in voluntate actus primus indifferens: quod Thomistæ

mordicus negant. Redit enim, quòd in hoc ipso sit mera lis de voce; nam nomine indifferentiæ in actu primo non aliud Gonetus intelligit, quàm voluntatem de sua natura remotè indifferentem, & judicium indifferens sub libera Dei motione. jam doceat, quid ex his negent hæretici.

Contrà est 3. à priori. hoc enim pacto salvatur indifferentia judicii, sed non indifferentia principii, seu indifferentia intentionalis, & ut ità dicam, propositiva, non physica, & electiva. At voluntas dicitur formaliter libera, & se determinans non ab intentionali (quamquam hæc sit prærequisita) sed à physica indifferentia; intentionalis enim indifferentia est propter physicam, cum frustrà fiat indifferens, & consultiva propositio non habenti physicam, & electivam indifferentiam, ratione cujus possit ab intrinseco mittere se in unam partem præ alia. Hinc D. Thomas indifferentiam judicii ubique statuit non libertatem, sed libertatis radicem q. 24. de Ver. art. 2. *Totius libertatis radix est in ratione constituta, &c.* Meritò igitur quærimus ab adversariis, ut explicent, quid sit se determinare ab intrinseco, prout respicit physicum principium electivum; si enim hoc formaliter ut tale nihil differat à principio necessario, libertas, ut appellat electivum principium, nulla est, & frustrà est judicium rationis indifferens.

Sic igitur arguo in forma. Si sub judicio indifferenti non aliter se habeat ex parte sua principium liberum, ac se habet naturale, frustrà est judicium prævium indifferens; & principium liberum re ipsâ est naturale. Sed si voluntas sub judicio indifferenti sit præmota ineluctabiliter ad unum, non se determinat aliter ex parte sua, ac principium quodvis naturale ergo frustrà est judicium prævium indifferens; & ipsa est reve-

ra principium naturale. Maior per se patet; aliter principio naturali potuisset adhiberi directio indifferens, per quam evaderet per locum intrinsecum principium liberum, nihil immutando de suo agendi modo. Minor constat ex dictis; adversarii enim non assignant inter ista principia discrimen intrinsecum ex parte ipsorum, sed ex parte prærequisiti judicii.

Arguo 3. quidquid sit utrum præmotio pertineat ad actum primum, an secundum, illud est in doctrina adversariorum indubitatum, esse necessariam omninò ad actum secundum, nec esse in manu, ac potestate voluntatis ipsam formaliter sumptam. Nunc sic. sivè applicatio ignis ad passum pertineat ad actum primum, sive non, illud est certum, quòd si ea requiratur omnino ad ignefaciendum, eamque ego in potestate non habeo, non habeo ignefaciendi potestatem. quod sanè tam evidens est, ut esset jure merito irridendus, qui consilio, aut præcepto me urgeret, ut igne, quem hic Neapoli habeo, bellicas Turcarum munitiones incenderem: quod non contingeret, si talis ignefactio esset aliquatenus in mea potestate. Sed voluntas amans hoc pacto, & non aliter habet in sua potestate odium; deest enim illi præmotio, seu præapplicatio necessaria ad odium, & hanc ipsam in sua potestate formaliter sumptam non habet. ergo re ipsa cùm amat, non habet potestatem odio habendi, adeoque non liberè amat.

Prætereà si habeam crura pedicis mihi insolubilibus impedita, nunquid diceret posse simpliciter ambulare? nunquid non ridiculus, aut irrisor esset, qui mihi suaderet, ut ambularem? quis hoc negare audeat? idque quamvis habeam totam antecedentem potentiam, ac virtutem ambulandi. Indifferentia similiter judicii prævia nonnisi per jocum illi permitteretur,

qui per præmotionem ad unum fortiùs alligatur, quàm compedibus crura. non est ergo in taliter præmoto libertas simpliciter dicta, seu expedita ad utrumlibet.

Huc etiam facit tertium exemplum, quo utitur D. Thom. in 2. d. 28. q. 1. artic. 2. ubi agens de libertate vitandi peccatum, hoc sibi quarto loco opponit; *Habens pedem claudum non potest ambulare, nisi claudicando. Sed peccare est quasi quædam curvitas voluntatis. ergo homo in statu peccati existens non potest non peccare*. Respondet, paritatem non tenere; quia homo *habens habitum vitiosum potest non uti habitu vitioso, & in contrarium usum exire*. q. d. non sic claudus, qui non potest non claudicare, cum nec possit removere tibiæ curvitatem, nec, ea stante, in rectum motum prodire. Nunc sic. tam potest homo, stante tibiæ curvitate, non claudicare, quàm, stante præmotione ad actum, non ponere actum. Sed ex Divo Thoma, & communi omnium sensu homo in eo casu naturaliter claudicat. ergo voluntas præmota naturaliter agit.

Tria hæc exempla, aliaque huiusmodi multa, quæ possent afferri, mihi videntur omnes adversariorum responsiones ad argumentum nostrum infringere, præsertim celebrem illam de sensu composito, & diviso; quia eædem possunt à nobis huiusmodi exemplis adhiberi, & defendi in iis vera libertas.

§. II.

Nonnulla adversariorum instantiæ diluuntur.

Dices 1. præmotionem non posse impedire determinationem liberam; quia est causalitas primi liberi propria, manatque ab

ab infinita divinæ voluntatis efficacia attingentis non solùm substantiam actus, sed etiam modum libertatis. Hanc doctrinam dicunt esse D. Thomæ 1. par. qu. 19. art. 8. ubi hæc habet: *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur, quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea vult fieri.*

Confirmat hoc ipsum in suo Enchiridio Gonetus pulchro hoc discursu, quem suis ipsius verbis afferam: *Necessitas consequens libertatem nostram æquivalenter, illam auferre non potest. Sed necessitas orta ex efficacia physica prædeterminationis, consequitur ad nostram libertatem, & consensum æquivalenter, cum consequatur ad illum, ut contentum eminenter in voluntate, & omnipotentia divina, quæ, ut ait Augustinus, magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: ergo non potest tollere libertatem.*

Incipio ab authoritate D. Thomæ. quam censeo afferri omninò extrà rem. Nulli dubitamus, voluntatem Dei efficacem esse infinitè efficacem, adeòque si quid velit fieri, illud omninò faciendum, & faciendum eo modo, quo vult fieri. In hoc autem insudare debet Scholasticus labor, ut ista duo conciliet, infallibilitatem divinæ voluntatis ex una parte, libertatem humanæ voluntatis ex alia: quod non præstatur à præmotoribus: quia voluntatis divinæ intendentis liberum actum statuunt pro medio prædeterminationem inducentem necessarium actum. Neque verò ex hoc, quòd prædeterminatio sit à Deo primo authore libertatis, ullatenus iuvatur ad hoc, ut servet libertatem illæsam. nam videndum, non quis conferat, sed quid conferat; qui confert enim est causa extrinseca: quod confertur, est causa intrinseca, constituens libertatem

in esse libertatis; si ergo quod confertur est per se libertatis violativum, parum refert, quòd causa sit prima origo libertatis. Hæc doctrina evidens per se est; nam quia visio beata est per se violativa libertatis, etiam si à Deo sit primò libertatis authore, non idcirco libertatem non violat. quod ipsum patet in aliis exemplis. nam quod Deus sit primus author caloris, non sequitur, quod possit formaliter calefacere per frigus: quod sit primus author nigredinis; non fit, ut possit formaliter nigrefacere per albedinem: & sic de aliis; quasi vero frigus, quod non potest per se formaliter calefacere, possit tamen, ut est à Deo primo authore caloris: & albedo, quæ non potest per se nigrefacere, possit, ut est à Deo primo authore nigredinis, &c. Uno verbo. Deus efficaciter intendens ponere constitutum, non potest sua etiam infinita potentia illud ponere per essentiale ejusdem destructivum. ergo intendens actum liberum, non potest illum obtinere media prædeterminatione essentialiter destructiva libertatis.

Conf. si præmotio per se, & de sua natura libertatem non violat, eam per locum intrinsecum nec violaret, si manaret à Deo operante per necessitatem naturæ. frustrà ergo ad salvandam libertatem creatam recurritur ad Deum, ut ad primum liberum, antec. quod conceditur à Thomistis, ut videre est apud Godoy q. 19. de voluntate Dei disp. 54. prob. 1. si Deus liberè movet causam naturalem ad operandum, non ideò causa naturalis liberè operatur. ergo quamvis naturaliter moveret causam liberam, non ideò ea operaretur naturaliter. 2. quia eodem modo operaretur in utroque casu voluntas; semper enim præmotio teneret se ex parte actus secundi, & in actu primo esset indifferentia illa Bannesiana: & non habetur,

tur, nisi ex suppositione necessitas: quæ ubi extant, modus operandi liber est. Universim enim ubi eadem sunt constitutiva, idem est constitutum, ab ipsis omnino indistinctum, quæcumque sit causa extrinseca, aut modus agendi ipsius. Atque hinc ulteriùs fit, præmotionem, si haberetur à causis creatis superioribus v. g. ab astris, adhuc servaturam illæsum arbitrium: quod si est, expectatissimam operam Astrologis judiciariis adversarii locarunt.

Confirmatio Goneti si quid probat, probat necessitatem Calvinisticam in via, & necessitatem Beatorum in patria non violare libertatem, quia est à Deo continente eminenter arbitrium, adeòque æquivalenter est ab arbitrio, & per consequens arbitrii libertatem evertere non potest. Probat, libertatem stare, etiamsi voluntas concurrat merè passivè; quia adhuc erit ab ipsa actus positus si non formaliter, saltem æquivalenter, in quantum est scilicet à voluntate divina continente creatam. Probat, stare in creaturis conceptum vitæ, quamvis potentia vitalis non se effectivè moveat ad suum actum; quia movet se effectivè æquivalenter ex ratione data? Quid ad hæc dicet Gonetus, quod reponi suo argumento non possit? Nego igitur minorem, æquivalentia enim ista, quæcumque ea sit, non est satis, ut actus tribuatur, & imputetur voluntati liberè, & ex sua determinatione operanti, ut probatum est, & patet in datis exemplis. Et quidem præcontinentia arbitrii nostri in Deo, est physica in omnipotentia, non autem moralis in voluntate, physica autem præcontinentia non est satis, ut actus noster à Deo liberè positus, sit actus liberè positus à nobis, ut patet in amore beatifico, aliisque actibus naturalibus tum intellectus, tum volun-

tatis, tum inferiorum omnium potentiarum, & in actionibus causarum naturalium.

Dices 2. libertas ad A non debet esse ad A compossibile cum omnibus prærequisitis ex parte libertatis. ergo quamvis actum præcedat aliquod incompossibile cum opposito actus, vel cum non actu, stat libertas ad oppositum actus, & ad non actum. antec. prob. quæ præcedunt ordine naturæ, & causalitatis, sunt simul tempore cum actu, Unde quia quod est, quando est necesse est esse, impossibile est, quod positis omnibus natura prærequisitis in agente libero, ut operetur, possit non agere in sensu composito, seu negationem actionis cum illis componere; aliter posset componere non actum cum actu.

Conf. quæ prioritate solùm naturæ antecedunt actum, constituunt liberum agens in ratione principii actualis actus. Sicut ergo principium actuale cum actus negatione componi non potest; ità nec possunt sic componi, quæ solùm natura antecedunt.

Nego antec. principium enim liberum definitur: *Quod positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere*. Et quamvis Alvarez dixerit, talem libertatis definitionem in nul lo ex antiquioribus reperiri, excepto uno vel altero Nominali, aliter tamen certè loquutus esset, si saltem Capreolum suum consuluisset in 1. d. 45. qu. un. art. 2. paulò antè finem, ubi necessitatem libertati oppositam eam esse definit, *qua aliqua causa sic causat quod non est in ejus potestate non causare, stantibus omnibus realibus dispositionibus, quæ sunt in ea in ordine ad effectum*. Socinnas verò in epit. Capreoli in 1. d. 38. q. 2. concluf. 4. datam libertatis notionem concedit Gregorio, quam & prius concesserat ipse Capreolus ibid q. unic.

unic. ad 1. Gregor. cont. concl. 4. Idem habet Victoria Rel. 13. prop. 3. & Sotus l. 1. de Nat. & Gr. c. 15. Quod autem hæc notio ita sit intelligenda, ut possit voluntas componere & actum & non actum cum omnibus prærequisitis, constat ex disputatis hactenus; debet enim esse expedita ad utrumlibet, & non est expedita, nisi involvendo omnia prærequisita ad utrumlibet.

Ad prob. ant. dico, quod licet, quæ natura præcedunt actum, stent simul cum actu, possunt tamen considerari & ut præcedunt, & ut stant simul, ut stant simul, non possunt esse sine actu; aliter essent cum actu, & sine actu. Sed ut præcedunt, stare possunt omnia sine actu; sic enim non involvunt actum, eiusque suppositionem, sed sumuntur præcisè omnia constitutiva libertatis in actu primo, quæ quantum est de se stare possunt cum actu, & sine actu, licet de facto stent cum actu. Hæc sanè sunt adeò clara, ut non videam, quid sibi velit Gonetus, dum hoc argumento utitur.

Ad conf. nego antec. quæ enim sic antecedunt, constituunt actum primum proximum expeditum, qui constituitur deinde actu operans non per ea, quæ præcedunt, sed per ea, quæ sequuntur, per causalitatem scilicet, & per operationem.

Dices 3. dum Deus creavit Mundum, liberè creavit, quamvis non habuerit facultatem non creandi, posito æterno efficaci decreto creandi, quod est unum ex prærequisitis necessariis ad creandum. ergo poterit voluntas liberè amare, quamvis non possit non amare, stante motione Dei efficaci determinante ad amandum.

Resp. quodcumque pendet ab actu libero, liberum esse saltem mediatè, & denominativè, sed nonnisi potentiæ, à qua est actus ille liber.

Sic

Sic est mihi libera electio, posita intentione, & actus imperatus, posito imperante, & omnes actus potentiarum exteriorum pendentes ab imperio meæ voluntatis. Sic etiam est Deo libera creatio Mundi, stante decreto efficaci. Hinc autem solùm fit, esse Deo liberum actum, posita præmotione ad actum, non autem esse liberum voluntati creatæ; quia præmotio libera est Deo, non autem creatæ voluntati.

Dices 4. cum Goudino triumphante in hoc exemplo; Concursus Dei conservativus, quamvis sit efficax, non tamen aufert corruptibilitatem effectui, quem conservat. agens enim creatum, quamvis non habeat potestatem supra conservationem ipsam, faciendo v. g. ut Deus avem non conservet, habet tamen potestatem in avem ipsam, quam potest occidere; adeoque habet potestatem in Dei conservationem non originativè, sed terminativè. Idem dici potest, & debet de præmotione, quæ licet non sit ipsa in potestate voluntatis, est tamen in potestate voluntatis terminus eiusdem præmotionis; adeoque præmotio quantumvis efficax non tollit contingentiam, & libertatem actui.

Resp. concursum Dei conservativum non esse ex voluntate Dei absoluta, & antecedente; aliter per nullam creatam virtutem res destrui posset; sed esse ex voluntate conditionata, si nulla scilicet sit in contrarium naturalis exigentia, quam quia ponit agens creatum destructivum, Deus conservare tunc desinit. Quid autem huic simile in physica præmotione? hæc sanè confertur per voluntatem Dei absolutam, & antecedentem, utpotè requisita ad omnem usum liberi arbitrii. quare cum trahat necessariò actum, ad quem præmovet, nullatenus iste esse poterit in potestate voluntatis.

CAPUT VII.

Num physica prædeterminatio aliquod habeat ab authoritate patrocinium præsertim Tridentini, & D. Thomæ.

MUlta congerit Goudinus ex antiquis Philosophis, Scriptura, Patribus, & Ecclesia, ut ostendat ab his præmotionem doceri. Sed frustra. Nam primò, quod Philosophi asserunt, causas secundas non agere nisi motas à prima, veritas est à nobis, & ab omnibus concessa, nec negabilis, nisi ab eo, qui Deo negare auderet rationem primi Motoris. quantùm verò hoc distet à re; quam agimus, patebit ex dicendis de mente D. Thomæ.

Quod testatur Scriptura de Dei potestate in creatas voluntates, ut possit eas flectere ad suum arbitrium, nobis etiam fatentibus, est verum. Sed ut aliquid ad rem inde eruatur, debet probari, non aliter id fieri posse, quàm per ineluctabilem prædeterminationem. Sed hoc esse falsum, constabit capite ultimo.

De Augustino videri possunt nostri Doctores passim, & præterea Tricassinus de Prædestin. latè probans physicam præmotionem longissimè abesse ab Augustini sententia. Quod autem citat ex Enchir. c. 12 Goudinus, dicens funditus ibi everti sententiam nostram, est hominis alienis verbis suas cogitationes per vim intrudentis. quam enim lepida est interpretatio eorum verborum, *Deus voluntatem hominis præparat, & præparatam adjuvat*, idest, *non solum cooperatur voluntati, sed etiam physicè eam prædeterminat*? quasi non esset alius modus adjuvandi voluntatem per auxilium sufficiens jam præparatam, nisi eam prædeterminando.

Eccle-

Ecclesiæ porrò preces, & fidelium consensus addućta aptum nihil habent pro physica præmotione. dum enim Deum orat Ecclesia; ut *nostras rebelles compellat ad se propitius voluntates*, certè non loquitur de coactione, sed vel de impulsu efficaci, quem nemo negat: vel de compulsione, quæ fit per incussionem salutaris metus, comminando supplicia seu temporalia, seu æterna, ut censet Tricassinus cit. Quod autem fideles omnes gratias Deo & agant, & debeant pro bonis suis operibus, quid quæso pro re tua, Goudine? nisi fortè supponis, negari à nobis actus salutares esse Dei dona. Sed si hoc censes dictum à nobis, satis es doctrinæ nostræ ignarus; si consequens ad nostra dicta, probare consequentiam debuisses: & non statuere ut apud nos inconcussum, quod nos non dicimus; & tu ex nostris dictis probare non poteras. Sed hoc nostrum est commune jam, ut ita dixerim, fatum (quod advertit Nicolaus Martinez) ut adversarii toti sint in nostris impugnandis, nulli in legendis.

His ergo missis, duæ sunt authoritates in præsenti examinandæ, altera Tridentini, altera D. Thomæ.

§. I.

Tridentinum præmotioni non favet.

JAm inde ab initio præsentis controversiæ ingens facessitum adversariis negotium est ex Tridentini authoritate sess. enim 6. can. 4. definit, *Liberum arbitrium motum, & excitatum à Deo posse dissentire, si velit*. Hoc dictum ut explicent, dicunt, voluntatem posse dissentire in sensu non composito, sed divi-

diviso; non quia in sensu composito præmotionis non retineat voluntas potentiam ad dissentiendum, sed quia non habet potentiam ad dissentiendum in sensu composito præmotionis, seu ad componendum cum creata præmotione dissensum. Nostri tamen ex verbis Tridentini inferunt, utramque potentiam debere esse in voluntate relatè ad Dei vocationem etiam efficacem.

Sic igitur discurrunt, ut physicam præmotionem evertant. Non est, nec potest esse in voluntate potentia conjungendi dissensum cum præmotione ad assensum juxta Prædeterminantes. Sed juxta Tridentinum est in voluntate potentia conjungendi dissensum cum efficaci vocatione. ergo efficax vocatio non est præmotio. major, & consequ. sunt certæ.

Minor ut probetur, præmittenda sunt duo. 1. loqui ibi Trid. de vocatione non quacumque sed efficaci. nam loquitur contra hæreticos negantes posse resisti vocationi efficaci: merè enim sufficiens, quæque effectum non habet, extra dubium est, quod possit effectum non habere. Deinde sess. illa 6. cap. 5. dicit, posse homines abiicere Dei gratiam. tum declarat, loqui se de ea gratia, quam petimus iis verbis, *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Demum Senonense, seu verius Parisiense declarat, *Non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*, quibus verbis evidenter exprimitur efficax vocatio. Immeritò autem Gonetus authoritatem huius Synodi imminuit; quamvis enim Oecumenica non sit, sed Provincialis; eiusmodi tamen Conciliis magnus semper est honor habitus in Ecclesia, magnumque eorum authoritati inest pondus. quare puto sine iniuria me dicturum, si pluris habeam Patres Senonenses,

quàm

quàm Prædicatores; quamvis & hos plurimi faciam. Accedit, quod nihil in hac re dictum est à Senonensi, quod non fuerit deinde definitum à Tridentino; perinde enim est posse dissentire Deo vocanti, & posse ejus vocationem abiicere, ac posse Deo vocanti resistere.

Alterum præmittendum est, ex terminis non posse haberi dissensum, & resistentiam adversus motionem, nisi motio supponatur. multò minùs potest abiici motio, quæ non est. resistere enim, dissentire, & abiicere sunt habitudines, quæ cessant omninò, cessante termino. quid enim? nonnè ridiculus essem, si me jactarem, quòd possim resistere Giganti, sed tunc solùm, quando ille vel non est, vel non pugnat? quòd possim reiicere hostilem exercitum, dum tamen ille nusquam vel urget, vel appareat?

Ex his prob. illa minor. dissentire, & resistere Deo vocanti formaliter est coniungere actum malum cum divina vocatione ad bonum; hoc enim unicè pacto actus malus habet rationem dissensus, & resistentiæ. Sed Tridentinum docet, posse hominem dissentire, & resistere Deo vocanti. ergo potest homo coniungere actum malum cum divina vocatione efficaci ad bonum. Conf. ità enim definit Concilium posse nos dissentire vocationi divinæ, ut ait Scriptura nos resistere non posse voluntati divinæ: at hoc secundum facit sensum compositum. ergo & primum.

Hoc argumentum ut solverent, multa olim adversarii contulere, præsertim illud de dissensu, & resistentia in sensu dumtaxat materiali, & specificativo, h. e. revera de actu malo, dum non habet, nec habere potest rationem dissensus, & resistentiæ. Sed extremis temporibus eò devenerunt, ut hanc ipsam Tri-

den-

dentini authoritatem in nos retorquerent, contenderentque præfatis canonis 4. verbis præmotionem non modò non reiici, sed tradi, ac definiri. ità enim acutè philosophantur.

Illa motio iuxtà Tridentinum componitur cum libertate, quæ iuxtà Calvinum non componitur. Sed iuxtà Calvinum motio ab intrinseco efficax cum nostra libertate non componitur, ergo iuxtà Tridentinum motio ab intrinseco efficax cum libertate componitur. maiorem probat Goudinus hoc exemplo. Si Titius cum Sempronio contendat de vinea, & Judex alteri adiudicet domum, nihil ad litem directè facit; quia lis non est de domo, sed de vinea. Ità pariter lis erat cum hæreticis, utrum motio intrinsecè efficax libertatem violaret. nihil ergo ad rem decrevisset Concilium, nisi declarasset, motionem per se efficacem stare cum libertate.

Modus hic arguendi est apertè sophisticus, & multipliciter instatur. 1. Illa motio juxtà Tridentinum componitur cum libertate, quæ juxtà hæreticos non componitur. Sed iuxtà hæreticos motio non relinquens arbitrii indifferentiam cum libertate non componitur. ergo talis motio iuxtà Trid. cum libertate componitur. Vel sic. Sed iuxtà hæreticos motio, in qua voluntas se habet merè passivè, cum libertate non componitur. ergo iuxtà Trid. componitur. 2. Ille Christus, iuxtà Concilia, est Filius Dei naturalis, qui iuxtà Nestorium est Filius Dei adoptivus. Sed iuxtà Nestorium, Christus ille, qui est alia à Verbo persona, est Filius Dei adoptivus. ergo, iuxtà Concilia, Christus, qui est alia à Verbo persona, est Filius Dei naturalis. 3. Illud Verbum est, iuxtà Concilia, æquale Patri, quod iuxtà Arium est inæquale. Sed iuxtà Arium, Verbum crea-

tum

tum est Patri inæquale ergo, iuxta Concilia, Verbum creatum est Patri æquale. Aliæ huiusmodi absurdissimæ consequentiæ possent instrui hoc arguendi modo.

Responsio directa est distinguendo maiorem: Illa motio accepta secundùm prædicata certa, & dogmatica, componitur, &c. concedo: accepta secundùm prædicata dubia, & controversa, quæque admissa reddunt implicantem Concilii definitionem; nego maiorem, tum concessa minore, nego consequentiam. Fuit ergo lis de motione, seu gratia non Calvini, sed Christi, quam quia Concilium definit eam esse, quæ abiici possit, adeoque ut per se, & ab intrinseco actum essentialiter, & ineluctabiliter non trahat, consequens est, ut asserat, physicè præmotivam non esse.

Duplicem laciniam huic panno assuit Goudinus, Prima est, quod Patres illi, qui tale decretum formarunt, omnes in suis scriptis præmotionem deinceps asseruerunt, ut Mussus, Seripandus, Delfinus, Salmeronius, Vega, & præterea omnes Dominicani, qui frequentissimi Concilio interfuerunt. Voluerunt ergo per illud decretum physicam præmotionem astruere.

Altera est, quòd præmotio Bannesiana traditur expressè in Cathechismo Romano, qui ad mentem Tridentini scriptus est. Videtur ergo tradita etiam à Tridentino. ant. prob. adducendo locum Cathechismi 1. p. de 1. symbi art. *Non solum Deus universa, quæ sunt providentia sua tuetur, atque administrat, verùm etiam quæ moventur, aut aliquid agunt, intima virtute ad motum, atque actionem ità impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertingat.* His

Ca-

Catechismi verb's hæc adsit de suo Goudinus. *Potuisset nè Thomista luculentiùs exprimere, & clarioribus coloribus depingere præmotionem physicam? plane cæcum, aut protervum esse oportet, qui non videat, ipsissimam quam tuemur sententiam ibi apertè fuisse traditam.*

Ad primam resp. eam esse veterem cantilenam, cui sæpiùs abundè factum à Nostris est; Videatur Henaus Eventil. 14. & 15. ubi ex verbis Salmeronii, & Vegæ ostendit occasionem errandi circa eorum mentem. Verba Cornelii Mussi, quibus asserit, omnia moveri à Deo tanquam à primo movente, &c. nihil habent pro re adversariorum, ut constabit ex dicendis de mente D. Thomæ, cui est familiaris ille loquendi modus, nec propterea prædeterminationem intelligit. Delfinus l. 4. de lib. arb. apertissimè prædeterminationem excludit: nec minùs apertè Dominicus Sotus, quem ibi Henaus latè refert, & examinat. Rursus Nostri communiter ostendunt antè Dominicum Bannez nullum ex Patribus Dominicanis fuisse, qui physicam prædeterminationem doceret. Nullus certè ab adversariis affertur, nisi sub verbis præviæ motionis, quæ ambigua sunt; potest enim esse motio prævia, quæ tamen ad unum antecedenter non determinet.

Ad alteram resp. quæcumque fuerit mens Scriptorum Catechismi, ea certè verba nihil prorsus habere pro physica prædeterminatione, nisi apud eos, qui ubicumque nomen motionis inveniunt, physicam illicò prædeterminationem intelligunt. Sensus ergo eorum verborum non potest ad irresistibilem præmotionem trahi; sic enim præmotio significaretur per *Intimam virtutem*; quod est contra naturam præmotionis, ut ab adversariis afferta,

tæ, quæ scilicet virtus non est, & propterea ad actum primum non pertinet; aliter libertatem, ipsis etiam fatentibus, violaret. An verò ratio virtutis prædeterminationi erit pro toga, quam sumat, ac poscat, ut commodum fuerit ipsius authoribus? Nomine igitur *Intima virtutis*, qua Deus movet, ac prævenit omnes causarum secundarum actiones, venit in naturalibus potentia creata effectrix determinata ad unum in specie, positis requisitis ad operandum: cum enim ea sit accepta primùm à Deo, & actu conservata in priori ad omnem actionem, consequens est, ut actio eam sequens Deo, ut primo moventi tribuatur; seu tribuatur Deo, ut ultimo, in quod, quidquid est in effectu sufficientiæ, tandem resolvitur. In liberis verò causis nomine virtutis intimæ venit potentia voluntatis effectrix à Deo accepta, ac determinata ad unum in genere, à quo habet, ut possit se determinare ad unum in specie: quæ secunda determinatio cum supponat priorem determinationem, dicitur Deus determinationem voluntatis determinatione sua prævenire, & impellere, impulsu tamen causæ proportionato adeoque penitùs indifferente ad unum in specie. Uno verbo, authores Catechismi non aliam præmotionem allatis verbis exprimunt, nisi quam tradit Divus Thomas jam afferendus, & explicandus.

§. II.

§. II.

Nusquam Divus Thomas prædeterminationem ad unum in causis liberis agnovit.

NOn est animus in præsenti colligere, quæ Angelicus Doctor pluries docuit, unde eruitur physicam præmotionem contrariam esse & libertati humanæ, & sanctitati divinæ. Præstitit hoc inter cæteros egregiè Henricus de Cerff integro libro: ubi explicatis quibusdam loquendi formulis S. Doctori familiaribus, tria latè, & efficaciter probat. 1. physicam prædeterminationem fuisse Div. Thomæ ignotam. 2. non posse ex eiusdem mente conciliari cum libertate humana. 3. nec posse conciliari cum justitia, & sanctitate divina. Ista qui legerit, evidenter intelliget, à veritate longissimè distare Goudinum, dum ait, authoritates D. Thomæ à nobis cumulari partim truncatas, partim nihil ad propositum facientes, partim sinistro sensu explicatas. Sed hæc aliaque paria facilè huic authori condonamus; jamdiu enim didicimus, indices malæ causæ contumelias esse, quæ scilicet non suppetunt, nisi ubi deficiunt rationes. At verò tria hæc asserta Goudini metas esse in nos contumelias exinde constat, quia nullum probavit. Mihi in præsenti satis erit breviter ostendere, nihil prorsus de prædeterminatione docuisse S. Thomam in iis ipsis præcipuis locis, quibus maximè nituntur adversarii.

Primus locus affertur à Goneto ex quodlib. 12. art. 4. ubi subscribit sententiæ illorum, qui asserunt, *à Providentia Dei omnia esse prædeterminata*, & 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. solvens

vens argumentum ex authoritate Damasceni, dicentis: *Omnia quidem pracognoscit Deus, sed non omnia pradeterminat*: Respondet, quod *Damascenus nominat pradeterminationem impositionem necessitatis, sicut in rebus naturalibus, qua sunt pradeterminata ad unum*. Sentit ergo, decretum prædeterminans voluntatem per modum non naturæ, sed libertatis esse omninò admittendum; aliter frustra sic respondisset. Ex hoc insultat Gonetus Doctoribus nostris, quasi parum versatis in doctrina Div. Thom. dum asserunt; nomen prædeterminationis esse novum, & à Bannesio excogitatum.

Alter locus ab eodem allatus est ex qu. 3. de pot. art. 7. ad 7. ubi docet, aliquid à Deo fieri in re naturali, quo actualiter agat, idque habere esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis. tum affert is author plures ex Nostris, præsertim Bellarminum, testantes hanc ipsam ibi esse sententiam Div. Thomæ physicam prædeterminationem astruentis.

3. Juxta D. Thom. Deus physicè movet omnes causas secundas: ergo physicè eas prædeterminat. ant. habetur tum 1. p. qu. 105. ar. 5. tum 1. 2 qu. 109. art. 1. tum 3. cont. Gent. c. 70. tum qu. 3. de pot. art. 7. conf. prob. ex eodem D. Thoma 3. cont. Gent. c. 149. ubi, *Motio*, inquit, *moventis pracedit motum mobilis ratione, & causa*. quæ est etiam doctrina Philos. 4. Met. c. 23. dicentis; *Movens natura prius est moto*. Motio igitur à Div. Thoma asserta est præmotio.

4. D. Thomas admittit motionem ad unum ab intrinseco efficacem. ergo admittit physicam præmotionem. antec. prob. ex 1. 2. qu. 10. art. 4. ad 3. ubi, *Si Deus*, inquit, *movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod*

ad illud voluntas non moveatur. idem habet 2.2. q.24. art.11.

Ad 1. resp. ex vano sibi, suisque gratulari Gonetum, quòd nomen prædeterminationis invenerit in S. Thoma. Nostri enim non hoc negant; sed negant reperiri in Angelico, aliove ex antiquioribus Thomistis nomen. *Prædeterminationis physica*, ut stat pro realitate in voluntate producta, transeunte, ac determinante ineluctabiliter ad unum. Non est autem hic sensus in eo quodlib. ubi non est sermo, nisi de ordine Providentiæ constituto per actus divinos, & extrinsecè denominante res creatas. itàque prædeterminatio idem ibi sonat, ac prædefinitio: & nomen est decreti divini, non qualitatis essentialiter alligantis voluntatem ad unum. Locus ex 1. p. ex eadem ratione nihil habet pro Goneto. Loquitur enim de prædeterminatione, seu decreto divinæ voluntatis, quod quidem aliud est impositivum necessitatis, aliud compossibile cum libertate. primum est, quale habetur relatè ad res naturales naturam accipientes ad unum determinatam: cui comparatur decretum Banesianum; proinde enim est, sive prædeterminatio sit permanens, sive sit transiens. alterum est, quod transmittit rationalem creaturam in finem supernaturalem modo congruo naturæ libertatis, adeòque permittendo illi suam determinationem, non verò eam ineluctabiliter determinando.

Ad 2. hic ille est locus, quem maximè jactan Prædeterminatores, quemque dicunt, Nostrorum etiam Doctorum sententia, apertissimum esse. Mirum tamen est, quod citent Bellarminum, qui l.4. de Gr. & Lib. Arb. c.14. expressè reiicit prædeterminationem, tum cap.16. amplectitur doctrinam illam D. Thomæ, ut concilie libertatem nostram cum motio-

ne divina. evidens ergo est, quòd illam doctrinam distinxerit à doctrina prædeterminationis. Noluit porrò ibi S. Thomas, aliquid reale, & physicum imprimi à Deo causis naturalibus, sed solam extrinsecam denominationem partim à simultaneo concursu recepto vel in effectu, vel in passo, partim ab arte divini intellectus, & decreto divinæ voluntatis omnia in fines statutos dirigente. Hic sensus eruitur ex iis verbis: *Quod à Deo fit in re naturali, quæ actualiter agat, est, ut intentio sola*: adeoque est aliquid non reale, sed intentionale, non intrinsecum, sed extrinsecum. rursus ex iis, *quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis*: ista autem solùm extrinsecè sunt. Videatur Ruiz de Sc. Dei disput. 41. sect. 4. Deinde quamvis detur, imprimi aliquid physicum, nunquid propterea causæ liberæ determinativum ad unum? de hoc certè ne minimum quidem verbum habet Angelicus, sed potiùs oppositum in resp. ad 13.

Ad 3. quid sibi velit S. Doctor, dum docet causas omnes à Deo moveri, & præmoveri, non aliunde meliùs possumus cognoscere, quàm ab ipso se clarissime explicante. Multipliciter ergo dicitur Deus causas secundas præmovere, juxtà D. Thom. Primò, quia dat illis, & conservat continenter esse, ac vim operativam: ut habet 3. cont. Gent. cap. 67. num. 3. & qu. 3. de pot. art. 7. o. ubi, *Deus*, inquit, *agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutem, per quam agere possunt, non solùm sicut generans virtutem tribuit gravi, & eam ulteriùs non conservat, sed sicut continuè tenens virtutem in esse*. Specialiter verò dicitur movere, seu præmovere causam liberam, quia illi dedit simul cum esse determinationem ad bonum in communi, vi cujus habet voluntas, ut possit se determinare ad bonum in particulari: hæc

autem

autem determinatio vel est natura ipsa arbitrii, vel est amor ipse boni ut sic necessarius, & indeliberatus præcedens amorem omnem liberum particularium bonorum, & in eo inclusus, ità habetur 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. ubi, *Deus*, inquit, *movet voluntatem hominis tanquam universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum.*

Movet deindè Deus causas secundas, ut primum movens, quia est ultimus omnium finis; adeòque quidquid fit, ultimatè est à motione bonitatis divinæ, cuius sunt participationes bonitates creatæ. hinc 3. cont. Gent. c. 67 num. 4 dicit, quòd *omnis motus voluntatis, quo applicantur aliqua virtutes ad agendum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile.*

Postremò dicitur Deus voluntatem specialiter movere per gratiam, per illustrationes scilicet, & inspirationes, quas producit in nobis sine nobis. de hac motione loquitur 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. *Interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum: sicut in his, quos movet per gratiam.*

Ex his constat, concursum simultaneum, quem nos ponimus non solùm esse motionem, sed etiam præmotionem divinam, non quam Thomistæ, sed quam D. Thomas statuit. concursus simultaneus (notent id, quæso, adversarii, qui nolunt ista distinguere) stat quandoque pro actu secundo causalitatis, qua Deus simul cum causa secunda efficit actum; atque ità est motio comitans, non antecedens. & stat pro actu primo involvente decretum collativum totius actus primi liberi indifferentis ad

utrumlibet; atque ità est motio omnino prævia; quæ nisi supponatur, voluntas agere nihil potest, atque hæc est ipsissima præmotio primo loco à Divo Thoma asserta. Inanis ergo est adversariorum labor, dum authoritate, & ratione probare contendunt, necessariam esse motionem Dei præviam. Nos quidem hanc non negamus; sed eam, quæ determinet arbitrium ad unam partem, unicè, & mordicus inficiamur.

Ad 4. nego antec. cuius vana est probatio; nam illud dictum D. Thomæ est verum in nostra etiam sententia, ut constat eam vel à limine consideranti.

CAPUT VIII.

Infertur ex dictis, Dei dominium in creaturam liberam quà talem per physicam prædeterminationem nullum esse: tum solvuntur objecta.

PHysica præmotio, qualem statuunt noviores Thomistæ, ostensa hactenus est libertatis humanæ inimica. Itàque Deus dominari quidem arbitrio potest per eiusmodi præmotionem, sed non aliter, ac vitæ dominatur per mortem; quatenus ut quia Dominus est vitæ, potest eam tollere inducendo mortem; item quia Dominus est libertatis, potest eam tollere inducendo præmotionem. At non hoc est dominium, de quo in præsenti est controversia, loquimur enim de dominio in causam liberam quà talem, h. e. de dominio, quod Deus in voluntatem exercet, servando illi jura libertatis. Huius autem dominii instrumentum esse præmo-

motio non potest, quæ tot argumentis ostensa est hactenus libertatis eversiva.

Superest ut solvam præcipua adversariorum argumenta, duodecim ex his affert Goudinus cum ea præfatione, quod *Justissima causa æquis semper rationibus abundat*. Quæ, & qualis sit hujus authoris tanta copia, judicet Lector, qui eum numerum ortum deprehendet ex tautologia, qua idem argumentum procedere in scenam sæpè cogitur alio verborum habitu, & apparatu. Equidem ne longum faciam sine pretio longitudinis, adverto præcipua adversariorum fundamenta ad tria capita reduci. Primum est perfectio divini dominii suprà voluntatem. Secundum est imperfectio voluntatis creatæ indifferentis, adeoque indigentis aliena determinatione. Tertium est natura effectus, & actus exigentis, si bonus est, authorem Deum, si malus, authorem dumtaxat hominem.

§. I.

Solvitur primum argumentum, & ostenditur, præcisa præmotione, salvari divinam Primitatem.

EX primo capite sic arguunt. Deus ex perfectione sui dominii habet, ut sit primum liberum, prima causa, primum movens, primum determinans, primum applicans voluntatem ad operandum; unde fit, ut voluntas dicatur agere in virtute Dei, & ut Dei instrumentum. Atqui hæc omnia non salvantur per concursum simultaneum. ergo requiritur concursus prævius, ac prædeterminativus. Min. prob. Concursus simultaneus est concursus, in

quo magis Deus subordinatur creaturæ, quàm creatura Deo. ergo non est satis, ut Deum in sua primitate constituat. ant. prob. 1. quia voluntas creata non potest actum suum liberum elicere sine concursu Dei, subordinatur Deo, at neq; Deus potest actum liberum causare sine concursu creaturæ, ergo subordinatur creaturæ. 2. omnis causa determinans subordinat sibi causam determinatam. sed in concursu simultaneo voluntas est causa determinans; Deus est causa determinata. ergo Deus subordinatur creaturæ.

Resp. omnia illa prædicata dici de Deo in nostra sententia perfectissimè. Et primò Deus est primum liberum, & quod perindè est, primum determinans: sed primum, non unicum. Prædeterminantes Deum reverà faciunt non primum, sed unicum liberum, creatam libertatem funditus evertentes. Dicitur ergo Deus primum liberum, quia exercitium divinæ libertatis essentialiter præit quodlibet exercitium libertatis creatæ; quamvis nisi Deus decreto suo liberè conferret voluntati actum primum indifferentem cum potestate se determinandi pro libito, non posset voluntas libere operari, quare ut juxtà D. Thom. c. sup. relatum dicitur Deus prima causa, quia quidquid agit secunda, in virtute ipsius agit; agit enim in quantum est actu: & est actu per Dei efficientiam: ità dicitur primum liberum, quia quidquid vult voluntas, in virtute Dei vult liberè illi dantis, ut possit velle; vult enim liberè, in quantum est actu potentia libera; & est talis actu à Dei decreto conferente illi liberam facultatem.

Quid sit Deum esse primam causam, & primum movens, satis est dictum ex D. Thom. c. sup. importat scilicet ut actio, & motio ipsius necessariò præcedat omnem actionem, & motio.

tionem creaturæ; ità ut repugnantia sit, creaturam agere, & movere, quin præintelligatur à Deo acta, & mota. Dicitur etiam prima causa, & primum movens primitate tum universalitatis, tum perfectionis.

Dicitur deinde Deus omnem causam secundam applicare, ut dicitur omnem causam secundam movere; est enim ut motionis omnis, ità & omnis applicationis causa, Sed applicatio stat dupliciter. 1. pro omni eo, quod requiritur in actu primo, ut causa sit ad agendum expedita, sive ea sit virtus, sive conditio; atque istius applicationis Deus est immediata causa per immediatam suæ voluntatis libertatem. 2. pro ipsa actione, quæ voluntatem dicitur applicare, & coniungere effectui libero; atque huius est Deus immediata causa, sed non causa immediatè determinans; pugnat; enim talis determinatio cum libertate actus, qui unius tantùm causæ potest esse liberum exercitium. Rursus hic ipse actus potest esse & malus, & bonus moraliter, primus non est Deo liber neque in ratione exercitii, neque in ratione obiecti voliti, sed solùm in ratione obiecti permissi, alter non est liber immediatè in ratione exercitii, sed in ratione obiecti immediatè voliti; ut explicatur in De Gratia.

Dicitur demum creatura omnis agere, ut instrumentum Dei, quia non agit, nisi per virtutem actu acceptam à Deo, hinc omnis eius actio reducitur in Deum ultimatè. Sed non est creatura Dei instrumentum, ut serra artificis; hæc enim quia insitam vim sufficientem per se non habet, indiget motione artificis transeunte, at creatura per hoc, quòd accipiat actu naturam, & vim naturalem agendi, satis constituitur potens; facit enim in ea natura ut actu à Deo accepta, quod in serra motio ut actu ab artifice impressa.

Post hæc ad argumentum conc. maj. dist. min. non salvantur per concursum simultaneum, si hic stet solùm pro actu secundo, h. e. pro actuali causalitate, concedo minorem, habitus enim talem concursum habet in actiones liberas, nec proinde concurrit ut prima causa, ut primum movens, &c. si concursus simultaneus stet pro actu primo importante decretum liberè collativum totius actus primi indifferentis, nego minorem; quam esse falsam constat ex modò dictis.

Ad minoris prob. dico, certum esse, quod si concursus simultaneus stet pro actu primo explicato, per illum Deus evidenter non subordinatur creaturæ, sed eam sibi subordinat. Ut ergo probationes habeant speciem, loqui debent de concursu in actu secundo, seu de actuali causalitate, ad quam Deus concurrit non ut determinans, sed ut determinatus. De hoc igitur loquendo, nego antec. ad 1. prob. dico eam esse solvendam ab adversario; nam certè Deus non potest meum actum liberum quà talem ponere, nihil agente voluntate. neganda est igitur causalis maioris; pro qua ea est subrogandа; quia scilicet concursus voluntatis supponit à Deo sibi collatam virtutem concurrendi. ad 2. nego universaliter maiorem; quod enim ego determinem & actum, & Deum, non habeo, nisi à Deo idipsum liberaliter concedente. cùm ergo determinatio mea supponat essentialiter divinam, est determinatio non subordinans, sed subordinata, cum sit determinatio sub determinatione.

Exemplum est in obligatione morali, quæ quidem universim quædam subiectio est: & tamen potest Deus ex sua fidelitate obligari creaturæ: quæ obligatio subiectionem simpliciter non importat, quia pendet ultimatè à libera Dei permissione, quamvis immediatè pendeat ali-

aliquatenus à creatura. Item dicimus, quòd licèt determinatum subordinetur determinanti: non tamen, ubi, quòd superior determinetur ab inferiori, pendet radicaliter à se, & non ab alio determinante.

Instabis 1. Deus nostræ voluntatis determinationem, & electionem producit non minùs, imò magis, quàm nostra ipsa voluntas. ergo multò magis, quàm voluntas, determinat, & eligit.

Nulla est consequentia; similiter enim habitus deberet eligere, quia concurrit ad electionem: deberet Deus discurrere, quia concurrit ad discursum, comedere, quia concurrit ad comestionem, &c. Et quidem denominatio eligentis non competit causæ propter merum physicum concursum, ut patet, sed propter immediatam primitatem in concurrendo, itaut non solùm sit id, sine quo non est actus, sed etiam sit causa, cur sit actus, & se, & comprincipia ad agendum determinando. Quòd si Deus, quia est primum liberum, deberet immediatam libertatem exercere in omnes nostras operationes; quia est primum vivens, deberet immediatè vivere per easdem, &c.

Instabis 2. ex nostra sententia fit, ut voluntas sit prima causa determinans liberam actionem. ergo fit, ut sit prima causa, adeòq; Deus relatè ad eius actum non est prima, sed secunda causa.

Resp. 1. neg. cons. arguit enim à termino restricto ad ampliatum. prima causa simpliciter est, quæ aliam causam non supponit: prima causa determinans est, quæ non supponit aliam determinantem. Jam voluntas licèt non supponat aliam causam, quæ determinet actum, supponit aliam, quæ determinet potentiam habitam præcisè vi decreti præsuppositi. Resp. 2. dist. anteced. prima causa determinans actionem malam, concedo (sic au-

tem esse voluntatem primam causam deficientem, absurdum non est, sed planè necessarium) prima causa determinans actionem bonam, nego antec. prima enim determinatio bonæ actionis est à divina voluntate illam extrinsecè, atque æternaliter intendente.

Instabis 3. determinabilitas est potentialitas, & imperfectio. ergo non potest competere decreto divino actualissimo, & perfectissimo. ergo voluntas non potest illud determinare, sed debet ab illo determinari.

Dist. ant. determinabilitas orta ex debilitate, & impotentia agentis, concedo: orta ex liberalitate agentis sponte sua volentis arbitrium creatum servare liberum, nego antecedens.

Instabis 4. debet Deo tribui primitas in omni linea perfectionis, sed determinare actum est perfectio. ergo in tali determinatione Deus debet esse primus, adeòque debet esse primum determinans actum.

Ut videas, quanta sit in argumento vis, maiori datæ subiunge hanc minorem: sed vivere est perfectio. ergo in linea vitæ Deus debet esse primus, adeòque debet esse primum vivens etiam per nostros actus. Directè dico, maiorem esse veram de linea perfectionis simpliciter simplicis: at determinare actum creati arbitrii est perfectio mixta, quia est determinatio supponens essentialiter vim se determinandi ab alio acceptam, & dependentem. Rursus ad hanc ipsam determinationem Deus se habet ut primum determinans physicè, non actum, sed potentiam se determinandi. Est ergo primum liberum, ut est primũ vivens; quia omnis libertas, & vita eius libertatem, & vitam essentialiter supponit, ac participat. Adde, quòd necessitas determinandi nostrum actum immediatè tantum abest, ut in Deo sit perfectio, ut sit potius imperfectio manifesta; cùm enim

crea-

creatam libertatem evertat, statuit consequenter libertatem divinam à creaturis imparticipabilem.

§. I II.

Solvitur secundum argumentum, & ostenditur in voluntate vis se determinandi ab intrinseco, præcisa præmotione.

EX altero capite sic arguunt. Quod est indifferens ad utrumlibet, non agit, nisi priùs determinetur ab alio. Sed arbitrium est ità indifferens, ergo non agit, nisi priùs determinetur à Deo. Maior patet; quia à causa indifferente quà tali exire non potest effectus determinatus, nemo enim dare potest, quod non habet. Hoc idem asseritur à D. Thom. 1. p. qu. 19. art. 3. ad 5. ubi, *Causa*, inquit, *quæ est ex se contingens oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*.

Hoc argumentum primò destruit libertatem divinam; probat enim similiter, divinum decretum non posse supponere Deum in priori indifferentem; illud enim principium, nemo dat, quod non habet, est verum in tota sua universalitate. secundò destruit libertatem creatam. actus enim liber etiam creatus est determinatio orta à principio libero quà tali. at liberum principium est principium indifferens: indifferentia enim etiam juxtà adversarios pertinet ad essentiam libertatis. ergo actus liber est determinatio orta ab indifferenti quà tali: & per consequens qui hoc tollit, libertatem tollit.

Directa autem, & communis Nostrorum responsio ad hoc argumentum distinguit duplicem indifferentiam, alteram passivam, & per

defectum, alteram activam, & per excessum. prior reperitur in materia, quæ quia nihil per se habet, & omnia potest habere, indiget, ut accipiat, causa dante, posterior reperitur in causa libera, quæ quia utrumque præcontinet in potentia effectiva proxima, & expedita, potest utrumlibet ponere sine extrinseco determinante. Utrumlibet verò ponat, dat, quod habet, quia utrumque actum, & per consequens utramque determinationem partim in se, partim in comprincipiis, quæ habet in sua potestate, præcontinet.

Huic doctrinæ non opponitur loco citato D. Thomas, qui, ut notat Caietanus, ibi brevissimè, sed fusè idem tractat. 1. cont. Gent cap. 82. ubi responsionem nostram apertè tradit in resp. ad 1. Eius verba hæc sunt: *Invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet; sed tamen utrumque esse potest: sicut aliquis qui diversis instrumentis uti potest æqualiter ad idem opus perficiendum. hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet. sed magis ad eius eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, & ob hoc determinatur ad neutrum*. Addenda his verba Ferrariensis ibidem §. 4. *Ad primum horum: Si aliquid sit indeterminatum per modum materiæ, & potentia passiva, & sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet, ut tale sit in potentia, & ab aliquo extrinseco agente determinetur, Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, & ad utrumlibet se habentis ex parte eius, ad quod dicitur, non oportet tale esse in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari, sed ipsum se ratione suæ libertatis determinare potest*. Quamvis autem ibi loquatur de causæ primæ libertate, eadem tamen quoad hoc est ratio de libertate causæ secundæ; quia contra

utramque militat idem argumentum, ut dictum est.

Est quidem inter primam, & secundam discrimen, quod prima sit solùm movens, secunda sit movens, & mota. hinc tamen solùm fit, primam non indigere alia, à qua vim se movendi accipiat: qua tamen indiget secunda, ubi vero hanc vim accepit, adeoque constituta est per necessaria comprincipia in utrumque potens, & parata, alio ulterius non indiget; sed se ipsa, similiter ut prima, ex arbitrio in utrumvis se mittit, & se, & comprincipia determinando; quod plenè potest ex accepta jam potestate.

Arguit præterea ad idem Goudinus ratione, quam vocat *omnino efficacem*. Impossibile est, ut creatura agat, nisi constituatur prius in ratione principii in actu secundo operativi. atqui ita constituitur per solam physicam præmotionem. ergo sine hac impossibile est, ut agat. maiorem probat; quia creatura de se non est activa, nisi habitualiter, & in potentia otiosa: quod ipsum ostendit ex distinctione virtutis creatæ à sua actione, quam distinctionem late probat. Ut ergo ab otio ad negotium, à potentia ad actum transferatur, indiget alio conferente illi vim activam in actu secundo.

Minorem probat; quia ad hoc munus satis non est concursus simultaneus. ergo requiritur concursus prævius. antec. prob. 1. quia concursus simultaneus non recipitur in potentia. ergo relinquit potentiam in sua intrinseca incompletione ex defectu ultimæ activitatis intrinsecæ. 2. concursus simultaneus est indifferens. ergo non reddit creaturam operantem potius, quam non operantem. 3. quod constituit creaturam principium in actu secundo, est prævium ad eius operationem. at concursus simultaneus non est prævius. ergo. 4. concur-

sus simultaneus semper habetur; non semper habetur operatio creaturæ. ergo non constituitur creatura operans per concursum simultaneum.

Solutionem argumenti tam efficacis dabit sola explicatio terminorum. Virtus in actu secundo operativa potest appellare virtutem omnino completam, & expeditam ad operandum; quæ & dicitur à Philos. potentia secunda: & potest appellare virtutem actu operantem. in secundo sensu maior est evidenter falsa; quia nihil est agens ante actionem, ut nihil est album ante albedinem. in primo sensu maior est vera, sed minor falsa. ad prob. dico antecedens esse æquivocum; cùm enim concursus simultaneus ex dictis stet pro actu primo, & pro actu secundo, seu pro decreto conferente libertatem, & pro actuali causalitate actus liberi; certum est, quod concursus simultaneus stans pro actu primo constituat principium actu operativum in primo sensu; stans pro actu secundo constituat principium operativum in secundo sensu. Hæc sunt intelligenti terminos tam aperta, ut non videam, quid sibi velit Goudinus argumento isto suo *omnino efficaci*.

Iisdem distinctionibus corruunt probationes antecedentis. ad 1. concursus simultaneus stans pro actu secundo recipitur in voluntate, eamque complet, perficit, ac determinat. stans pro actu primo non recipitur, & tamen complet extrinsecè, ut juxta omnes complet omnipotentia in causis secundis irrecepta ad 2. totum est verum de concursu simultaneo stante pro actu primo; totum falsum de eodem stante pro actu secundo. ad 3. quod constituit potentiam operativam in actu secundo. h. e. operantem. non debet præire operationem, cum sit ipsissima operatio. quod constituit eandem

dem proxime expeditam ad actum secundum, præit: & hoc pacto est prævius concursus simultaneus stans pro actu primo. Et per hæc patet ad 4.

§. III.

Solvuntur reliqua Argumenta.

ARguunt ex 3. capite. Deus debet esse author cuiuscumque actus boni, & nullius actus mali. sed per concursum simultaneum, & decretum indifferens hoc sufficienter non habet. ergo requiritur motio determinans. Min. prob. Deus non aliter esset causa, & author actus boni, nisi dando principium, & concurrendo ad actum determinatus à voluntate. atqui eodem prorsus modo se habet ad actum malum. ergo vel utriusque, vel neutrius est causa; & author ex vi concursus simultanei.

Conf. quia licet detur, Deum esse actus boni, non mali authorem, vitari tamen non potest, quod in hoc ipso voluntas humana excedat divinam. illi enim magis tribuitur actus, quod concurrit ut determinans; illi minus, quod concurrit ut determinatum; activa enim, non passiva determinatio est ratio imputabilitatis. at voluntas creata concurrit ut determinans, divina ut determinata. ergo magis creatæ, quam divinæ voluntati imputandus est bonus actus: quod sanè absurdissimum est.

Resp. ad summam Dei bonitatem pertinere, ut libertatem voluntati non conferat, nisi ex intentione, & animo, ut ea utatur ad rectè, & virtuosè operandum. Itaque ut supra iterum notavi, decretum libertatis collativum dicitur indifferens, quatenus non est antece-

den-

denter determinans, non quatenus non est antecedenter effectivè determinatum, amat enim unicè actum virtutis non simpliciter, sed efficaciter quantum est ex parte sua, & ex tali amore dat potentiam. Jam verò quod causam physicam facit etiam moralem, seu authorem, amor est, & intentio; *illo enim authore cum dicimus, illo volente dicimus*, ut ait Augustinus l. qq. 83. q. 3. Cùm ergo solus actus bonus sit ex Dei intentione, malus & præter, & contra Dei intentionem, consequens est, ut boni, non mali sit author Deus.

Explicatur hoc totum exemplo D. Thomæ de motu obliquo proveniente à virtute motiva, & tibiæ curvitate. obliquitas enim virtuti motivæ nullatenus imputatur, quia concurrit per se indifferenter, & ex intentione motus recti, quem unum petit natura. dum ergo contingit obliquus, contingit præter intentionem virtutis; & propterea imputatur uni tibiæ curvitati, quæ virtutem modificat. alia etiam exempla ex moralibus affert Haunoldus l. 1. tract. 2. c. 1. contr. 5. §. 3. Illud est celebre, & aptissimum ad rem nostram. Si Rex det militi stipendium, & arma ex intentione, ut patriam tueatur, & hostes profliget; sanè quæcumque miles juxta intentionem istam operatur fortiter in prælio, Regi tribuitur, quod multo magis est verum, si Rex fortitudinem etiam tribuat. at si iisdem abutatur ad occidendum Civem, non Regi, sed militi imputatur.

Ex his ad confirmationem patet, Deo incomparabiliter magis, quàm creaturæ actum bonum tribui quod enim attinet ad sufficientiam essendi, quam effectus accipit, hæc quidem tota ultimatè est à Deo, ut à prima causa; quatenùs non solum à Deo est effectus secundùm partem illam concursus immediatè à Deo

pro

profluentem, sed etiam secundùm partem profluentem immediate à voluntate; hæc enim cum non det, nisi in quantum actu à Deo accipit. hoc ipsum eius dare à Deo est. In hoc tamen actus bonus, & malus æquiparantur; sed quia bonus est à Deo intentus, adeoq; est à Deo imputabiliter, secus verò malus; malus utcumque sit physicè magis à Deo, non tamen ullatenus moraliter bonus; & physicè, & moraliter erit à Deo incomparabiliter magis: quia Deus longè magis amat actum virtutis, quàm voluntas; adeoque causalitas moralis maior est in Deo, quam in voluntate.

Ad formam argumenti distin. maj. illi magis tribuitur actus, quod concurrit ut determinans tantùm physicè, nego maiorem; sivè physicè sive moraliter, concedo maiorem. dist. min. voluntas creata concurrit ut determinans physico-moraliter, divina ut determinata physicè, & determinans moraliter actum bonum unicè à se intentum determinatione ponente imputabilitatem in actu bono relatè ad Deum ipsum, & per consequens influxum maiorem Deo ut authori tribuendum, concedo; secus, nego minorem, & consequentiam.

Arguit ultimò Goudinus. Sententia asserens physicam præmotionem est maximè remota ab hæreticis. ergo est, ut verior amplectenda. probat antec. conferendo hæresim Calvini, & Pelagii, quorum prior libertatem, alter gratiam evertebat. Uterque fundabatur in hoc principio, quod *Physica præmotio tolleret libertatem*. Ex hoc subsumebat Calvinus: *Sed datur physica præmotio; ergo non datur libertas*. Subsumebat è contrario Pelagius: *Sed datur libertas, ergo non datur physica præmotio*. Ab his duobus scopulis remotissimi sunt Thomistæ, qui negant incompossibilitatem physicæ præmotionis cum libertate; adeoque radicitùs utrumque errorem evertunt. Non

Non semper, quæ magis utcunque recedunt ab hæresi, sunt magis vera; sed quæ recedunt contradictoriè. Imò ex illo recessu, & elongatione sæpè hæreses aliæ natæ sunt. Sic Eutyches ut recederet maximè à Nestorio asserente in Christo duas personas, asseruit in eo unam naturam. Quod autem asserit hic author, principium hæreticis commune fuisse illud, quod *Physica præmotio tollit libertatem*, pertinet ad oris duritiem, & privilegium audacter fingendi, loquendique pro libito. Quod demum attinet ad duplicem illam consequentiam, fateor, utramque esse legitimam: sed primum consequens à Calvino illatum esse hæreticum, adeoque negandam esse alterutram ex præmissis. Maiorem negari non posse, satis constat ex hactenus ostensis. neganda igitur est minor. Alterum consequens est ipsissima sententia nostra hactenus latè propugnata. Quod verò hìc author eam appellat errorem Pelagii, contumelia est, cui nos ulterius respondere nihil est opus. satis enim est ab Innocentio X. responsum in decreto edito pridiè Kalend. Jun. anno 1653. quinque ibi prius propositiones ex Jansenio refert, inter quas ea est quarta. *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei. & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*. Hanc deinde propositionem *Falsam*, inquit Pontifex, *& hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Neque est, quod reponat Innocentium XI. qui anno 1679. die 23. Nov. damnavit novitatis, & temeritatis propositionem illam, *Deus subiicit nobis suam omnipotentiam*. In hoc autem videtur damnata nostra sententia, quæ dum omnipotentiam vult à nostra voluntate determinabilem, eam vult voluntati subiectam;

ctam;

ctam; quia omne determinabile subiicitur suo determinativo. Et quidem non aliud de re videtur intendisse Pontifex, dum damnat subjectionem, nisi determinabilitatem potentiæ divinæ à voluntate creata.

Sed jam ex dictis satis constat, non omnem determinabilitatem esse subiectionem, sed eam dumtaxat, quæ naturalis est. Deus autem potentiam non habet determinabilem ab arbitrio, nisi quia liber aliter donat, & servat libertatem; quare determinabilitas ista non est subjectionis, sed dignationis: nec pendet à voluntate creata, sed à decreto divino. Quid autem de re damnet in ea propositione Pontifex, patet ex antecedenti propositione item damnata, qua asserebatur, quod *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donet alteri villam, vel librum*. Hinc fiebat, ut homo acquireret verum jus in omnipotentiam, adeoque ut esset illi omnipotentia subjecta. Nos tale jus acquiri à voluntate negamus, sed volumus esse plenè in arbitrio divino, ut concurrat, vel non concurrat cum creato: in quo nulla planè subiectio omnipotentiæ relatè ad arbitrium.

CAPUT IX.

Quo pacto demum salvetur plenissimum Dei dominium in voluntatem liberam qua talem.

HAnc quæstionem latè, & pro merito, viribusque tractaturo Theologia autem vellit, & admonuit, nimis longe à Philosophicis finibus per ista digrediendum. Itaque satis erit paucis innuere, quæ Nostri hinc inde in rem præsentem disputant, exactiore de iis tractatione ad Theologos remissa.

Po-

Potissimum igitur Prædeterminatorum argumentum, quo nostram sententiam de auxilii indifferentia diruere conati sunt, exinde petitur; quia certum est, Deo inesse vim vertendi voluntatem creatam, quocumque libuerit, ut clamant Scripturæ, habere inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem, ut loquitur Augustinus. hoc autem non videtur salvari posse in nostra sententia, in qua cum omnia media, quibus utitur Deus ad hominum conversionem, sint indifferentia, & frustrabilia, consequens est, ut potentia divina vinci possit à creata, & voluntas divina sit impedibilis ab humana.

Sed in hac re aliud est loqui de facto, aliud de possibili. De facto Deo competit ista potestas omnipotentissima, & invincibilis saltem consequenter; cum enim de quocumque arbitrio prævideat Deus per scientiam mediam aliqua auxilia coniungenda cum consensu, aliqua cum dissensu, potest pro libito velle bonum, & dare priora; permittere malum, & dare posteriora. Hæc potestas & est infinita; involvit enim scientiam mediam fundatam in infinita perfectione intellectus divini; & est infrustrabilis; procedit enim ex suppositione consequenti, adeoque infallibili seu consensus, seu dissensus.

Quod autem sit antecedenter ab arbitrio impedibilis indirectè, & intentionaliter, quatenus est in hoc antecedens potentia ad ponendum actum prædefinito, aut permisso oppositum, non est divinæ potentiæ diminutio: ut frustra contendit Godoy 1.p.tr.4. disp.38.§.ult. Ad hoc enim, ut ex ista impedibilitate sit consequens, Deum summè liberum in prędefiniendo, aut permittendo non esse, debet probari possibilitas præfiniendi, seu prædeterminandi inimpedibiliter, salva libertate; aliter constat,

ſtat, hanc ipſam poteſtatem utcumque impedibilem eſſe ſummam, qua poſſibilis alia maior non eſt.

Hinc eſt gradus ad quæſtionem de poſſibili maximè id temporis inter Noſtros agitatam, qua quæritur, utrum metaphyſicè, an ſolùm moraliter ſit neceſſarium, ut quodlibet creatum arbitrium videatur per ſcientiam mediam alicui auxilio conſenſurum, alicui diſſenſurum. Equidem veriorem puto, magiſque conformem ad dicta Scripturarum, & Patrum, atque etiam ad perfectionem divini dominii, divinæque ſanctitatis eam ſententiam, quæ neceſſitatem in his metaphyſicam nec omnino aſtruit, nec omnino negat, ſed diſtinguit inter actum bonum, & malum; atque ad illum ſtatuit metaphyſicam neceſſitatem, & dominium in Deo antecedens, ex eiuſdem potentia, & bonitate ortum, cui ſcilicet deeſſe non poteſt, quod donet: ad hunc verò ſtatuit ſolam neceſſitatem moralem ex ſola arbitrii defectibilis vertibilitate natum, quæ ſcilicet culpæ, qua talis, eſt prima cauſa. Sed de his alibi, ſi Deus, & vires dederint. In præſenti pauca hæc libaſſe ſit ſatis.

Finis Tomi Quarti.